

THE J. PAUL GETTY MUSEUM LIBRARY

MONVMENTA PELOPONNESIA

K. 320
61 116

MONVMENTA PELOPONNESIA

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
Research Library, The Getty Research Institute

http://www.archive.org/details/monumentapelopon00paci

MONVMENTA
PELOPONNESIA

COMMENTARIIS EXPLICATA

A

PAVLLO M. PACIAVDIO C. R.

SAC. EQ. ORD. HIEROSOLYM. HISTORICO
REGIAEQ. PARISIEN. ACADEMIAE INSCRIPT.
ET HVMAN. LITTERAR. SODALI.

VOLVMEN PRIMVM.



ROMAE CIↃIↃCCLXI.

EX TYPOGRAPHIA PALLADIS
SVMTIBVS NICOLAI ET MARCI PALEARINI
PRAESIDVM PERMISSV.

65.16 March, '65 Purchased from
F.A. Bernet Books check #1282

THE J. PAUL GETTY MUSEUM
LIBRARY



e Peloponneso   Alt. Pal. Rom. 10. 5.

LECTORI ΠΑΛΑΙΟΦΙΛΩ

ΕΥ̓ ΠΡΑΤΤΕΙΝ

---

§. I.

SAEPE ego adverſis ſane auribus accepi, hanc culpam conferri in eos, qui eruditam Muſei alicujus ſupellectilem illuſtrandam, edendamque ſuſcipiunt, quod alieniſſima quadam ſcientiarum tradendarum ratione, ſuas commentationes nullo propemodum nexu, nullaque ratiocinatione devinciant, ut continuatae, certaeque doctrinae ſpeciem, vimque praeſeferant. Numquam longius, inquiunt, iſtorum ſcriptorum conſilia efferuntur, quam ut divulſa quaedam veterum auctorum loca conradant, atque aggerant: in quo tanto minus argumentationi, & ingenio tribuunt, quanto plus laboris, vigiliaeque interponunt. Quorum ſi vera eſſet ſententia, plurimum hujus diſciplinae & exiſtimationi, & dignitati detraheretur. Sed iners, & inſulſa iſthaec querela, quae tota ab imperitiſſimis obtrectatoribus conflata eſt, adeo uſque abeſt a vero, ut nihil magis vero poſſit eſſe contrarium. Non heic ego enumerare inſtituam, quot viri, quanta non dicam varietate doctrinae, ſed quanta mentis acie, quantaque in his noſtris ſtudiis perſpicuitate fuerint, qui Graecas, Romanaſque antiquitates ingenioſa diſſerendi ratione inveſtigaverint, omneſque ſuas diſputa-

putationes epidictico argumentorum genere concluſerint, ut quae ab aliarum artium, ac diſciplinarum cultoribus tradi, demonſtrarique perhibetur ſtabilis, & a certis ducta notionibus rerum *Scientia*, eadem in *Antiquariorum* libris facile reperiri queat. Siquidem norunt qui cum Muſis, ideſt cum politiore doctrina commercium habent, nullo non tempote floruiſſe venerandae vetuſtatis enarratores, in quorum commentariis mirifice effulgent ingenii magnitudo, & acumen, bene adhibita ratio, & veri inveniendi cupiditas, prudens, ſincerumque judicium, oratio plena nervorum, & compagis, atque ad perſuadendum accommodata. Porro non id arrogo mihi, ut in horum illuſtrium ſcriptorum numero haberi praeſumam, a quorum ſapientia tantopere abeſſe me ſentio. At ne eam ſubirem vituperationem, qua traducitur, atque exagitatur Antiquariorum natio, quaſi centones potius conſarciant, quam libros vere perſcribant, praeſtantiſſima haec PELOPONNESI monumenta ſic a me exponi oportere intellexi, ut diligenti, & conſiderata ratiocinatione inter ſe cohaererent. Itaque quum calamum huic ſcriptioni primum admoverem, litterata Marmora non in diverſas, diviſaſque claſſes, ut fieri aſſolet, tribuenda eſſe duxi, ſed quoniam

Ponderibus, moduliſque ſuis ratio utitur, ac res
Vt quaeque eſt . . . .

perpendit, examinat, attemperat; quae in idem argumentum conſpirare mihi viſa ſunt, continenter exponenda

ponenda aptoque vinculo colliganda mecum ipſe decrevi, ut ex hac monumentorum conjunctione perſpicua, abſolutaque exiſteret earum rerum tractatio, quam inſtituti, ſuſceptique argumenti ratio depoſceret. Quod ut felicius, certoque quodam ordine expedirem, praeclariſſimis his inſcriptionibus, quae uberiorem rerum ſegetem pollicebantur, latioremque mihi ad dicendum pandebant campum, principem locum conceſſi; iiſdemque pro thematum partitione ſumptis, variam, quam ſinguli illarum verſus materiam darent, deinceps perſequutus ſum. Tum quae eſſent affines, & ad propoſitas, copulataſque quaeſtiones declarandas facerent, pro re nata interjeci. Quo factum eſt, ut ex cognitione una in aliam ſenſim delapſa ſit oratio, nec tamen conſentanei argumenti terminos exceſſerit, multipliceſque marmorum interpretationes opportuna junctura connexae in unam coaluerint doctrinam.

§. II. QVAMQVAM antiquariorum ſcholae nihilo aequiores ſunt moroſi illi, difficileſque cenſores, qui ex diuturnis illorum vigiliis, atque conatibus nihil commodi, utilitatiſque in hominum vitam, civiumque ſocietatem redundare poſſe depraedicant; ſibique multum plaudentes de ſubtili, ac ſtrigoſo ſtudiorum genere, quo ſaepe ingenia miſere torqueri, implicari, obrui contingit, quicquid a nobis laboris, operaeque antiquitatibus impenditur, rebus inutilibus, ac prope nugatoriis omnino annumerare non dubitant. Si illos audias,

. . . . tenui nam nos in pulvere ſulcos
Ducimus, & ſterili littus verſamus aratro.

Verum enim vero qui noſtra ſtudia ſic aſpernantur, calumnianturque, nae illi inſcitiam, & liberalium doctrinarum jejunitatem produnt ſuam. Namque ſi de eruditae vetuſtatis cultura talem animo imbibere ſententiam, neceſſe eſt, ut a laudabilium, bonarumque rerum cenſu ea excludant, quae ſummi viri & ingenii abundantia, & patriae caritate nobiliſſimi Reipublicae non tam ornamento, quam praeſidio fore cenſuerunt. Vnde quaeſo legum, quibus ſocietas ipſa continetur, ſincera, ac primigenia intelligentia, quam temporum longinquitas, vel potius barbaries infinitis concertationibus, variis, & diſtortiſſimis hominum judiciis, ineptorum verborum ſtribligine infuſcavit, vitiavitque, luculentius, ac certius ratione comprehendi poterit, quam ex priſcis tabulis, & inſcriptionibus? Vnde nam ediſci felicius poterunt elegantiores artes, quibus nationes, urbeſque inclaruerunt, quibus commercium propagatum eſt, quibus aluntur ingenia, & ab anguſta ruſticitate ad cultum, ad laudem, quaeſtumque traducuntur, niſi ex ipſis abſolutiſſimis exemplaribus, quae veteris, aureique aevi artifices poſteris ſuſpicienda, imitandaque reliquerunt? Quid dicam magna, ac memorabilia illuſtrium virorum facinora, quibus ad belli, paciſque artes, atque ad Rempublicam capeſſendam informantur homines? Quid praemia virtuti, rectiſque factis olim praeſtituta, unde ad Civium ſalutem, tran-

tranquillumque Reipublicae ſtatum omni ope, ſtudioque procurandum inflammari ſolemus? Quid populorum, & urbium conventa, foedera, pactiones, ex quibus ipſa Civilis ſocietatis jura profluxerunt? Annon haec omnia nativis ut, ita dixerim, expreſſa coloribus, objiciunt

Gemmae, marmor, ebur, Tyrrena ſigilla, tabellae?

Aut ubi evidentius, vividiuſque in oculos incurrunt, inque animos ſpeciem, atque imaginem ſui inſtillant, atque defigunt? Quis denique hominum erit, qui audeat de antiquis cum profanis, tum ſacris ſcriptoribus judicium ferre, tot obſtruſas illorum ſententias ad κριτικῆς leges revocare, corrupta loca fidenter expungere, aut emendare, reconditiores dictiones exacte, ſciteque exponere, niſi in antiquitatis ſtudio diligenter fuerit verſatus? Deſinant ergo leviſſimi quidam noſtrae hujus aetatis ardeliones adoleſcentibus imponere, atque ab hiſce noſtris eruditis inveſtigationibus prohibere, perinde atque nihil illis ſubſit utilitatis. Non omnes eadem mirantur, amantque, & ſtudio quiſque ducitur ſuo. Sed nullum eſt ſtudiorum genus, ex quo aliquis ad bene, beateque vivendum fructus non percipiatur; neque nos hanc illis exprobramus futilitatem, quamvis ſint viri graviſſimi, qui illorum libros frugis expertes dicant. Ego equidem in hiſce commentariis ad ea omnia commoda, atque adjumenta, quae ex antiquitatum contemplatione, meditationeque percipi queunt, ubique mentem intendi:

 Le-

Lectorem delectando, pariterque monendo.

Atque utinam quantum voluntatis, tantum ingenii, doctrinaeque mihi fuiſſet, ut quem inter ſcribendum volebam, ſpectabamque, finem conſequi licuiſſet!

§. III. Tandem qui has noſtras lucubrationes deſpiciunt, ſive imperiti, ſive malevoli ſint, Antiquariorum ſectam invidioſe criminantur, & apud vulgus diffamant, tamquam veſanum hominum genus, qui multa pro arbitrio confingunt, & quam de inexplicabilibus etiam anaglyptis, numiſmatis, epigrammatis ſibi animo, ac cogitatione efformarunt ſpeciem, ac notionem oculis ipſis cernere ſibi videntur; dictitantque palam, hanc eſſe Antiquariorum indolem, ut imaginariis freti principiis, dum acutiſſimas explicationes comminiſcuntur, revera inanes conſectentur viſiones. Philoſophorum quorumdam haec vox eſt, ut animadverti, qui nihil cogniti, perſpecti, firmique habere nos poſſe aſſerunt, niſi ſupra credulam mortalium turbam animo aſſurgentes liberiorem philoſophandi rationem ſequamur, & in univerſo diſciplinarum orbe, in Hominis, Civiſque officiis, in ipſis Religionis praeſcriptis evidentiam quaeramus. At quid aio philoſophos? Litteratores dipondiarios, ſeu verius litterarum peſtes, dedecora, carcinomata illos appellabo, qui quum ubique & aſſenſum cohibendum velint, & omnia ad unius humanae rationis dictata, tamquam ad acerrimam normam exigant, ſe filios Minervae omnium ſcientiſſimos exiſtimant, nos vero, qui antiquorum codicibus impalle-

palleſcimus, noſtriſque interdum diffidentes ingeniolis, veterum illorum ſapientiae parentum veſtigiis inſiſtimus., velut umbras hominum deſpicantur. Nullum ego certe infortunatiorem putaverim,

Quam qui non poterit vero diſtinguere falſum;

ſed ita me Deus amet, ut in horumce nebulonum libellis, quibus ſe veritatem, velo tandem diſcerpto, atque ſublato, denudaſſe ajunt, tibi continuo occurrunt monſtra opinionum, captioſae argutationes, verſutae fallaciae, abſurdae novitates, ſomnia, deliramenta, rationis egeſtas, & pro ἐναργείᾳ, quam ſe unice perſequi dicunt, oratio plane ἀσυλλόγιστος.

§. IV. Caeterum, ut fatear quod res eſt, fuerunt in Antiquariis, qui ingenio plus aequo indulgentes, quae deſperatiſſima erant, atque ab hominum captu remota explicare aggreſſi, rem omnem frivolis ſubtilitatibus, ambiguis interpretamentis, teſtimoniis longiſſime accitis ſic implicarunt, ut illorum dictis tantum credendum ſit, quantum ſomniantium viſis. Nihilo tamen minus iniquiſſimam nobis irrogant injuriam, qui paucorum vitium ad omnes diffundunt; quoniamque ab aliquibus peccatum eſt, omnes eadem culpa teneri arbitrantur. Sane quum mecum ipſe reputarem, volveremque animo, quae cauſa potiſſimum faciat, ut Antiquarii ad hunc ſcopulum identidem allidant; ea praeſertim menti ſuccurrit, quod nihil tam tenebricoſum, tam involutum ſit, quod non exponere, atque dilucidare aggrediantur; numquam animum

animum deſpondeant, aut quidpiam ſibi impervium credant, ac ſi illorum pectori tota ſe infunderit antiquitas; quum tamen nullum litteraturae genus exiſtat; in quo excellens, & optimus quiſque ſe multa ignorare, & multa ſibi etiam, atque etiam eſſe diſcenda non fateatur. Igitur, ut hanc accuſationem, notamque deprecarer, quoties incidi in quaedam ſeu mutila, ſeu cognitu incerta monumenta, de quibus nihil a me proferri poſſe videbam, quod animos probabilitate ſua percelleret; ſatius duxi illa ad meram operis exornationem interſerere, & his, qui cernunt acutius examinanda, interpretandaque permittere, quam cavillationibus, tricis, concluſiunculis ſollicitare, aut levidenſes, & male contortas conjectationes depromere, quae in reprehenſionem eruditorum incurrerent. In quo non tenuis gloria mihi poſita eſſe videtur:

Nam nihil egregius, quam res eſt cernere apertas,
Ab dubiis animus quas ab ſe protinus abdit.

Quoniamque vitium illud maxime fugiendum eſſe ajo, ne veterum monumentorum deſcriptores incognita pro cognitis habeant, iiſque temere aſſentiantur, nullum profecto judicium interponere auſus ſum de luxatis, & hiulcis quibuſdam fragmentis [1], ex quibus aliquid certi aut opinione, aut conjectura exprimi poſſe deſperabam. Quae prudens, diligenſque interpretandi ratio,

1 Ejuſmodi ſunt fragmenta elegantiſſimo caeteroquin opere, quae proferimus tum in fronte utriuſque voluminis, tum *Vol.* I. *pag.* 79. 125. *Vol.* II. *pag.* 170. 175.

tio, ita mihi ante oculos jugiter obverſata eſt, ut quum ventum fuit ad *Protomas*, atque *Capita*[1] ex diverſae Graeciae oris aſportata, veritus committere, ut ne bene proviſa, & accurate explorata principia a me ponerentur, ſi quorumnam hominum ora, vultuſque referrent, affirmare inſtituiſſem; omnes id genus divinationes illis libentiſſime permiſi, qui tantum ſibi ab ingenio, doctrina, exercitatione tributum credunt, & ſe Φυσιογνωμόνας ita callentes putant, ut cujus unaquaeque imago ſit, actutum pronuncient. Neque demum tenui ſpe adduci paſſus ſum, ut aliquid ſaltim divinando commentarer, ubi parum luminis effulgebat ad verum inveniendum, ſed contra ſumma ambiguitas facile poterat abducere a vero. Exemplo ſit lamella Noctuae effigie diſtincta, quam damus ad calcem Partis ſecundae. Equidem non eram neſcius, fuiſſe ejuſmodi ſymbolum Athenienſibus ſic receptum, & perfamiliare, ut illud in quovis monumentorum genere inſculpſerint, ſuos nummos Noctuae imagine notatos, Γλαῦκας nominarint, idemque inſigne a populis, Coloniiſque a ſe deductis retineri voluerint. Quocirca licet Noctua nonnumquam in aliarum gentium antiquitatibus offendatur, ut in Lebediorum, Calactinorum, Synnadenſium pecunia, nihilominus lamellam inter Atticas reliquias confidentiſſime annumeravi. Vtinam vero licuiſſet illius etiam uſum cognoſcere, ac definire: qui tamen nonniſi perſpe-

cta

1 Vide ad calcem Praefat. & Indicum, atque etiam *Vol.* II. *pag.* 93. 98. 150. 176. 217. 245. 277. 279.

ſta characterum, notarumque inibi ſculptarum ſignificatione deprehendi poterat! Sed quum inter varios, qui inveſtiganti mihi occurrebant, inſcriptionis ſenſus, nullus ſatis probabilis viſus ſit, turpe minime putavi rem omnem in medio relinquere; haeret enim animo alte defixum, quod divinum ingenium CICERO ſcriptum reliquit: Socratem ab Apolline omnium ſapientiſſimum fuiſſe dictum, quod hanc unam eſſe omnem ſapientiam doceret, non arbitrari ſe ſe ſcire, quod neſciat. Jam vero reliquo ſermoni demus operam, caeteraque, de quibus praeloqui fas eſt, pergamus exponere.

§. V. DVO ſunt monumentorum genera, quae his noſtris commentariis concluduntur; alia ſcilicet *Scripta*, alia vero *Figurata*. Prioris quidem generis omnia quinque & quadraginta late, copioſeque expoſui, ut nihil de his praefari neceſſe ſit. Quum autem ex ipſa illuſtri, atque ditiſſima NANIORVM Gaza, praeter Graeca litterata marmora a me hoc libro explicata, alia ſuppeterent ex Peloponneſo pariter advecta, ſed Latine loquentia, illa ſane Latinis anteponenda exiſtimavi. Nam etſi perſuaſum probe habeam, utriuſque linguae monumenta ſic inter ſe ſe mirifice conjurare, ut quae ex Graecis perſpicue elici aliquando minime poteſt rerum Peloponneſiacarum notitia, Latinis in ſubſidium accitis, animo dilucide comprehenſa teneri queat; nihiloſecius ut ex ſimilibus, omnibuſque numeris viciſſim conſentientibus rebus noſtra haec ſcriptio conſtaret, atque unitas, quae mihimet amiciſſima eſt, pretium aliquod operi conciliaret,

ret, Graeca dumtaxat nativo, ac primigenio ampliſſimae illius regionis, finitimarumque Inſularum idiomate exarata epigrammata mihi ſumpſi exponenda; quibus quaſi crepidine quadam totum opus ſuſtineretur. Noveram etiam viros multo clariſſimos hanc ſpartam ornandam ſuſcepiſſe, ut ejuſdem Muſei lapides Latine ſcriptos vulgarent, docteque interpretarentur, quibus haec laus non fuerat a me praeripienda.

ſ. VI. Ad Figvrata vero quod attinet ſi duo illa omnium praeſtantiſſima Athenienſia anaglypha, quae ſecundae, & tertiae commentariorum parti tamquam ἐπιβλήματα ſunt a me attexta, vel novem ſepulcralia, quibus quarta terminatur, aliaque haud plura excipias id genus monumenta, quae dum inſcriptionis alicujus, aut Atticorum toreumatum interpretationem exequerer, ſponte veluti ſua ſe ſe mihi obtulerunt explicanda [1], caetera omnia tantummodo ad libri ornatum in his, quae inter paragraphos relicta ſunt, ſpaciis collocavi. Curavi autem, quoad potui, diligenter, ut ejuſmodi πάρεργα ἔργοις eſſent conſentanea. Ita profecto quicquid ſive ex Graecis nummis, ſive ex caelatis lapillis, ſive ex quovis alio antiquitatum genere ad primam uniuſcujuſque partis paginam decorandam accerſivi, tum pulcherrima illa *Dianae* Κυνηγετίδος [2], *Satyri*, [3] *Palaeſtritae Athenienſis* [4], *Viri Senatorii* [5], *Hecates Tergeminae* [6] ſigna, tum *Nympharum*

---

1 Hoc in numero ſunt monumenta edita *Vol.* I. *pag.* 110. 144. 230. 242. & *Vol.* II. *pag* 09. 188.

2 *Vol.* I. *pag.* 163. 3 *Pag.* 206. 4 In fine *Vol.* I. 5 *Vol.* II. *p.* 8.

6 *Pag.* 188.

rum [1], *& Servi* [2] effigies, tum denique *Genius Dianae* [3], *tabellâ cum Noctua* [4], *Caput muliebre turritum*, ſeu murali corona redimitum [5], *Manus conſertae* [6] ad ea, quae a me in his locis, vel quam proxime ſunt diſputata, alludunt. Sed accidit quandoque, ut hanc argumenti, & emblematum convenientiam accurate retinere minime potuerim, vel quia nondum in manus perveniſſent monumenta, quae cum ea commentariorum parte, quae typis excudebatur, maxime congruebant, vel quia ſpacium non eſſet ſchemati capiendo accomodatum. Duae illae (ne omnia articulatim, ac prope faſtidioſe diſſerantur) eruditae Ithacenſium reliquiae, quae in tertia parte oculis exhibentur [7], in ſecunda potius videbantur producendae, ubi de Ithacae populis, eorumque lege ſacrata multis verbis egeramus; verumtamen in tertiam rejici neceſſe fuit, quum illas nonniſi ſecunda jam abſoluta acceperim. Similiter *Antinoi protome*, quae ad calcem *§. III Part. II.* viſitur, ſedem multo aptiorem obtinuiſſet poſt *§. V. Part. I.* niſi id pagellae forma prohibuiſſet. Verum in tanta, ac multiplici ornamentorum copia nonnulla ſunt, de quibus non dubitatione, aut difficultate impeditus, ſed contraria potius de cauſſa ſilentium mihi ipſi conſulto imperavi. Enimvero monumenta ipſa aliquando ita comperta, plana, notiſſima ſunt his, quos haec noſtra ſtudia delectant, ut niſi proletarias animadverſiones ſcripto mandare, reſque omnium ſermone contritas illis obtrudere velim, a quavis enarratione temperan-

1 *Pag.* 230. 2 *Vol.* 1. *pag.* 242. 3 *Pag.* 131. 4 *Pag.* 254. 5 *Pag.* 190. 6 *Vol.* II. *pag.* 144. 7 *Pag.* 100. 110.

perandum plane ſit. Quid enim percenſeam, quamobrem a myſticis ſcriptoribus *Apollini* arcus [1], *Fauno* pedum, & fiſtula [2], *Minervae* fax [3] tributa ſit, quam ad bella reſtinguenda invertiſſe fingebatur? Aut quid de *Veneris* [4], de *Crotaliſtae* [5], de *Sileni* [6] ſignis, aut de *Sphynge* [7], de *Animalium votivis ſigillis* [8], aliiſque id genus antiquitatibus eloquar? Nihil profecto a me ad haec afferri poſſet, quod ſcitiſſimum jam non fuerit harum litterarum ſtudioſis. Nonnumquam vero monumenta in hunc librum inlata equidem Graeci artificis ſolertiam, induſtriam, excellentiam ſummopere commendant, ut vas illud opere delicatiſſimo, quod in priore parte edidimus [9], aut ſunt uſitata in aedificiis emblemata, atque ornamenta [10]; ſed quandoquidem in his nulla prorſus emicat eruditio, fruſtra omnis a me ſuſceptus eſſet labor, ſi in eiſdem explicandis vel minimam operam, curamque poſuiſſem. Illud ergo relinquitur, ut orationem convertam, atque traducam ad eas antiquitates paullulum illuſtrandas, quae quamvis inter reliqua κοσμήματα ſint diſtributae, ac collocatae, nihilominus ob ſingularem ſui praeſtantiam, noſtram eflagitant diligentiam.

§. VII. De Auguſtorum, & Auguſtarum Statuis, ſigillis, imaginibuſque primum videtur eſſe dicendum, tum de Anaglyphis, ac poſtremo de reliqua erudita ſupellectile, ut unaquaeque monumenta ad certa capita revocentur. Quod a Pindaro dictum accepimus

1 *Vol.*II.*pag.*151. 2 In fronte *Vol.*II. 3 *Vol.*I.*p.*35. 4 *Vol.*II. *pag.* 287. 5 Ad calcem hujus Praef. 6 *Vol.* II. *pag.* 76. 7 *Pag.* 30. 8 *Pag.* 33. 115. 9 *Pag.* 22. 10 *Pag.* 10. 149.

mus, operis frontem, & ingreſſionem ſplendidam, ac magnificam eſſe oportere, id ego in his commentariis edendis curavi. Ea propter marmoreum L. Avr. Commodi ſignum non tam proceritate commendandum, quam artificio, & elegantia exquiſitiſſimum ante caeteras omnes Peloponneſiacas antiquitates tibi in oculos incurret. Quanti faciendae ſint hujus Imperatoris Statuae, ac ſimulacra bene noverint, qui miras illius viciſſitudines, exitumque infortunatiſſimum lectitarint. Scilicet tanta fuit in hoc peſſimo principe animi elatio, tamque immoderata inſolentia, ut ſuperbo, ac procaci faſtu, Jovis ſatu progenitus credi vellet, gauderetque idcirco ab Epheſiis ΟΛΥΜΠΙΟΣ appellari. Quaſi vero aurea ſaecula reduxiſſet, primus omnium Felicis cognomentum uſurpavit, nec aliis ambitioſiſſimis titulis contentus, novum excogitavit arrogantiae pleniſſimum: Ὑπεραίρων, *Exſuperantiſſimus*, ut a Xiphilino obſervatum eſt, ὡς καὶ ἐν πᾶσιν ἁπλῶς πάντας ἀνθρώπους καθ' ὑπερβολὴν νικῶν, *quaſi vere omnes homines longe omnibus in rebus ſuperaret* [1]. Sed quod rei caput eſt, teſte Herodiano; ἔστησε δὲ καὶ ἀνδριάντας αὐτοῦ κατὰ πᾶσαν τὴν πόλιν, *quia Statuas quoque ſibi in tota urbe poni juſſit* [2]. Verum quum vitiis omnibus difflueret, & imperium tyrannide, caedibus, & propudioſis ſceleribus foedaſſet, in tam gravem Populi Romani invidiam merito incidit, ut eo vita ſublato, Statuas omnes illi dedicatas diſturbarit, everterit, perfregerit. Neque id inſano, furentique

1 *Lib.* LXXII.

2 *Hiſtoriar. lib.* I. *cap.* XLVI.

rentique militum, aut malae plebis impetu accidit, ſed, referente LAMPRIDIO, Senatus decreto, in quo Pontifex Maximus *Cincius Severus dixit : cenſeo quod is, qui nonniſi ad perniciem Civium, & ad dedecus ſuum vixit, ob honorem ſuum decerni coëgit, abolendas Statuas, quae undique ſunt abolendae*[1]. Quod autem de viro Conſulari Juliano, apud ipſum HERODIANVM legitur : Τὰς τοῦ Κομμόδου εἰκόνας ἅς ἡ σύγκλητος καθεῖλεν ἀνανεώσασθαι ὑπέσχετο, *ſtatuas Commodi quas Senatus ſuſtulerat, inſtauraturum pollicebatur*[2]; inanes pollicitationes fortuna deluſit. Jam vero quum iis temporibus Peloponneſus in poteſtatem P. R. redacta, edictis Senatus plurimum morigeraretur, & quod certiſſimum eſt, vel ipſa Graecia Commodi nequitiam fuiſſet experta, non eſt ambigendum, Graecas Civitates ad Romanorum morem Statuas illius dejeciſſe, & ſolo affligi juſsiſſe. Ex quibus, quod volebam, efficitur, atque cogitur, paucas admodum reperiri Commodi Statuas, & quae forte fortuna reperiuntur, ſive Graeco, ſive Romano artificio elaboratae, maximo in pretio eſſe habendas. Adhuc vitam vivunt Venetiis, qui probe recordantur, quum haec noſtra ex Peloponneſo fuit advecta : qua in urbe nova baſis fuit illi ſuppoſita, atque huic recenti baſi inducta novitio ſcalpro epigraphe inter ſpurias ſine ulla dubitatione numeranda. Epigrammatis ejuſmodi νοθείαν extemplo viderat CL. AP. ZENVS rei antiquariae peritia cum paucis comparandus, cujus perbreves,

---

1 In Commodo *cap.* XX. 2 *Lib.* II. *cap.* XXXIII.

breves, ſed ponderoſas in hanc mentitam inſcriptionem adnotationes publicavit MVRATORIVS[1]. Sed eſt quod mirer in novo hoc Theſauro affirmari, hujuſce Statuae caput (ipſiſſima quippe eſt, quae ex Muſtorum aedibus in AMPLISSIMI SENATORIS BERN. NANII Cimeliothecam immigravit) *pelle leonina* velari, quum luce mera evidens ſit, obtegi *Galea*, eaque affabre, diſtincteque ſculpta. Equidem ex quo hic Imperaror depoſito Romanorum Principum cultu, Leonis pellem ſibi pro inſigni adſcivit; ex quo ΚΟΜΜΟΔΟΣ ΗΡΑΚΛΗΣ, & *Hercules Romanus* dici voluit[2], & quod eſt apud SPARTIANVM[3], aliquot Menſium dies in ſui honorem *Herculeos* inſcribi, ipſamque Claſſem Africanam *Commodianam Herculeam* nominari; in id ſtudia certatim contulerunt ſua typarii monetales, & ſtatuarii[4], ut Herculis habitu illum effingerent. Atque haec conſuetudo animo praeconcepta fortaſſe impoſuit, fucumque fecit his, qui Peloponneſiacum iſtud ſimulacrum oculo properante intuiti fuerant, indeque MVRATORIO Herculea inſignia referre ſignificarunt. Interim quum heic Commodus Galeatus exhibeatur, clamyde laevo humero injecta, parazonium tenens, thoracem pro pedibus habens, quodque potiſſimum eſt obſervandum, imberbis, ἀπρεπέστατος, aſpectuque juvenilis, qualis in protome Capitolina[5], atque

1 *Nov. Theſaur. Inſcription. pag.* CCXLII. *num.* 5.
2 HERODIANVS *lib.* I. *cap.* XLVI.
3 In Commodo *cap.* XI. *&* *cap.* VIII.
4 Statuas id genus memorat XIPHILINVS *loc. cit.*
5 *Del Muſeo Capitolino tom.* II. *Buſti Imperiali Tav.* 48.

atque in numiſmatis ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ, & ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ [1], illud conſequitur, ſigni pulcherrimi opus vel ad eam aetatem, qua Commodus adhuc Caeſar erat, vel ad primos ipſius imperii annos non immerito poſſe referri.

§. VIII. Inter ejuſdem generis κοσμήματα recenſenda eſt Antinoi τȣ̃ ἐρωμένȣ τȣ̃ Ἀδριάνȣ protome [2], cujus aſſimilem propemodum ſpeciem refert Graecus majoris formae nummus cum lemmate ΒΕΤΟΥΡΙΟϹ ΤΟΙϹ ΑΡΚΑϹΙ; dignuſque oppido, qui ex eadem Naniorum penu inibi a me cum protome conſociaretur, recuderetur que.

Quid loquar Antinoum coeleſti ſede locatum?

Neque mihi eſt in animo de templis, & aris Hadrianeo Ganymedi devotis, aut de Sacerdotibus ad ſacra Ἀντινοεῖα peragenda conſtitutis quidpiam diſputare: vulgatiſſima enim, ac protrita omnia, quae in eam rem recitari a me poſſent. De nummo tamen intererit aliquid raptim attigiſſe. Simillimum protulerat jam vir ſummus, & ſingularis Spanhemius [3], a quo tria ad veriorem, proprioremque illius interpretationem animadverſa ſunt. Nimirum exinde apprime confirmari, quod Pausanias memoriae prodidit, inter reliquos Graeciae populos ſingularem, effuſumque cultum Bithynio adoleſcenti Arcades exhibuiſſe; *Equum* in adverſa facie excuſum, eſſe illud ipſum Arcadum ἐπί-

1 Confer *Muſeum Piſanum Tab.* XXIX. 2 *Vol.* I. *pag.* 181.
3 *Les Ceſars de l' Empereur Julien. pag.* 73.

ἐπίσημον, & inſigne, quod alias in gentis illius moneta conſpicitur; ac demum Vetvrivm, cujus nomine pecunia obſignata eſt, Arcadum Magiſtratum, vel Antinoi Sacerdotem exſtitiſſe. Qua in explicatione uti ingenium, & peritia, ita veritas continuo perſentiſcitur. Eam proinde amplexandam duco, nihilque huc accerſendum ex duobus illis adulterinis numiſmatis a callido παραχαράκτῳ ſuperiore aetate cuſis, altero ornatiſſimi templi ſpecie, altero *Boryſthenis* Hadriani veredi imagine diſtincto; inſculpta utrique nota: ΟΣΤΙΛΙΟΣ ΜΑΡΚΕΛΟΣ Ο ΙΕΡΕΥΣ ΤΟΥ ΑΝΤΙΝΟΟΥ. In vanum profecto hiſce monumentis plane ἀδοκίμοις explicandis tantam operam navarunt Nicasivs [1], & Webervs [2]: de quo plura dicerem, ſi haec praecipiendi tempus eſſet. Sed ut ratione, & via procedat oratio, quoniam huc dicendo producti ſumus, ſequitur, ut diſpiciamus, quid exiſtimandum ſit de aeneo muliebri ſigillo in tertia Commentariorum parte vulgato [3]. Quid ſentiam, quam breviſſime enunciabo. Neminem, ut credo, praeterit, nova Romani Imperii forma vix, conſtituta, Auguſtos inſanam, ac deridiculam Θεοποιΐαν ſic ſtudioſe affectaſſe, ut qui rerum ſummam, honorumque culmen eſſent indepti, Deorum nominibus fallaci praedicatione vivi etiam appellitari permitterent, populo interdum per inſignem aſſentationem rogante, interdum ipſorum Caeſarum ambitione, & arrogantia. Et quo gratior Principibus ea evaderet adulatio, ipſa Numi-

---

1 *De Nummo Pantheo Hadriani cap.* v.
2 *Antiquitates Antinoi*. 3 Edidimus *Vol.* II. *pag.* 19.

Numinum, cum quibus comparabantur, inſignia, & indumenta illorum imaginibus addi conſueverunt. Si vero ſcrutari vetera, & ex his ea praeſertim, quae nummorum typi produnt, eruere pergamus, eoſdem honores Auguſtorum uxoribus, filiabus, ſororibuſque vel a Senatu, & Vrbibus decretos, vel ab ipſis Imperatoribus affatim tributos condiſcimus. In his enim, ut dicam, quae ſcribenti in promptu ſunt, Livia Auguſti, & Plotina Trajani uxor *Iunonis* ſpecie effictae viſuntur; Marciana ejuſdem Imperatoris ſoror *Palladis* habitu expreſſa offenditur; Meſſalina, Fauſtina ſenior, Criſpina, Iulia Severi *Cereris* emblematis ornatae prodeunt; Livia rurſus ΜΗΝΗ ΣΑΜΙΩΝ, & Sabina ΝΕΑ ΔΗΜΗΤΗΡ inſcribuntur; Fauſtina junior *Dianae Luciferae*, & ΚΟΡΗΣ ΣΩΤΕΙΡΑΣ titulo, effigieque donatur; Iulia Domna *Cybelis*, Mamaea *Iſidis*, Plautilla *Veneris*, Cornelia Salonina *Veſtae* nomen, formamve referunt. At in hac nummorum claſſe nullus fortaſſe illo ſpectabilior, in quo hinc Liviae Auguſti conjugis caput cernitur, cum epigraphe: ΛΙΒΙΑΝ ΗΡΑΝ ΛΑΡΙΝΟΣ, *Liviam Iunonem Larinus* (colit): illinc Iuliae ejuſdem Auguſtae filiae, quam ex Scribonia ſuſceperat, & M. Agrippae Vipſanio nuptum dederat, caput ambit ea inſcriptio: ΙΟΥΛΙΑΝ ΑΦΡΟΔΙΤΗΝ, *Iuliam Venerem* [1]; ut quo pervenerit peſſimum illud Graecorum univerſae Imperatorum familiae ablandiendi ſtudium intelligatur. Quibus rebus diſputatis, nullus

d haeſi-

1 Vide MORELLVM *Specimen Rei Nummariae Tab.* xx. *pag.* 203. VAILLANTIVM *Num. Graec. Imp. pag.* 7. GORIVM *in Praefat. ad Columbarium Liviae Auguſtae*.

haeſitans affirmaverim, ſigillum ſub Χλωρίδος ſpecie conflatum (Flores quippe non ſpicas in dextera geſtat) ad aliquam Auguſtam, aut Auguſti conſanguineam poſſe commodiſſime referri. Intuenti autem mihi, omnique oculorum acie contemplanti ipſius Ivliae Octaviani filiae lineamenta, vultumque videre viſus ſum; cui ſane florum faſciculus, coma cirrata, mitella, flammeum eleganter dependens, junior vultus eo convenientius a statuario tributus fuit, quo magis molliſſima femina exquiſitiorem cultum luxurioſe quaeſiiſſe, & omne ornamentorum genus impenſe adamaſſe a Macrobio traditur [1]. Quum autem nullae, quod ſciam, exiſtant Auguſtarum statuae *Florae* imagine, inſignibuſque exſculptae, plurimum commendationis, laudiſque huic noſtrae, novitate ipſa accedit. Cujus quidem baſi, ſi quid eſſet inſcribendum, libenter adjicerem: ΙΟΥΛΙΑ ΝΕΑ ΧΛΩΡΙΣ. Illi equidem antequam in flagitia ſe ingurgitaret, probriſque omnibus contaminaretur, mitis humanitas, placidi mores, animuſque ad comitatem temperatiſſimus ingentem gratiam apud populum conciliabant [2]. Quo factum puto, ut non a Graecis modo, ſed a Latinis etiam Monetariis Dearum habitu repraeſentaretur. Namque in nummo, quem appoſuimus M. Agrippae, cui nondum

Tempora navali fulgent roſtrata corona;

mulier

1 *Saturnal. lib.* II. *cap.* V. 2 *Ibidem*.

mulier ſedens, velata, haſtamque tenens, ipſa Iulia *Iunonis*, vel *Foecunditatis* effigie adumbrata creditur. Igitur ne qua ſit admiratio, Iuliam etſi ΣΕΒΑΣΤΗΝ numquam dictam, nec inter Divos certe relatam, ejuſmodi obtinuiſſe honores. Sed quandoquidem eſſe viros doctos audiebam, qui non Iuliae ſed Liviae potius ſimulacrum eſſe rebantur, exemplar aurei numiſmatis, quod ad Liviam referri conſuevit, quodque ex eodem cimelio ſuppetebat, inferius adjeci; ut me aliorum judicio plurimum tribuere, atque indulgere demonſtrarem, moremque gererem NANIO meo, cujus voluntati, conſilioque repugnare mihi nefas ſit; non quod revera inter antiqui aevi monumenta illud haberi poſſe cenſeam; alibi enim cauſſas graviſſimas expoſui, cur nummum ipſum recentis typi opus eſſe exiſtimem [1].

§. IX. Ad ſepulcralia emblemata omni cunctatione abjecta aio referri oportere binos GENIOS, contra morem ἀπτερύγυς, Nicopoli delatos [2] vultu ſubtriſti, capite in laevum humerum paullulum reclinato, corollas collapſis manibus tenentes. Fulcrumque ſtriatum, cui videntur placide inniti, non ambigo eſſe inverſas, atras, & ſine luce faces, quarum imagine mortalibus obnunciabatur, ſublata nobis lucis uſura, SOMNO AETERNALI fore contradendos [3]. Namque ut habet argutus poeta:

Nobis cum ſemel occidit brevis lux,
Nox eſt una perpetua dormienda.

 Ex

1 *Animadverſiones Philologic. ad Num. Marci Antonii* §. VIII. *p.* 56.
2 *Vol.*I. *p.*90. *Vol.*II. *p.*275. 3 *Vid.* CUPERUM *Apotheoſis Homeri p.*178.

Ex veterrima autem, ac religioſa caeremonia, quae in inferiis apud univerſos Graeciae populos obtinuit, ut qui funus curarent, florida ſerta, vel etiam metallica mortuorum capiti adaptarent, vel in urnam cum cadavere conjicerent, vel monumento circumponerent [1], mos profluxiſſe videtur, ut corollae laureae, aut myrtaceae in oſſuariis, tumulis, ſarcophagis largiter caelarentur. Sed Graeci omnium ingenioſiſſimi artifices, quo major his monumentis accederet venuſtas, lethaeas coronas in Geniorum manibus primi poſuerunt, eoſque plerumque ſepulcro utrinque adſtantes, vel defuncti imagini, titulove adjacentes exculpſerunt, quandoque etiam in operis faſtigio collocarunt. Plena eſt exemplorum antiquitas, ut tam conſentiens, & continuata Geniorum ſepulcralium fingendorum ratio addubitare minime ſinat, quis fuerit noſtrorum uſus. Dolendum vero, quod Statuam Corcyrenſem ita diſſiparit aera potis abolere vetuſtas, ut nihil ex ea aetatem tulerit praeter caput murali redimitum corona [2]. Ex qua tamen augurari, dicam audacius, manifeſto perſpicere licet, quaenam Statua exſtiterit. Et ſane liquet coronam ejuſmodi praemium fuiſſe, quod tamen parciſſime dabatur ei, qui primus obſeſſae urbis murum conſcendiſſet, evertiſſetve, ut facilius capi poſſet. Sed caput inibi a me prolatum mulieris perſpicue eſt. Itaque ad ſtrenuum aliquem militem referri minime poterat. Fuit praeterea coronamenti genus *Matri Deum* attributum; ſiquidem

Tur-

---

1 Legeſis PASCHALIVM *de Coronis lib.*IV. *c.*V. *c.*VI. 2 *Vol.*I. *p.*190.

Turrigenam frontem Cybele redimita coronis,

communiter oſtentabat, quod urbes ſuſtinere, tutarique putaretur. At in noſtro hoc ſaxo Cybelis lineamenta, ſi quid ſapio, nequaquam ſublucent. Quocirca quum nihil frequentius in Graecis nummis occurrat, quam Vrbium imagines habitu muliebri, capiteque turrito, perſuaſum omnino habeo, illud marmoreum caput Corcyrae repertum, ad ſignum ac ſimulacrum illius civitatis pertinuiſſe. Nullae ergo heic ſalebrae praetenduntur, nihilque nobis obverſatur ad expediendum difficile. Contra vero dictu proclive haud eſt, quid ſibi velit, quid portendat, & cujas ſit ſigillum illud aeneum [1] referens mulierem ſtolatam, pileo Phrygio, aut potius Perſico decoram, amictu ἀςεροειδεῖ, ſoleis acuminatis, & recurvis, columbam in dextera gerentem. Quis tam lynceus ſit, qui in tanta formae peregrinitate, in tanta veſtimenti inſolentia non offendat, animumque non ſentiat in deliberando diſtrahi? Quid mihi ſubierit cogitare, aperiam, paucíſque comprehendam. Cythereia porro ales Veneris individua comes, eique tantopere dilecta efficit utique, ut hoc ſigilli ſymbolo conſpecto, ſtatim in mentem veniat Diva potens Gnidi, Paphique regina. Verum amictus ſtellis diſtinctus continuo monet, hanc non eſſe Venerem Πανδήμον, non Ἐπιποντίαν, non Ἀναδυομένην, ſed multo probabilius Ἀφροδίτην Οὐρανίαν. Sapientiſſime enim

1 *Vol.* II. *pag.* 130.

enim ab antiquis artificibus factum, proviſumque conſpicimus, ut in Numinum imaginibus pingendis ea inſignia maxime apponerent, quae patefacerent, quam quiſque Deorum teneret ſedem, incoleretque regionem, indeque intelligi poſſet, num in ſuperum, aut terreſtrium, aut inferorum claſſe eſſet conlocandus. Quapropter etſi veſtis variegata, & Phrygium in morem picta Parthorum, Perſarumque propria videatur [1]; ideoque cum mitrae genere conſentiat, heic tamen pro *Veneris Coeleſtis* inſigni lubentius acciperem. Iſidem flammeo ſtellato indutam exhibet vetus gemma [2]; quod non alia de cauſſa illi datum fuit, niſi quia pro Luna quandoque coleretur, habereturque tamquam Numen per Olympum vagans, ſive quod dixit Horvs Apollo [3], ſublime, & lucidum ſidus Aegyptiis eſſet. Quid ni ergo veſtis ſtelligera Veneri pariter tribueretur, quae inter Planetas locata, Vraniae, & *Dominae Coeli* nomine culta eſt [4]? In hoc itaque ſigillo ſpectanda offenditur Ἀφροδίτη ἡ πρεσβυτέρα καὶ ἀμήτωρ, οὐρανοῦ θυγάτηρ, ἣν οὐρανίαν ἐπονομάζομεν, *Venus ſenior, & ſine matre, Coeli filia, quam Caeleſtem nominamus* [5]. Illam Graecos ſingulari obſervantia, cultuque eſſe proſequutos, Plato tradit [6], ejuſdemque religionem Athenas invexiſſe

1 Themistivs *Orat.* XXIV.
2 *Theſaur. Gemmarum Aſtriferarum Tab.* XXVII.
3 *Hieroglyph. lib.* I. *cap.* III.
4 Vide Seldenvm *de Diis Syris Syntag.* II. *cap.* IV. Schedivm *de Diis German. cap.* IX.
5 Plato *in Alcibiade.* 6 *In Timaeo.*

xiſſe Aegeum, ſcriptum eſt apud PAVSANIAM [1], ut minime mirum eſſe debeat, illius ſigna in Graecia adinveniri. Sed quum omnis hujuſce Deae religio ab Aſſyriis, Phoenicibus, Perſis promanaverit, debuerunt ejuſdem ſimulacra a Graecis artificibus ad Aſſyriorum, Phoenicum, Perſarumque morem accommodari. Atqui in his, quae ſuperſunt, gentium illarum monumentis ſimiles caliptras, atque veſtes, calceos oblongulos ſe deprehendiſſe narrant docti peregrinatores. Igitur Venus Vrania heic ea ſpecie repraeſentatur, qua forte in Graeciam primum pervenit. Tandem in his, quae ad calcem tertiae, atque etiam in quarta commentariorum parte edidi, ſigillis figularibus [2], ſive Donaria, & χαριστήρια Diis oblata, ſive Xenia fuerint in *Feſto Sigillariorum* miſſitanda [3], nihil magis obſervatu dignum, quam tam varius mulierum Dalmatarum, Corcyrenſium, & Athenienſium comarum ornatus, tamque peregrina Galericulorum forma, ut harum rerum curioſi multa ex his noſtris collectaneis addiſcere poſſint, quae alibi fruſtra requirerent.

§. X. DE Statuis, ac ſigillis ſatis dictum eſt: nunc anaglypta conſideremus. Primum Nicopoli Venetias delatum refert puerum egregia forma, clamyde ad collum fibulata, qui

Pellibus incubuit ſtratis, ſomnoſque petivit [4].

Lectulo

1 *Attic.* ſive *lib.* 1. *cap.* 11.
2 *Vol.* 11. *pag.* 110. 131. 169. 202. 245. 261. 269.
3 Confer *Votum Minervae Hygiae*. *Vol.* 11. *pag.* 168.
4 *Vol.* 1. *pag.* 62.

Lectulo pellibus ſimiliter apparato, compoſitoque pronus decumbit Ἑρμαφρόδιτος Muſei Florentini unus omnium ſculpturae nobilitate, & abſolutione commendatiſſimus.[1] Somnum etiam Leonis exuviis indormientem vetera monumenta demonſtrant.[2] Ex quo certe conficitur, magnum fuiſſe ad cubandum pellium uſum. Ovillas ſibi ſuppoſuit Achilles[3], bovinas Vlyſſes[4], Vaccarum Daphnis[5], Libyſtridos urſae Aeneas[6]. Qui uſus ab heroicis temporibus ad inſequutas aetates fuit propagatus[7]. Ego tamen nullo modo auſim vituperare noſtri aevi ſculptores, eoſdemque ab antiquorum moribus prorſus diſceſſiſſe numquam dixerim, ſi quandoque dormientium ſignis non pelles, ſed τυλεῖα, & ςρώματα ſubſternunt. Nam ut praeteream notiſſima vetera monumenta, in quibus toris, & ſtibadiis ſuperpoſitae cernuntur culcitae turgentes, ut indicio ſit, plumis, ſtramine, foliis, aliove tomento fartas fuiſſe, HOMERVS ipſe, ubi Achilles lectum Priamo componi jubet, quatuor nominat, quibus torus ille conſtabat: Δέμνια, Ῥήγεα, Τάπητας, χλαίνας[8]. Quarum rerum uſum ſic explicat EVSTATHIVS: ὑποκεῖσθαι μὲν δέμνια δίκην κλίνης, καὶ ῥήγεα χάριν ἀναπτώσεως· ὑπερκεῖσθαι δὲ τάπητας μὲν εἰς σκέπην· Χλαίνας δὲ εἰς ἔνδυσιν *Culcitas ſubſtratas eſſe ad recumbendum, lodices vero ad relaxationem, quibus ſuper-*

---

1 GORIVS *Muſeum Florent. Statuae Antiqu.* Tab. XL. XLI.
2 V. TOLLIVM *Epiſtolae Itinerariae Ep.* III. & ad eum locum HENNINII Obſervationes. 3 *Iliad.* H. 4 *Odyſſ.* K.
5 THEOCRITVM *Idyll.* IX. 6 *Aeneid. lib.* VIII.
7 V. ALSTORPHIVS *de lectis antiquor. cap.* V.
8 *Iliad.* Ω. v. 644.

ſuperpoſiti tapetes in tegumentum, chlaenas vero ad induendum [1]. Igitur perſpicuum fit, antiquiſſimos, ultimaeque memoriae populos non pellibus tantum, ſed culcitis etiam ad cubandum eſſe uſos. Sed ut revertar ad illud, quod maxime in hac eſt oratione propoſitum; ecquem eſſe dicemus adoleſcentulum quieti blandiſſime indulgentem? Fuerunt, qui in hoc toreumate ipſius Somni imaginem deprehendere ſibi viſi ſunt, a quibus omnino diſſentio, quandoquidem nec *Papavera*, nec *Vas*, aut *Cornu* ad ſoporem, ſomniaque mortalibus immittenda inibi cernuntur [2], nec ullum eorum ſymbolum, quae Somno attribui conſueverunt. In illorum potius ſententiam concederem, qui puerum ἀνδρόγυνον repraeſentari exiſtimant: quo ſignorum genere Graeci delectati ſunt.

§.XI. Naniorvm Muſeo augendo, ornandoque Sparta, & Cythera, ſi ita loqui fas eſt, ſymbolam contulerunt ſuam. Huic quippe Inſulae quum appuliſſet Venetae Claſſis Architalaſſus Jacobvs Nanivs Senatoris Fr. anaglyphum ſummo artificio, & eximia venuſtate redemit, quod illuc Sparta deportatum a popularibus perhibebatur [3]. Hujus autem egregiae ſculpturae ὑπόθεσις eſt Hercules τριποκλέπτης, Apolline inſequente, valideque obnitente, ut avectum de Delphico templo tripodem recuperet; Hercules vero elata minaciter clava dum Apollinem terrere, ac propulſare tentat, prae-

e dam,

1 *Comment. ad h l.*
2 V. Tollivm. *l. c.* Montfavconivm *Antiquit. Expl. Tom.* I. *Part* II. *lib.* IV. *Supplement. Tom.* I. *lib.* VI.
3 *Vol.* I. *pag.* 114.

dam, quam clepſit, tutatur. Inter Herculem, & Apollinem tripodem prehenſantes ſtat ipſius tripodis operculum, ὅλμος, ſeu cortina [1], quae loco ſuo fingitur excidiſſe. Illud autem admirationi mihi ſemper fuit, cur inter tot Amphitryonis filii geſta, quae ad excitandam artificum peritiam, cogitationeſque inflammandas per ſe ſe ſunt aptiſsima [2], hoc unum Graecis ſculptoribus tantopere in deliciis fuerit, ut habiti pro tripode certaminis effictio, & imago toties marmori reddita reperiatur. In iconibus, quas, referente Pausania, in Apollinis aede Theſſalici belli tempore dedicarunt Phocenſes, celebrantur ſigna Herculis, & Apollinis, qui ἔχονται τοῦ τρίποδος, καὶ ἐς μάχην περὶ αὐτοῦ καθίσανται, *tripodem prenſitant, ac de eo ſunt pugnam commiſſuri* [3]. Eadem fabula exciſa conſpicitur arae lapideae τριπλεύρῳ Regiae Dreſdenſis pinacothecae [4]. Rurſus in lautiſsima ſuburbana villa Em. Cardinalis Alex. Albani, Lucullo, Manlio, Pollione digna, duo exſtant toreumata, in quibus haec ipſa Herculeae hiſtoriae periocha expreſſa occurrit [5]. Quorum unum Spartano, ſeu Cytheriaco ita eſt perſimile, ut ex eadem ſchola, atque ſub idem tempus utrumque prodiiſſe videatur: quae toreumata dum con-

1 De *Cortina* docte, copioſeque diſputatum a Schotto, *Explication Nouvelle de l'apotheoſe d' Homere* §. II.

2 Adi celeberrimum Com. de Caylus *Hiſtoire d' Hercule Thebain. Prefat. pag.* 5. 3 *Lib.* x. ſive *Phocic. cap.* XIII.

4 *Recueil des marbres antiques, qui ſe trouvent dans la Galerie du Roy de Pologne. pag.* 3.

5 Meminit horum marmorum Cl. Winkelmannus *Deſcription des Pierres Gravées du B. Stoſch. Claſſe Seconde pag.* 284.

contemplor, invicemque confero, non veriſimile modo, ſed prope evidens mihi fit, in hoc noſtro etſi lapidis diſſultu nonnihil vitiato nihil eſſe ſupplendum, neque hinc Minervae, illinc vero Latonae imagines, ut in Phocenſi donario, eſſe ſufficiendas. Conſpectis namque memoratis monumentis negari minime poteſt, Graecis ſculptoribus uſitatum plerumque fuiſſe, ut in hac pugna effingenda, miſſis caeteris, quae a fabulatoribus tradebantur, nonniſi Herculem, & Apollinem in ſcenam inducerent, hiſque duobus actoribus tabulam oppido abſolvi poſſe crederent. Quae quum ita ſint, illud etiam conſequitur, Nanium marmor a Phocenſi anathemate longiſſime diſtare; quod vel ipſa ſculpturae ratio evincit, quae ubique illos ſpirat feliciores conatus, proceſſuſque, ad quos, Phidia praeeunte, ars ſtatuaria dudum jam pervenerat. Quod ſi hocce Herculis facinus tanti Graecis viſum eſt, ut dulciſonis carminibus paſſim celebraretur: *παραδεξάμενοι οἱ ποιηταὶ τὸν λόγον, μάχην Ἡρακλέους πρὸς Ἀπόλλωνα ὑπὲρ τρίποδος ᾄδουσιν*, *hinc poëtae ſumpto argumento, fabulae mandarunt Herculis, & Apollinis de tripode pugnam* [1]; haec ipſa cauſſa procul dubio effecit, ut idem thema a ſculptoribus ob oculos perſaepe proponeretur. Quid enim tam factu pronum fuerat, quam ut ea hiſtoriae pars, quam populus identidem vel auribus hauriebat, vel in theatro a tragoedis exhiberi videbat, marmori ad perennitatem, jucundiſſimamque recordationem conſignata

 ta

1 PAVSANIAS *ubi ſupra*.

ta exſtaret ? Eam ſiquidem materiam, quam vates poëticis luminibus dignam cenſebant, artifices ſibi exprimendam, illuſtrandamque libentius ſumpſiſſe, proditum memoriae eſt.

§. XII. CYTHERAM aemulata quodammodo eſt paullo a Peloponneſo remotior Inſula Melos, quae Nobiliſſimis NANIIS antiquitatum undique conquirendarum ſtudio flagrantiſſimis ſuperbas opes de imo ſinu deprompſiſſe, obtuliſſeque videtur. In his eſt vas anaglyphum poſt *Primam Commentar. Partem* [1] a nobis vulgatum, cujus παράστασιν ad rem funeralem facile revocarem. Namque ſi conferantur, quae a me fuſe ſunt demonſtrata de moeſtiſſimo vita decedentium geſtu, complexuque ſupremo [2]; tum homo aetatis plenus, galero tectus, ſedens, dexteram viri e regione ſtantis apprehendens, duobus adſtantibus pueris, quorum alter in ſenem dolens, quaſique aliquid poſcens, manus tendit, merito credi poterit Paterfamilias extremum diem obiturus, filio, ac nepotibus aeternum valedicens: haec enim ſpecies eſt, hicque poſitus, quo in ſepulcralibus toreumatis a Graecis exprimi conſueverunt, qui naturae debitum erant perſoluturi [3]. In Ithacenſi tandem anaglypho (hoc unum enim explicandum relinquitur) [4] meo quidem animo

Rex erit: is qui ſit, ſigno non nomine dicam;
Cornua fronte gerit . . . .

Scili-

1 *Vol.* I. *pag.* 136. 2 *Vol.* II. 243. 3 *Vid. in Part.* IV.
4 *Vol.* II. *pag.* 100.

Scilicet protome illa viri barbati, cornibus, quae vix ſupra pileolum ſeſſilem prominent, & veſte virgata, veroſimiliter eſt Herois alicujus, qui in Ithaca auctoritate, potentia, ſtrenuiſque factis plurimum valuit, cujus idcirco capiti tegumentum *δικέρων* ſculptor ſcienter aptavit. Adeo verum eſt potentiae, majeſtatiſque indicium id fuiſſe, ut Numina ipſa fingerentur cornuta facie, atque hominum, ac Deorum pater & Rex, *διπυκέρως* ſit appellatus. A Superis vero ad Aſiae, Graeciaeque Reges, viroſque Principes, quos ad ſummum in Repub. gradum vel ſumma virtus, vel populorum voluntas evexerat, ſymbolum hoc tranſlatum fuit. Thraces primi fuere, qui, ut habet HERODOTVS, cornua ſuper caſſides detulere [1], eo certe conſilio, ut majorem de ſe aliis ingererent opinionem, ac terrorem. De Atiochenis autem illud perhibet LIBANIVS: *τιμῶσι εἰκόνι χαλκῇ τὸν Σελεῦκον ταυρῶ κέρατα τῇ κεφαλῇ προθέντες*, *statua aenea honorant Seleucum, capiti ipſius tauri cornua adaptantes* [2]. Igitur, ne infinitos propemodum alios Reges, Duces, Proceres, Legumlatores, fundatoreſque civitatum memorem *κερατώδεας* depictos, atque rei exploratiſſimae diutius inſiſtam, quae protuli argumento ſatis ſunt, ut in noſtro lapide virum aliquem, qui honoribus, imperio, aut recte factorum gloria in Ithacae primoribus fuit, repraeſentari exiſtimem.

§. XIII. RELIQVA erudita ſupellex non longam orationem deſiderat. *Genium Dianae* paullo ſuperius appella-

1 *Lib.* VII. ſive *cap.* LXXVI.

2 *In Antiochic. Tom.* II. *Orat.*

pellavi alatum puſionem in phiala vitrea caelatum, belluas arcu appetentem, quod probe ſcirem, Numina etiam ſuos habuiſſe Genios, quibus eadem emblemata, & inſignia tribuebantur, quae Deorum propria putabantur. Ne quis tamen credat, me in antiquitatibus interpretandis ita abripi ancipiti conjectura, ut potius mirabilia, quam quod ſimplex, ſincerumque eſt, ſtudioſius quaeram, non ibo inficias, id genus venationes ſaepe eſſe meros artificum luſus ad operis elegantiam, quibus nulla ſubeſt religionum ſignificatio. In hoc ipſum tempus, pro ea, quam apud animum conſtitueram, ſcribendi ratione, mihi reſervaveram, ut aliquid commentarer de quinque Graecis Gemmis [1], quarum graphidem ab illuſtri SEN. NANIO, acceperam, quum vix ad ejuſmodi antiquitates interpretandas me contuliſſem. Quaerendumque potiſſimum videbatur, an

Virgo armata, decens rerum ſapientia, Pallas,

cui in majoris formae carneola *Serpens* comes datus eſt, ſit Ἀθηνᾶ Ὑγιεία [2], an potius Πολιὰς, cujus aedes ab angue dicebantur cuſtodiri, qui eam ob rem ὄικυρος ὄφις fuit nuncupatus [3]. Tum inveſtigandum erat, an inſcriptae litterae artificum nomina demonſtrent, vel potius denotent poſſeſſores Gemmarum, vel ad rem ipſam in lapillis inciſam alludant. Sed acci-

1 *Vol.* 1. *pag.* 204.
2 De ea a nobis per ſaturam actum eſt poſt *Part.* III.
3 Conſule MONTFAVCONIVM *Antiqu. Expliq. Tom.* I. *Tab.* LXXXI.

accidit, ut dum ſecundum meorum Commentariorum Volumen excuderetur, Cl. Passerius homo acerrimo ingenio, & praeſtanti doctrina, nobiſque, & ſtudiis iiſdem, & vetuſtate amicitiae conjunctiſſimus has ipſas gemmas ediderit [1]. Cujus ego nomini, judicio, auctoritatique quum tantum tribuam, quantum viro penitioris antiquitatis conſultiſſimo tribui fas eſt, ipſius enarrationes hac in re adiri jubebo. Duo alia ſunt, quae ſuis locis monere par erat, quaeque mihi ſcribenti, quod humanum eſt, memoria exciderunt. Quum de Damocleae, & Themiſtocidis donariis Dianae ſacris agerem, his apte declarandis epigramma ex Kustero veluti percurrens deſcripſi [2], nihilque de illius auctore tum cogitationi ſuccurrit animadvertendum. Sed quum opus ipſum deinde recenſerem diligentius, venit in mentem, eſſe *Hexaſtichon*, quod in Constantini Cephalae Anthologia reperitur, & ingenioſo poëtae ΦΑΙΔΙΜΩ adjudicatur [3]. Rurſus de Nymphis acturus aeneae lampadis ectypum praemiſi [4]; ſed ſilentio incaute praeterii, elegantiſſimam illam lucernam, etſi impraeſentiarum apud Nanios exſtet, longe antea a notiſſimo λυχνογράφῳ, Fortunio Liceto fuiſſe vulgatam [5]. Quumque lucernae emblemata unice perſequerer, ea me cepit oblivio, ne monerem, inſcriptionem

1 *Oſſervazioni &c. Sezione* III. *pag.* XXXIV.
2 *Vol.* I. *pag.* 24.
3 Edit. Lipſiens. Inter *Dedicatoria*. 517.
4 *Vol.* I. *pag.* 217. de ea *pag.* 221.
5 *De Lucernis Antiquor.*

nem in lucernae cratere notis compendiariis exaratam : C. I. C. I. O. M. S. ſic reddi oportere : *Cajus Iulius Caeſar Iovi Optimo Maximo Sacravit* . Quae duae res heic ingenue fatendae , & ante denunciandae fuerant , ne aut in veterum ſcriptorum teſtimoniis recitandis minus ſolertem , minuſque accuratam operam poſuiſſe culparer , aut quae jam comperta ſunt , pro ἀνεκδότοις , & peregrinis obtrudere velle viderer .

§. XIV. Sed finis huic ſermoni aliquando conſtituatur . Erunt fortaſſe qui in hoc anteloquio non tam cauſſam , quae me ad ſcribendum impulit , quam Muſei illius deſcriptionem quaerant , unde praeclariſſima monumenta delecta fuerunt ; aut mirentur , quamobrem Ampliss. Senatoris Nanii , cujus efflagitatu , voluntateque haec litteris mandare inſtitui , ingenium , ſtudia , merita in anteceſſum non percenſuerim : ſolent enim in his rebus verſari librorum hujuſmodi prooemia . Sed ea omnia ita a me ſunt in ipſo Commentariorum ingreſſu abunde explicata , ut non eſſent profecto hoc loco iteranda . Alii denique in multo nequiorem culpam me adducent , quod datam pluries fidem fefellerim . Spoponderam namque ſemel atque iterum [1] , editurum me ad Commentariorum calcem Diatribam *de Peloponnenſium Monumentorum Scriptura*, ex qua tum de varia marmorum aetate , cum de multiplici Graecorum Palaeographia aeſtimare liceret . Quid ergo , quod tam utilis , ac pene neceſſaria , quam me daturum receperam , tractatio non ſit his libris

1 *Vol.* I. pag. 197. *Not.* 2. Item *pag.* 213. & *Vol.* II. *pag.* 98.

bris comprehenſa? Fuit aliquid Typographo petenti indulgendum. Nimirum rogabat ille, ne novo hoc auctario, novas interponerem, praetexeremque moras, quibus duo jam abſoluta, praeloque dimiſſa Volumina, diutius in apotheca librorum deliteſcere cogerentur; quoniamque aliqua hujus operis expectatio injecta fuerat, urgebat, ne impedirem, quominus antiquitatum cultoribus gratificari approperaret. Cujus poſtulationi tanto facilius aſſentiendum duxi, quanto accommodatior huic Diatribae locus eſſe poteſt in illis, quos de iiſdem Peloponneſiacis Antiquitatibus deinde edemus, libris. Novae enim ex ea regione Graecae opes in dies Venetias adventant, & NANIORVM Cimelio prope quotidiana fit acceſſio. His ego interpretandis lubenti animo operam dabo, ſi tempus a negotiis vacuum nactus fuero, ſatiſque mihi ab immortali Deo tribuetur virium, ac valetudinis; crebro enim haec imbecillior, languidiorque eſt, quam ut aſſiduae, graviſſimaeque litterarum exercitationi ferendae par eſſe poſſit. Quod etiam in cauſſa fuit, ut hi tenues vigiliarum noſtrarum fructus ſerius, quam optaveram, ſperabamque, in hominum conſpectum prodeant. In his porro errores, qui viris caetera eruditis majora forte molientibus exciderunt, interdum patefeci, interdum etiam libere coargui, ac caſtigavi. Verum

. . . . non ego paucis
Offendar maculis, quas aut incuria fudit,
Aut humana parum cavit natura.

Sed quoniam veritatis inveniendae ſtudio permoti, ductique aliorum profligavimus ſententias; ita profecto non moleſte feremus, ſi quis noſtros evolvens libros, allinet atrum tranſverſo calamo ſignum, multaque in his expungenda, reprehendendaque fore cenſuerit: quemadmodum enim ſine invidia, ac malevolentia aliorum judicia refellimus, ſic refelli ſine iracundia parati ſumus.

COM-



Alt. pal. Rom. 1.

COMMENTARIORVM
ΣΥΝΟΨΙΣ.

PARS PRIMA.

Colvmnae Dianiae.

ΠΡΟΣΦΩΝΗΣΙΣ.

Praeclarum, & maximum Senatoris BERNARDI NANII *in antiquis monumentis colligendis, comparandiſque ſtudium. Muſei ipſius copia, varietas, & praeſtantia. Marmora ex Peloponneſo, Inſuliſque adjacentibus in illud invecta. Quorum ſeries a Columna* DIANAE *ſacra inchoatur. Epigrammatis illi inſcripti duplex exemplar, & verſio.*

§. I.

Diana πολυωνύμη *in* ORPHICIS, *&* ARISTOPHANI *dicta. Ex tribus praeſertim fontibus ipſius agnomenta repetita. Certis Dianae nominibus certum aliquod ſymbolum conſtanter adpoſitum. Varia Deae nomina apud* HOMERVM, OPPIANVM, CALLIMACHVM, DIODORVM *ope nummorum, & marmorum explicantur. Ea quandoque uno in lapide coacervata. Vetus inſcriptio a* DORVILLIO *emendata. Plures Dianae in antiquo* KYRIACI *lapide recenſentur. Quid agnomen* **ΚΕΛΚΑΙΑΣ**, *quod Dianae datum in noſtra columna primo apparet.* ARRIANI *teſtimonium videtur certiſſime indicare.* BLANCHARDI *lectio probatur.* PALMERII *interpretatio exploſa.* SVIDAE *locus reſtituitur. Quomodo Dianae* **Κελκαίας** *religio ad Athenienſes, exinde vero ad Peloponnenſes migrarit ex* HESIODO, LVCIANO, *&* CICERONE *deducitur. In primo columnae verſu neque* **ΚΕΛΕΥΘΕΙΑ**,

ΘΕΙΑ, *neque* ΧΑΛΚΕΙΑ *pro* ΚΕ ΛΚΑΙΑ *legi poſſe oſtenditur*.

§. II.

Donaria, variique generis χαριστήρια *Dianae oblata. Vas HOMERICIS verſibus inſigne huic Numini dedicatum. Pepli, & Calceorum* ἀνάθημα, *cujus meminit PHAEDIMOS vetus poeta, cur Dianae datum. Votum Damocleae ex Muſeo NANIO producitur, & explicatur. Ilithyiae effigies in Graecis nummis. Religio, & cultus a PLATONE praeſcriptus. Bos in monumentis Dianiis quid ſignificet, EVRIPIDIS, DIODORI, DIONYSII teſtimonio docetur. Pons Epheſi tutelae Dianae commendatus.* Superbi *agnomentum, quod in noſtra columna Colyrio tribuitur, qua ratione intelligi, explicarique fas ſit, THEOPHILVS ANTIOCH. indigitat. Agnomina ex varia hominum indole enata. In Graecis monumentis Latina agnomenta retento Latinae vocis ſono expreſſa. Qua aetate Colyrius hanc columnam veroſimilius dedicaverit. Forma litterae* ϲ *in noſtra inſcriptione continenter uſurpata, vetuſtiſſima oſtenditur. MONTFAVCONII de ea judicium antiquis nummis, marmoribuſque adverſari.*

§. III.

Horologia Dianae antiquitus dedicata. Lapis Nemauſenſis illuſtratur, emendaturque. Quaenam primum horologia adinventa, num Sciotherica, *an* Hydroſcopia. *HORAPOLLINIS, & DAMASCII fabellae de* ὑδροσκοπίοις *ab Aegyptiis inventis. APPIONIS commentum de Moſaico horologio. Obeliſcos apud Aegyptios pro Gnomonibus fuiſſe non aequinoctiis modo, ſed horis indicandis. A quibus Graeci, teſte HERODOTO, horologia acceperint. Hemyciclium Beroſi vetuſtiſſimum horometri genus; cur adeo propagatum. LAERTIVS, & SVIDAS cum PLINIO conciliantur. Sententiae ARISTOPHANIS, EVBVLI, ac MENANDRI male vexatae. SALMASII* ἀντιμαχίαι. *Vox* στοιχεῖον *quo ſenſu a LV-*

a LVCIANO, *aliiſque uſurpata . Horologia ante Alexandri M. aetatem adinventa , uſitataque .* XENOPHONTIS , *&* ANACREONTIS *teſtimonia . Horologium* φορηματικὸν *Herculanenſe nunc primo vulgatum deſcribitur . Antiquitas ipſius ex verſibus Comici* BATONIS *elicitur . De* Clepſydris *, maximeque hydropneumaticis , quarum fabricae Plato* ἔννοιαν *oſtendiſſe ab* ATHENAEO *dicitur .* ANTIPHILI *hexaſtichon de horologio Byzantino exponitur . Machinae horodicticae* compoſitae *in balneo Hippiae , & aviario Varronis . Altera clatris concluſa , ſigniſque perornata apud Allobroges . Quale probabilius fuerit Horologium a Colyrio Dianae devotum ex dictis colligitur .*

ſ. IV.

Columna Dianae dicata , num pro Deae ſimulacro accipi queat . Locus CLEMENTIS ALEX. *admodum ambiguus . Columna ab Eretrienſibus Dianae oblata , de qua* STRABO , μνημόσυνον *fuerat . De Columna a Megalco in honorem Muſarum poſita . In quem uſum noſtra Columna comparata . Antiqua* Solaria *columnis impoſita recenſentur . Scyphus argenteus anaglyphus nuperrime ad Portum Antii inventus deſcribitur . Segmentum illius aeri inciſum profertur . In ambitu* Sortes *eſſe expreſſas , & poculum inter donaria numerandum* HOMERI , POLLVCIS , ACRONIS , *&* PORPHYRIONIS *verbis probatur . Horologium in eo apposite , ſcienterque effictum .* HESIODI , MANILII , PTOLEMAEI *ſententiae in eam rem recitantur . De baſi Columnae ſuppoſita diſputatur. Quare baſes , & hypobaſes statuis , & vaſis ſubjectae in inſcriptionibus ſpeciatim memorentur . Quandonam columnis addi coeptarint . Dictorum conſectaria . Duplex ratio quare columnae , & horologii* ἀνάθημα *ad aedem Dianae poſitum fuiſſe credi debeat . Columna altera ſtriata , ſimiliterque Dianae ſacra ex Muſeo* OLIVERIO *evulgatur . De ea Diatribe epiſtolaris viri doctiſſimi* EDVARDI CORSINI .

ſ. V.

§. V.

Loca noſtrae inſcriptionis vel luxata, vel perplexa refinguntur. Sacerdotia Dearum feminis attributa primum apud Argivos, deinde per totam Graeciam. HELLANICI de Sacerdotibus Iunonis opus deperditum. Sacerdotes AVGVSTARVM. Pſephiſma Palenſium in honorem **ΑΡΧΙΕΡΕΙΑΣ ΤΗΣ ΣΕΒΑΣΤΗΣ** *ex Cephallenia in Muſeum NANIVM inlatum ſuppletur, & explicatur. Non omnes Dearum Sacerdotes innuptae HOMERO, PAVSANIA, PLVTARCHO teſtibus docetur. Hae tamen* Vnivirae, *&* **ἀπ' ἀνδρὸς συνουσίας** *abſtinere juſſae. Cujuſnam Auguſtae in pſephiſmate mentio injecta ſit, ex vario Cephalleniae facto inquiritur. De Dianae Sacerdotibus in Graecis epigrammatis memoratis. In*— **μελλιερὰς, ἱερὰς,** *&* **παριερὰς** *a PLVTARCHO diſtinctae. Antiſtitae Dianae Laphriae pompa in nummo* Coloniae Auguſtae Aroës Patrenſis *expreſſa. Quodnam fuerit* **Ὑποδιακονούσης** *officium. Servi* **ὡρολογηταὶ** *apud Graecos, & Romanos ab ATHENAEO, HESYCHIO, aliiſque commendati. In ſacris Iſiacis horam Miniſtros renunciaſſe. APVLEII locus illuſtratus. Hoc ipſum in aede Dianae praeſtitiſſe* **Ὑποδιακονοῦσαν** *conjicitur. Hujus Deae miniſterio* **Θεράπαιναι** *quamplures addictae. ACHILLIS TATII teſtimonium.*

§. VI.

Duo poſtremi inſcriptionis verſus reſtituuntur. Variam apud Graecos in Sacrorum Curatoribus deputandis politiam fuiſſe, ARISTOTELE praeeunte oſtenditur. **Ἐπιμελητὴν τῶν μυστηρίων** *Athenienſes primi induxere ex HARPOCRATIONIS ſententia.* Rex Sacrorum *apud illos, ac penes Romanos appellatus. Athenis tamen ampliori pollebat auctoritate. Praeter hunc primarium* **ἐπιμελητὴν** *fuiſſe ſpeciales cujuſque templi curatores, ex Latinis, Graeciſque inſcriptionibus evincitur. De Julio Theagene, cujus noſtra meminit inſcri-*

inſcriptio. An, & quando curatores νεωκόροι *nuncupati. Latina appellatio* **ΚΟΥΡΑΤΩΡ** *in Graeciam invecta.*

§. VII.

ΠΑΡΕΡΓΟΝ, *in quo vetus Anemoſcopium in agro Romano mox inventum illuſtratur. Hujuſce monumenti prae caeteris ejus generis praeſtantia. EVTROPIVS operis architectus, aut caelator in inveſtigandis ventorum plagis SENECAM ſequitur. In deſcribendis autem ſphaerae circulis GEMINI, ERATOSTENIS, ACHILLIS, PROCLI, CLEOMEDIS doctrinam amplexatur. Anemoſcopium omnibus ſuis partibus inſtructum exhibetur. Tabula ventorum eo ordine, quo in marmore exſculpta proponitur; eamdemque eſſe oſtenditur, quae VARRONI, SENECAE, AGATHEMERO, VEGETIO, ISIDORO probata fuit. CL. P. BOSCOVICH de hoc inſigni monumento judicium. Quamobrem anemoſcopium ſecus viam publicam conlocatum. An inſimul* Ara Ventorum *fuerit, ante quam peregrinatores ſupplicabundi illos ſibi propitios eſſe deprecarentur. De* ἀνεμολατρείᾳ *Phoenicum, Graecorum, atque Romanorum SANCHONIATONIS, XENOPHONTIS, NONNI, SENECAE, MALALAE, aliorumque documenta. De marmoris aetate conjecturae, & divinatio.*

PARS

PARS SECVNDA

Lex Sacrata Ithacensivm

ΕΙΣΟΔΟΣ.

Ithacae ſitus , ac natura ex HOMERI deſcriptione . Gemmae Homericae tres Vlyſſis fata referentes exhibentur , & cum aliis conferuntur . De Sirenibus ab Vlyſſe praetervectis , deque ventis ab eo in utrem coactis adnotatio praeambula . IACOBI NANII laus . Tabulae ab eo in Ithaca comparatae exemplar .

AD EAM LEGEM

ΠΡΟΘΕΩΡΙΑ

Sanctio a XENOPHONTE poſt praelium ad Coroneam columnae inſcripta , & Scilunte poſita recitatur . Signum Dianae cupreſſinum ab eo dedicatum , & Campus ſacer , quem Dianae obtulit , deſcribitur . Inſcriptio columnae Sciluntea eadem ac tabulae Ithacenſis . Quaevis novitii ſcalpri , fraudiſque ſuſpicio ab hac removetur . Graeci de αὐτονομίᾳ *retinenda perſtudioſi . PHILONIS teſtimonium . Quid Aſiacis Vrbibus a P. Aemilio , ab Artaxerſe , & Tiſſapherne attributum . Legum communio , docentibus POLYBIO , PLVTARCHO , THVCYDIDE , ex duabus tantum cauſſis oriri poterat . Neutram inter Lacedaemonios , & Ithacenſes interceſſiſſe ; nihilominus leges de Diis colendis communes utriſque fuiſſe demonſtratur . Triptolemi legem a PORPHYRIO memoratam apud Lacones obtinuiſſe . Tabula Ithacenſis legem ſacratam continens ante aeram Chriſtianam deſcripta .*

§. I.

Agri ſativi , & frumentarii Diis adſignati . Romulus in campis dividundis partem pro cultu ſacrorum excipit . Quid revera HOME-

HOMERO fuerit τέμενος *ex DIDYMO ALEXANDRINO declaratur. Ea vox ab HESYCHIO latius uſurpata. Latifundia Diis conſecrata ab HARPOCRATIONE aperte definiuntur. Ex illorum fructibus ſacrorum impenſae conſulebatur. Athenienſes Lesbiis devictis, & C. Manlius poſt conſcriptum cum Antiocho foedus Mileſiis praedia ſacra aſſignant. Heraclienſes* τὴν ἱερὰν γῆν *a privata ſuis terminis diſpertiendam cenſuerunt. L. Sulla campos Dianae Tifatinae dedicat. De ejuſmodi ſacris arvipendiis, eorumque fructibus THEODOSII, VALENTINIANI, HONORII reſcripta. Nicias pinguem agrum pro Apollinis cultu devovet in Delo. Deliaci, & Ithacenſis ſoli, agrique comparatio, ex his, quae TVLLIVS, HORATIVS, STRABO, AESCHYLVS, ONOMACRITVS, de illis tradiderunt, inſtituitur.* Δῆμος *pro* χώρῳ *ab HOMERO uſurpatur. Ex quibus conficitur, agrum Ithacenſem Dianae conſecratum anniverſariis ſacrificiis faciundis addictum fuiſſe. An Athenienſes terrae ſacrae* ἐργασίαν *Megarenſibus crimini dederint. PLVTARCHI narratio THVCYDIDEAE hac in re anteferenda.* Ἱεραὶ ὀργάδες *quaenam eſſent ex HELLADIO, & ETYMOLOGO explicatur. Lucos ſacros excidere quam nefaſtum, & impium eſſet. Megarenſes hanc culpam admiſiſſe. Praediorum ſacrorum proprietas, ut eſſent inviolanda. De illorum* ἀσυλίᾳ *nonnulla delibantur. Campus Daphniticus, ubi Ludi Olympici peracti, ejuſmodi fuit. STRABONIS verba, nummique Antiocheni exponuntur. Campos Epheſi, & Hierocaeſareae Dianae devotos hac ſanctitate donatos fuiſſe, harum urbium nummi patefaciunt. Idem de agro Ithacenſi dicendum.*

§. II.

Sacra Latifundia a Curatore aerarii ſacri colonis elocabantur. Exemplum petitur ex Rationario Athenienſi. Eum morem Athenis viguiſſe, docet ISOCRATES. Hanc locationem, conductionemve PLATO commendat. Num ea locatio titulum poſſeſſionis excluderet, GAIO, & SCHVLTINGIO facem

 prae-

prae ferentibus diſquiritur. In tabula Ithacenſi, qui agrum Dianae conduxerat, poſſeſſorem *jure appellari aſſeritur. Mire cum dictis conſentiunt Juriſconſultorum veterum reſponſa. Quis Magiſtratus agris ſacris praeeſſet.* **Ταμίας τῶν ἱερῶν χρημάτων** *quiſnam eſſet, quave auctoritate potiretur. Hujus officii primus videtur meminiſſe* ANDOCIDES. *Quaeſtori Deorum, rerumque ſacrarum primas concedebant Athenienſes.* DEMOSTHENES, *&* AESCHINES *vades dantur. Nibil in Latinorum officiis cum ea Quaeſtura plane convenire. Aerarium, & frumentum qua ratione* τὸ ἱερὸν *dici coeptaverit,* APPIANI, ATHENAEI, MARCIANI *verba denotant. De Paraſitorum apud Graecos acceptione adnotatio. Quaeſtorem ſacrorum redituum in Ithaca fuiſſe colligitur.*

§. III.

Decimas Diis ſolvendas PISISTRATVS *Athenienſibus praeſcripſit. Ipſius epiſtola a* LAERTIO *relata. Ithacenſes Decumarum penſitationem lege ſacra caverunt. Quae Graeci Diis colendis impendebant, crebro ex Hebraeorum diſciplina promanabant. Quod in decimis praedialibus apparet. Decimae Diis oblatae ad tria genera revocantur. Ex rebus bello partis, manubiis, & captivorum pretio. Marti, Apollini, Jovi, Olympio, Palladi, Dianae a communi Graecorum, Eleis, Athenienſibus, & Cyro perſolutae. Epigrammata, quibus Decimarum ſolutio palam prodebatur,* HERODOTVS, DIODORVS, PAVSANIAS *exſcripſere. Decimae ex Fodinis, & Portoriis. Harum meminere* STRABO, AMMIANVS, *Codexque* THEODOSII *in Canone Metallico. Ex utroque vectigalium genere decimas Diis obtuliſſe Siphnios, & Samios, narrat* HERODOTVS. *Decumas ex bonis publicatis Minervae penderunt Athenienſes. Ithacenſes Dianae Inſulae Soſpitae annuas decimas ex praedio ſacro decernunt.* FESTVS *ab iniqua* SCALIGERI *cenſura vindicatur. Quo anni tempore ab Ithacenſibus decimae veroſimilius perſolverentur.*

§. IV.

§. IV.

Lex ſacrata Ithacenſium de templo ſarciendo provide cavit. Ψυχὴ τῶν ἀγρῶν quae LIBANIO dicatur. Templum Dianae Ithacenſis ab agro probabiliter remotum. Aedes Deorum quam ſplendidae, & magnificae. Braſidas de templo Palladis jugiter ſufficiendo quantopere ſollicitus. THVCYDIDIS narratio. Inſtaurationis curam non Ταμίᾳ ſed Ἐπιμελητῇ commiſſam fuiſſe ſententia ARISTOTELIS manifeſtat. Curator, qui aedem Dianae ſartam tectam ſervaret, an Ithacae exſtiterit. De aedis illius architectura. An alia etiam Numina inibi colerentur. APOLLODORI, THEMISTII, DIONIS CHRYSOST. loca de Diis πτπικοῖς, & συνναίοις expenduntur. Luxatum, & hiulcum marmor Corcyrenſe integratur, reſtituitur, explicatur.

§. V.

Lex ſacrata a multis imperite definitur. Diris deprecationibus defigebatur, qui contra eam legem feciſſet. Hoc ſenſu ab Ithacenſibus lata. Quantum metus injicerent ejuſmodi devotiones, ac comminationes, PLVTARCHI auctoritate probatur. Pelaſgi quum decimas τῶν προσγινομένων ἁπάντων Diis non perſolviſſent, miſerrima quaequae perpeſſi. DIONYSII HALICARN. narratio examinatur. Ithacenſes qui Decumas compilaſſet, in Sacrilegis *habebant. Vti plecterentur apud Delphos. Miſeranda hujus ſupplicii exempla a PLVTARCHO, & AELIANO litteris tradita. Ῥαμνουσία Οὖπις eadem, ac Diana. Herodes Atticus Marathonius poſt fundi dedicationem, Dianae, aliorumque Deorum animadverſionem, & vindictam interminatur ei, qui agrum vaſtaverit. GORDIANI, & IVLIANI leges ad Τυμβωρύχους coercendos. Multa Fiſco danda ob ſepulcri violationem. Titulus T. Flavii Dionyſii emendatus exhibetur. De Ethnicorum formulis in jurejurando uſurpatis. Ὅρκιον σεβαστὸν quodnam fuerit investigatur. An juramentum* per Genium Principis. *HESIODO auctore eſſe μέγαν ὅρκον Θεῶν demonſtratur. Tantum-*

tumdem valere comminationem , execrationemque tabulae Ithacenſis .

ΕΠΙΒΛΗΜΑ

DE INSIGNI MONVMENTO ATHENIS RECENS DETECTO.

Schema ejuſdem monumenti ob oculos proponitur . Stadium Panathenaicum , ubi eruderatum fuit , a Lycurgo ad ulteriorem Iliſſi ripam exſtructum . Vt ab Herode Attico amplificatum , gradibuſque ornatum fuerat , PHILOSTRATO referente exponitur . Laus , quam PISO apud Ciceronem Athenis tribuit . Quam uber veterum monumentorum urbs illa fuerit . Exemplar accuratiſſimum inſcriptionis , quae anaglyphum interſecat .

§. I.

Prima inſcriptionis vox οἱ Πλυνῆς *expenditur . De eo Atticiſmo obſervationes Grammaticae . Eadem dialectus ARISTOPHANI , THVCIDIDI , AESCHYLO , SOPHOCLI , XENOPHONTI uſitata .* Πλυνεὺς *Balneator , ſive Lotor , non Fullo apud Athenienſes fuerat . Priſca , & caſca aliquot characterum forma , quae in noſtro marmore offenditur . Balnea prope Gymnaſia extrui PLATO juſſit . Cur copularentur . Athletae , Pugileſque antequam in palaeſtram venirent , variis de cauſſis ceromate , oleoque , tum pulvere , & arena conſperſi . HIPPOCRATIS , GALENI , METRODORI SCEPSII praeſcriptiones . Poſt haec balneum adire neceſſe erat . Duo LVCIANI loca afferuntur . Athletis id ab Athenienſibus conceſſum tradit ARISTOPHANES . Agoniſtarum vitae genus duriſſimum .* Γυμνάσια , ἀλειπτήρια , βαλανεῖα , λυτρὰ *SVIDAE , & ISIDORO ſynonyma ſunt . Balneorum idcirco praefectura Agonotarchis concredita . Inſignis inſcriptio Athletica . Pictura vaſis opere Etruſco referens Athletas , qui ſtrigili ſe emundant , & ſtrigmentum abradunt , deſcribitur .* Πλυντήρια *in honorem Minervae , in noſtro toreumate minime repraeſentari poſſe demonſtratur .*

§. II.

§. II.

Balneum juxta ſtadium poſitum Nympharum tutamini commendatum. Aquarum ſcaturigines a Diana cuſtodiri exſtimaverat MAXIMVS TYRIVS. *Vt ea ſententia cum antiquis theologumenis componi queat. Nymphas, Minerva deprecante, calida balnea Herculi ad Himeram praeparaſſe nonnulli apud* DIODORVM *fabulantur. Ea tamen opinio videtur* PINDARO *probari. Nummi* ΘΕΡΜΙΤΑΝ *huic favent opinioni. Nympharum religio a Graecis ad Latinos manavit, & ad Balnea maxime pertinuit. Quae his praeerant* Πλυνηίδες, *ſeu Balneares dicendae. De varia, qua pingebantur ratione ſummatim agitur. Priſma marmoris Parii machinae hydrotechnicae aptandum, cui Nymphae inſculptae viſuntur, ex Muſeo* NANIO *producitur. Fontium epiſtomia apud antiquos ornatiſſima. Nympharum ſigna cum quibus Deorum imaginibus plerumque conjungerentur. In noſtro anaglypho adoleſcentem Nympharum Choragum non eſſe Bacchum carmina in rupibus docentem, ſed Hylam Theodamantis filium, & Herculis delicium. Ejus caſus quum in Propontidem veniſſet, ex* APOLLONIO, THEOCRITO, DIONYSIO PERIEGETA, NONNO *narrantur. Prope Cium fluvium raptum ipſius accidiſſe, quem idcirco Ciani ſacris anniverſariis celebrant. In noſtro Anaglypho non raptum, ſed Apotheoſin Hylae exprimi. Nymphae inibi effictae* Ἐυνίκα (*quae &* Ἐφυδατία) Μαλὶς, Νυχεία. *Satyrus calamum inflans convenientiſſime Nymphis additus.* PLATONIS COMICI *verſus convenientiam mire declarant.*

§. III.

Lotores Attici locum non Nymphis modo, ſed Θεοῖς πᾶσιν *commendantes priſcam dedicationum formulam retinuerunt. Exempla ſuppetunt in Latiorum, & Olontiorum tabulis. In Dianae, & Herculis tutela praeſertim locus is debuit eſſe.* Ἄρτεμις Θερμαία *apud* ARISTIDEM. *Hercules certaminum inventor, Gymnaſii praeſes, & cuſtos.* POLYBII, DIODORI,


DORI, PINDARI, PHLEGONTIS teſtimonia. Quapropter ſigna aedes, arae, ἐξέδραι *illi in ſtadio dedicatae. Mutilum Herculis ſignum prope ſtadium Athenarum recens inventum, & Venetias tranſvectum. Schema ejuſdem datur. Fuiße elegantiſſimum* Metae *apicem conjicitur. Ex Cerva, quae adſtat, ex nummis Tarſenſium, & Midaeorum, ex antiqua Gemma, atque ex altero Herculis ſigno, aperte deducitur, ab hoc opere deeſſe Telephi ſimulacrum. Telephi pueri eventus varie ab antiquis artificibus adumbrati. De Lotorum Athenienſium nominibus. Cur prae balnei foribus deſcripta. LAERTII locus miram his rebus explicandis lucem affundit. Lotorum* Collegium, Corpus, Familiam, Synodum *noſtra inſcriptio denotat, in qua diverſa erant officia. Ex diverſo nominum ſono, eorumque apud Athenienſes imponendorum ratione, in eo corpore alios de Civium numero, alios* μετοίκυς, *alios denique ſervos fuiſſe infertur. De Civium, & Servorum nominibus ISAEI, & STRABONIS teſtimonia luculentiſſima indicantur.*

§. IV.

Ectypa in inferiori marmoris parte ſculpta illuſtrantur. Agonothetarum judicium inibi expreſſum. Varius olim Hellanodicarum numerus fuit. His togam ὁλοπόρφυρον *datam perhibet ANACHARSIS. Alterum hujus magiſtratus inſigne coronam extitiſſe DIO CHRYS. & EPICTETVS monent. Variae hujus coronae formae: lapillis, gemmiſque etiam diſtinctae. In noſtro marmore* καλύπτρης *figuram refert.* Mappa, *qua ineundi certaminis ſignum dabatur, tertium, propriumque Agonothetarum ornamentum. Signum agitatoribus equorum, & gladiatoribus olim datum vel tubae ſono, vel flagro excuſſo ex SOPHOCLIS, & VIRGILII carminibus apparet. Qui ludorum Coſmetae in noſtro marmore adſtat,* Ῥαβδῦχον, *ſeu Gymnici Concilii apparitorem eſſe probatur.* Ῥάβδον, & βακτηρίαν δικαςηρίυ σύμβολον *vocat ARISTOTELES. Corona, & baculus Catoni Vticenſi Antiochiam ingredienti ab apparitoribus praeferuntur. M. Antonius in ſtadium palliatus*

tus cum virgis gymnaſiarchicis proceſſit. Baculus ergo non ad Palaeſtritas caſtigandos, ſed honoris cauſſa Hellanodicis datus. Sella marmorea, & Ara in ſtadio Panathenaico, quemadmodum in Olympico. Equi in partem certaminis, praemiique veniebant. Palmae, & Coronae illis attributae. Laudes, quibus a PLVTARCHO, OPPIANO, QVINTO CALABRO, THEOCRITO, PINDARO, SOLINO *equi victores efferuntur.* **Κέλητες**, *Sellarii, Doſsuarii, Deſultorii in ſtadium ab Olympiade* XXXIII. *jam inducti. Equorum victorum nomina, catalogi, & imagines.*

D. JOAN-



Alt. pal. Rom. 2: 8.

D. JOANNES BAPT. CARACCIOLVS
EPISCOPVS AVERSANVS
Praepositvs Generalis Congr. Cl. Reg.

Qvvm opus inſcriptum Monvmenta Peloponnesia &c. duobus voluminibus comprehenſum, a P. D. Paullo M. Paciaudio noſtrae Congregationis Presbytero exaratum, duo ejuſdem noſtri Ordinis Viri Theologi, quibus id mandavimus, diligenter recognoverint, nihilque continere nobis retulerint, quod Sacroſanctae Fidei dogmata, aut morum diſciplinam vel minimum laedere poſſit, facultatem in Domino impertimur, ut typis excudendum mandari queat. In cujus rei fidem praeſentes Litteras manu noſtra firmatas, & noſtrae Congregationis ſigillo munitas Damus.

Romae ex Aedibus Sancti Silveſtri Montis Quirinalis VIII. Kalendas Apriles 1761.

D. JO. BAPT. EPISC. AVERSANVS
Praep. Gen. C. R.

Locus ✠ Sigilli

D. Raphael Ventvrini C. R. Secret.

CENSORVM IVDICIA.

REverendiſſimi Patris Mag. S. Palatii Apoſtolici juſſu legi Librum, cui titulus: MONVMENTA PELOPONNESIA &c. auctore Paullo M. Paciaudio &c. in quo legendo non modo nihil reperi, quod a ſcitis SS. Patrum & Catholicae Eccleſiae ſenſibus & inſtitutis alienum eſſe videatur; ſed pulcherrimarum rerum varietate mirifice ſum delectatus, quibus elegantiſſimo ſermone tractandis ingenii ſui lumen Clariſſimus Auctor oſtendit. Multa mentis acumine certiſſime aſſequutus eſt: quaedam feliciſſime divinavit: de quibuſdam ſane obſcuriſſimis cum minime liqueat, conjecturas ſuas ita proponit, ut neſcias ſolertiam ne mirere magis an verecundiam. His litterarum amoenitatibus & deliciis, qui ſe dediderunt magnam ex hoc Libro voluptatem capient; ii praeſertim, qui ad Graecarum rerum cognitionem ſuum animum adjecerunt; multaque invenient, quibus in ejuſmodi ſtudiis ſentient ſe plurimum adjuvari. Quamobrem Librum hunc publica luce digniſſimum cenſeo.

Dat. III. Nonas Aprilis CIƆIƆCCLXI.

MICHAEL ANGELVS GIACOMELLVS
SS. D. N. CLEM. XIII. A LAT. EPISTOLIS.

MONVMENTA PELOPONNESIA V. Cl. Paulli Mariae Paciaudi juſſu Reverendiſſimi S. P. A. Magiſtri ſumma animi voluptate legi, eaque publica luce digniſſima cenſeo, cum & inſignem penitioris eruditionis apparatum exhibeant, univerſo Litteratorum coetui ſummopere profuturum, nihilque in ſe contineant quod Catholicis dogmatibus, ac ſeveriori morum diſciplinae adverſetur: Ita ſentio

Ex Bibliotheca Imperiali Idibus Aprilis CIƆIƆCCLXI.

CONSTANTINVS RVGGERIVS PRAEFECTVS.

IMPRIMATVR,

Si videbitur Reverendiſſimo P. M. S. Pal. Ap.

D. Archiep. Nicomed. Viceſg.

IMPRIMATVR,

Fr. Th. A. Ricchinius M. S. P. Apoſt. Or. Praed.



Alt. Palm. Rom. 7. 3.

COLVMNAE DIANIAE



AD NOBILISSIMVM ERVDITVMQVE VIRVM

BERNARDVM NANIVM

PATRITIVM VENETVM SENATOREM AMPLISSIMVM
A SANCTIORIBVS REIP. CONSILIIS
AC NEGOTIIS.

ΠΡΟΣΦΩΝΗΣΙΣ

QVOTIES ego memoria repeto, quanto ſtudio, quantaque animi magnitudine ſoleas, SENATOR AMPLISSIME, inter praecipua, ac graviſſima Reip. munera eruditae antiquitatis monumenta Romanam, Graecamve indolem, majeſtatemque adhuc ſpirantia conquirere, hiſque lectiſſimum tuum Muſeum in dies augere,

ac locupletare; toties in mentem redeunt praeſtantiſſimorum Regum exempla, quos vetuſtatis cognoſcendae cupido ſic inceſſerat, ut quamvis perdifficili, ac laborioſa imperii procuratione, adminiſtrationeque diſtinerentur, nihilominus priſcarum gentium reliquias, veſtigia, & ipſa, pene dixerim, rudera ubique perſequi, obſervare, mirarique conſueverint. Hic ſcilicet laude imprimis claruiſſe legimus ALEXANDRVM θαυμαςὸν [1], & MITHRIDATEM Eupatorem [2], in Romanis vero Imperatoribus IVLIVM CAESAREM [3], OCTAVIANVM AVG. [4], GERMANICVM [5], & SEPTIMIVM SEVERVM [6]. Quorum alii viſendis illuſtrium, veterumque artificum miraculis, longa itinera traduntur ſuſcepiſſe, alii gemmas, marmora, ſigilla *operis antiqui animoſiſſime comparaſſe* perhibentur. Verum ecquid ſtrenuos illos populorum, gentiumque moderatores ad haec inveſtiganda, tantique facienda impulit, planeque incitavit, niſi ſapientiae amor, & rerum admirabilium, occultarumque cognitio, quae non tam in unoquoque homine ad bene, beateque vivendum, quam in viris principibus ad Remp. regendam pernceceſſaria ſemper habita eſt? Nam quum vetuſtas, monente M. TVLLIO, in omnibus rebus incredibilem afferat ſcientiam, ſuique cultores multo peritiores faciat; ſumma quaedam dignitas, & bonis artibus, litteriſque amplificandis ſumma utilitas ineſſe illi viſa eſt, ut qui vere excelſos, & ingentes animos in pectore verſant, ad ſe ſe continenter rapuerit.

Quamquam his ſtudiis amplexandis, excolendiſque non erat, cur exterarum gentium imitationem, contemplationemque ſequerere, quum avita domi haberes majorum tuorum exempla, quos eadem praeclariſſima voluntate, ac propenſione fuiſſe, veterum monumentorum ſupellex, & hereditaria

1 Q. CVRTIVS *de rebus Alex. M. lib.* X.
2 APPIANVS *de bello Mithridat. pag.* 416.
3 SVETONIVS *cap.* XLVII.
4 Idem *cap.* LXXII.
5 TACITVS *Annalium lib.* I.
6 SPARTIANVS *inter Hiſtoriae Auguſtae Scriptores*.

taria aedium tuarum ornamenta magnifice, perſpicueque teſtantur. Hanc vero nobiliſſimam cupiditatem ANTIQVARIAE DISCIPLINAE non modo ex diuturna ſcriptorum lectione perdiſcendae, ſed ex litteratis marmoribus, anaglyphis, ſignis nummiſque ipſo oculorum intuitu, judicioque hauriendae ſic cum utilitate conjunxiſti, ut quae in publica commoda redundare poſſe viderentur, propalam edi, vulgarique permiſeris. Quis enim eſt his litteris, ſtudiiſque deditus, qui cognitum, compertumque non habeat, ex inſigni cimelio tuo prodiiſſe ſingularem illam, admirandamque columnam, antiquiſſimis characteribus Graecis ſcriptam, ex una Cycladum inſula Melos tua impenſa, curaque Venetias ſubvectam, cujus adſpectu plurimum certe luminis palaeologiae acceſſit [1]? Quis hoc praeſtanti, & jucundiſſimo eruditionis genere tenetur, atque allicitur, qui probe non norit, Te pulcherrimas inſcriptiones [2], aenea ſigna vetuſtiſſima [3], monumenta etiam ſequio-

1 Inſignis haec columna bis lucem adſpexit. Illam primus edidit HIERONYMVS ZANNETTVS vir politiorum litterarum amantiſſimus, & cum omnibus Muſis feliciter ſemper verſatus: *Due antichiſſime Inſcrizioni ſpiegate &c. Venezia* 1755. Sed quum nonnulla ei excidiſſent, quae doctos viros ab illius interpretatione amplexanda remorabantur, iterum evulgare deliberavit totius Graecanicae litteraturae his temporibus parens, ac magiſter CL. EDVARDVS CORSINVS. *Spiegazione di due antichiſſime Inſcrizioni Greche. Roma* 1756.

2 MVSEI NANII celebritas, copia, varietas, praeſtantia dudum jam eruditis comperta, vel ex eo invicte oſtenditur, quod clariſſimi veterum lapidum deſcriptores varia marmora in illo adſervata ſibi ſumpſerint explicanda. ORSATVS *Monum. Patav. pag.*61. *num.*XXXIII. *pag.*149. FABBRETTVS *Inſcript. Domeſt. pag.* 681. MVRATORIVS *Nov. Theſaur.* MXIX. I. MCLXXXVIII. 3. MDLIX. 9. *alibi pluries*. MAFFEIVS *Muſ. Veronen.* CCCLXXII. I. CCCLXXIII. 4. 6. 7. 8. F. A. ZACHARIAS *Marmora Salonitana pag.* XXXIII. *num.* 12. &c. Adde his litterarias Ephemerides Italicas; *Giornale de' Letterati tom.* XXXIII. *&* XXXVIII. *Memorie per ſervire alla Storia Letteraria Ottobre* 1755. *Maggio* 1756. *Gennaro*, *Settembre* 1758. *Genaro* 1759. *&c. Saggio Critico della letterat. Straniera tom.* II. *part.* I. *pag.*154.

3 Vide nuperrimas obſervationes egregii noſtri doctiſſimique PASSERII, *Oſſervazioni ſopra alcuni Monumenti Greci, e Latini. Venezia* 1759. Ex eadem ditiſſima, vereque regia antiquitatum Gaza novus Mecaenas SENA-

quioris aevi vel aere expreſſa [1] , vel papyris conſignata [2] cum viris eruditis libenter communicaſſe , ne iis praeſidiis , & adjumentis , quae veterum hiſtoriis , ritibus , moribus , ſententiis explicandis apprime faciebant , fraudarentur ? Quis denique ad rei nummariae cognitionem adjunxit animum , qui hiſtoriam illuſtrium aliquot Mysiae , ſeu Rasciae Regvm a Te ope nummorum acriter , ingenioſe , ſolideque contextam non admiretur , eamque perquam utilem eſſe non intelligat [3] ?

Adeo autem Tibi inſitus , animoque alte defixus haeret beneficus , & honeſtus hic ardor , quo & litteras provehere , & litteratis opitulari jugiter contendis , ut inclyto Germano tuo Jacobo Venetae claſſis Praefecto in Graeciam proficiſcenti illud ſibi eſſe antiquiſſimum commendaveris , ne vetera monimenta , quae in Ionii , Cretici , Aegeique maris ora , interſperſiſque Inſulis illi occurrerent , inobſervata praeteriret , ſed ea quovis pretio redimeret , nanciſcique ſtuderet . Jam permulta amantiſſimus , optimuſque Frater , & imprimis Graeci operis, auro contra aeſtimanda ad Te miſit , quae inter rudera , vepres , & dumos pene ſepulta , vel littore inhoſpito , & loco ſubdio poſita ineluctabili humanarum rerum fato, temporumque injuria deperiiſſent . Quo profecto accidit , ut de noſtris ſtudiis praeclare , atque immortaliter promeritus ſis ,

---

Senator Nanivs eximiae raritatis nummos ſuppeditavit Romanae, Graecaeque hiſtoriae illuſtrandae : veluti illum ΒΑΣΙΛΕΩϹ ϹΑΥΡΟΜΑΤΟΥ (*v. Numiſm. Impp. Roman.* Vaillantii *tom.*II. *p.*II. *edit. Roman.*) alioſque Graece loquentes , quos nos ipſi publicavimus . *Animadverſiones Philologic. ad nummos M. Antonii* §. IX. *Romae* 1757.

1 Mazvchelli *Notizie di Iſotta da Rimino Breſcia* 1759. Vid. *Raccolta Milaneſe per l' anno* 1756. *fol.* 39. & 40.

2 *Oſſervazioni intorno ad un antico Papiro di Ravenna . Venezia* 1750. Interpretatus eſt multa cum laude H. Zanettvs .

3 *De duobus Imperatorum Raſciae Nummis . Editio altera monetis , ac documentis adhuc ineditis aucta . Venetiis* 1752. In qua Catarenſes , Rhodiique nummi nonnulli eruditiſſime ab immortali auctore explicantur . Ex quo intelligi , perſpicique facile poteſt , quantopere ab Ampliſſimo Viro haec ſtudia excolantur , ejuſque favore , ac liberalitate in dies amplificentur .

ſis, quandoquidem aut in Gazam tuam inlata eruditis ad viſendum patent, aut typis tradita ſic aetatem ferunt;


Vt non imber edax, non aquilo impotens
Poſſit diruere, aut innumerabilis
Annorum ſeries, & fuga temporum.

Ita vero in toto hoc litterarum genere liberaliter de me ſentire conſueviſti, SPECTATISSIME NANI, ut nullius propemodum monumenti tuo Muſeo facta ſit acceſſio, de quo aliquid mihi confeſtim non ſcripſeris, meumque non exquiſieris judicium. Ego ſane quantum ingenio, doctrinaque aſſequi poteram, ut noſti, quam de hiſce cimeliis opinionem ſuſceperam, & qua ratione veroſimilius, mea quidem ſententia, interpretari fas eſſet, familiaribus epiſtolis primo quovis tempore ſignificavi.

At quum nuper me humaniſſimis tuis litteris monueris vetera aliquot anecdota epigrammata, & toreumata politiſſime caelata Te eſſe ἐυτυχῶς adeptum, partim a mercatoribus ex Peloponneſo Venetias adducta, atque a Te ipſo aere commutata, partim Fratris tui ſolertia, ſumptuque ex Inſulis Peloponneſo adjacentibus feliciter evocata, omniumque horum elegantiſſimorum marmorum apographa ſumma accuratione, fideque reddita tranſmiſeris, ut univerſam doctam ſupellectilem paullo diligentius explicarem; adeo excellens, adeo erudita, adeo nova viſa mihi illa eſt, ut non perbrevi epiſtola, plena feſtinationis, & pulveris, ſed conſiderata, diligentique commentatione illuſtrari poſtularet. Ac nihil mihi illuſtrius, nihil jucundius, honorificentius nihil accidere poterat, quam, ut ſtudium, cultumque in Te meum, quem jampridem animo defixum, quaſique in ſinu invite concluſum retinebam, poſſem aliquando depromere, publiceque tèſtari. Laetor itaque mirifice, mihique gratulor, in percommodam, & praeclaram incidiſſe occaſionem, ut voluntati tuae obſequi, unaque devinctiſſimi animi mei ſpecimen aliquod (ut ut exiguum illud ſit) Tibi queam exhibere. Quod ſi hi lapides a me ex Muſeo tuo in hominum conſpectum educti,

ɥi , & mea opera , induſtriaque facti aliquanto illuſtriores, ad ſuos lares nunc reduces , hilari , benignoque vultu a Te excipientur , noſtrumque in ſingulos commentariolum veluti ſtudii , officii , obſervantiae erga Te meae monimentum inter tot praeſtantiſſimos libros , a quorum lectione numquam divelleris , exſtare patieris , quem mihi in ſcribendo deſtinaveram , fructum , abunde collegiſſe exiſtimabo .

Vnde vero rectius ordiri pòſſumus , quam ex epigrammate diffractae columnae inſculpto , in quo rerum deſcriptarum varietas uberiorem ſuppeditat dicendi ſegetem , ac materiam ?



Fieri tamen minime poſſe intelligo , ut de hujus primi marmoris praeſtantia accurate , vereque dicam , & quae inſigni hac epigraphe ſunt expreſſa , accomode , apteque explicem niſi illam a ſphalmatis , quae quadratarii ἀγραμματίᾳ , aut oſcitantia irrepſere , emaculatum legentium oculis exhibeam. Sunt praeterea hac illac evanidi , incertique characteres uligine ,

gine, nitroque detriti, ut niſi primum ſublatis erroribus, omnique ambiguitate lectionis remota, inſcriptio redintegretur, fruſtra, ac perperam de illius ſignificatione ſuſcipiatur diſputatio. Ergo epigramma, quale impraeſentia ſuperſtes columnae pars refert, ſed paullo nitidius deſcriptum primo ob oculos proponam, deinde minoribus litteris, communique ſcribendi ratione redditum, & ad purioris linguae leges exactum objiciam. Poſtremo in Latinum ſermonem tranſmiſſum partite enitar illuſtrare (quem interpretandi ordinem in caeteris pariter retexam ac ſervabo), & qua accitis veterum ſcriptorum teſtimoniis, qua prolatis, collatiſque aliis optimae vetuſtatis monumentis, marmoris aetatem, uſum, ejuſque dedicationis cauſam, finemque inveſtigabo. Sed nulli rei ſtudebo magis, quam ut novum Dianae agnomentum, quod hic occurrit, veroſimilius interpreter; tum, ut formam, ſtructuramque *Horologii* (donarii genus, de quo hactenus Graeca marmora ſiluerunt) probabilius inveniam; tandem ut novum Ὑποδιακονούσης officium quod nam fuerit, certo conſtituam. In quo, ut perſpicis, VIR SAPIENTISSIME, argumentum ſuppetit re ipſa ſumme praeclarum, & dignum, in quod, quidquid poſſumus, conferatur. Ergo ita naſcetur exordium.

ΑΡΤΕΜΙΔΙΚΕΛΚΛΙΑΕ
ΚΟΛΕΙΡΙΟ ϹϹΟΥ ΠΕΡ
ΒΟϹΚΑΙΚΛΑΥΔΙΑΝΕΙΚΗ
ΦΟΡΙϹΤ ΟΩΡ°ΛΓΙΟΝ
ΚΑΙΤΟΝ ΚΕΙΟΝΑΚΑΙ^ΤΗΝ
ΒΑϹΙΝΕΚΤΩΝΙΔΙΟΝ
ΚΑΤΕϹΚΕΥΑϹΑΝ
Υ.-ΙΟΔΙΑΚΟΝΟΥΝΕϹ
ΕΠΗΕΡΕΙΑϹΚΛΑΥΔΙΑϹ
ϹΩ..ΟϹΕΠΙΜΕΛΗΤΟΥΛΕ
ΙΟΥΛΙΟΥΘΕΑΓΕΝΟ....


id eſt

Ἀρτέμιδι Κελκαίᾳ
Κολείριος Σουπέρ-

βος, ϗ Κλαυδία Νεικη-
φόρις τὸ ὡρολόγιον
ϗ τὸν κίονα, ϗ τὴν
Βάσιν ἐκ τῶν ἰδίων
κατεσκευάσαντο
ὑποδιακονούσης
ἐπὶ ἱερείας Κλαυδίας
Σώγιος, ἐπιμελητοῦ δὲ
Ἰουλίου Θεαγένου.

Quae ſic verti oportere credo.

Dianae Celcaeae
Colirius Super-
bus, & Claudia Nice-
phoris Horologium,
& columnam, &
baſim de ſua pecunia
exſtrui fecerunt;
Subminiſtrante
ſub Sacerdote Claudia,
Sogide, curatore vero
Julio Theageno.



Ex Ins. Melos. 1754.

COM-

COMMENTARIVS

§. I.

ΑΡΤΕΜΙΔΙ ΚΕΛΚΑΙΑΕ

Ἀρτέμιδι Κελκαίᾳ

CICERO non tam gravis, & perfectus orator, quam nobiliſſimus, ſummusque philoſophus ſapienter, vereque monuit de figuris Deorum, de locis, de ſedibus, de actione vitae multa dici, deque his ſumma philoſophorum diſſenſione fuiſſe certatum [1]. Huic vero opinionum diſſidio non eſt ambigendum, anſam potiſſimum praebuiſſe tot varia, ac diverſa nomina, quibus eadem Numina affici, appellarique contigit. Sunt enim ejuſmodi nomina quandoque ita obſcura, & incerta, ut difficillimum dictu ſit, unde veroſimilius repeti debeant, an a diverſis formis, ac figuris, quibus Deorum ſigna, & imagines mortalium oculis proponebantur, an a diverſis locis, ac ſedibus, quas perhibebantur incoluiſſe, an denique a variis actionibus, officiiſque, in quibus putabantur vitam traduxiſſe. Atque haud ſcio, an aliud, praeter DIANAM, fuerit numen, de cujus vera, propriaque nominum originatione magis ſit laborandum. Merito illa quidem in Orphicis a ſubdititio vate ſic invocatur [2]:

. . . . . Διὸς Πολυωνύμε κȣ́ρη,
. . . . . *Jovis multi nominis nata.*

Ab ARISTOPHANE vero in Theſmophoriis [3],

 Πο-

1 *De Natura Deor. lib.* 1.
2 In Hymno, qui inſcribitur *Dianae ſuffimen*.
3 *v. verſ.* 327.

. . . . . *Πολυώνυμε θηροφόνε παῖ*
Λατοῦς . . . .
. . . . . *Multi nominis ferarum interfectrix filia*
Latonae . . . .

Enimvero nulla propemodum natio fuit, quae Dianam peculiari aliquo agnomento non honeſtaverit; aliter quippe a Chaldaeis, aliter a Phoenicibus, a Carthaginenſibus aliter fuiſſe appellatam comperimus [1]. Auxerunt deinde hanc nominum multitudinem regiones, inſulae, urbes, montes, luci, flumina, quae illius tutelae, praeſidioque credebantur commendata. Suſcepit enim hominum, communiſque conſuetudo, ut ex locis, in quibus ob praeſtantem, veteremque alicujus templi, arae, ſignive religionem cultus Dianae impenſius exhiberetur, exinde nomen **τοπικὸν** Deae adhaereſceret. Qua in re cum antiquiſſimis poetis, hiſtoricis, ac chorographis mirifice conſentiunt numiſmata, ac marmora imprimis Graece loquentia; ut hinc etiam liquide, planeque appareat, omnes antiquariae diſciplinae partes neceſſario quodam nexu inter ſe contineri. Re enim vera **ΠΕΡΓΑΙΑ** in nummis Claudii, Antonini, Hadriani Pergae in Pamphylia percuſſis inſcribitur Diana **Στεφανῖτις** [2]. **ΔΙΚΤΥΝΝΗ** autem ex montibus Dictynnaeis, quos in Cretam veniens inhabitaſſe dicebatur, in nummis **ΚΡΗΤΩΝ** [3]; quemadmodum & **ΠΕΡΣΙΚΗ** [4] in publica moneta Hierocaeſareae Lydiae, propterea

1 GYRALDVS *de Diis Gentium Syntagma* XII. BANIER *la Mythologie, & la fable expliquées par l'Hiſtoire tom.* II. *lib.* I. *chap.* XIV. Sed conſule imprimis FOVRMONTIVM *Reflexions Critiques ſur l' Hiſtoire des Anciens &c. liv.* II. *chap.* XXII.

2 HARDVINVS *Nummi Populor. & Urbium*. BEGERVS *Theſaur. Brandeburgic. to.* I. inter Numiſmata Aſiae. ADOLFVS OCCO epigraphen nummi Neroniani DIANAE PERG. interpretatur *Pergamenorum* pro *Pergeae*. *pag.* 190. *edit. Antuerp.* Vide quos pagina 3. retulimus nummos. (*num.* I.)

3 SEGVINVS *Selecta Numiſmata antiqua pag.* 116. TRISTANVS SANCTAMANTIVS *Commentaires Hiſtoriques ſur les Medailles tom.* I. In Trajano.

4 SEGVINVS *pag.* II. Confer Obſervationes EZ. SPANHEMII ad Callimachum *in Hymn. Dian.*

pterea quod hujus Deae cultus ad Perſas uſque ſe fuderat, ac promanarat [1]. Quae vero de Diana Epheſia, ſive Πολυμάστῳ in nummis non Epheſiorum modo, ſed aliarum etiam urbium occurrunt, orationem non deſiderant noſtram, quippe quae a CLAVDIO MENETREIO, Bibliothecae Barberinae Praefecto fuſius jamdiu ſunt dicta, atque explicata [2]. Nomen τὸ ἐθνικὸν quandoque etiam a Familiis, quae illam ſingulari cultura fuerant proſequutae, eique aras, vel ſtatuas dedicarant, mutuata eſt, ut ACCVSIAE, CANTIANAE, AMARANTHIAE [3], RAESIANAE [4]. Illud etiam animadverti volo, a nonnullis populis peculiari, ac pene municipali Dianae nomini certum aliquod ſymbolum, quaſi τὸ ἐπίσημον fuiſſe conſtanter additum. Quod etſi pluribus evinci poſſet exemplis, quoniam nolo in una re multus eſſe, ad **ΜΑΓΝΗΤΩΝ** tantummodo nummos nunc provocabo. In his ſane **ΤΗΣ ΑΡΤΕΜΙΔΟΣ ΛΕΥΚΟΦΡΥΝΗΣ** effigiem, nomenque frequentiſſime videre eſt [5]. At quamvis Deae ſignum pro pedibus habeat modo columbas, modo aquilas, modo barbatas fluminum imagines, aliave circumpoſita emblemata; tamen vix reperies abeſſe volitantes circaillius caput victoriolas. Nomen porro enatum ab oppido Leucophryn in Trallibus; ἔνθα ἦν Ἀρτέμιδος ἱερὸν μάλα ἅγιον, *ubi Dianae erat templum ſacratiſſimum*, quemadmodum **XENOPHON** ſcripſit [6]; idque in ea planitie, qua Maeander alluit in Magneſia. Sed quoniam apud Magneſios Dianae religio vehementer aucta, & amplificata eſt, templumque illius, in quo χαλκοῦν ἄγαλμα Λευκοφρύνης a Themiſtoclis

---

1 V. THOMAE HYDE *Hiſtoriam Religionis Perſarum cap.* 3.

2 *Symbolica Dianae Epheſiae Statua explicata &c.* Adjecimus *pag.* 3. (*num.* 11.) non obvium penitus nummum, Dianam biga equorum vectam referentem. Si quid in re pervulgata uberioris eſt opus notitiae, adi Diſſertationes JOHAN. NICOLAI SCHVLINI *de Diana Epheſia*; JOH. CHRIST. POLKEI *de Magna Epheſiorum Diana*.

3 GUDIUS *Inſcriptiones Antiquae*. *fol.* XXIX. 4. 6. *fol.* XXX. 4.

4 REINESIUS *Syntagma Inſcript. Antiqu. Claſſe* I. CCXXXI.

5 V. *num.* 3. in fronte primae operis pagellae.

6 *Rerum Graecarum lib.* III.

clis filiis dedicatum [1], jure perpetui aſyli tum celeberrimum evaſit, quum natio illa Romanis foederata L. Scipionem, & L. Syllam ſuis armis juvit, fidemque, ac virtutem probavit ſuam in expugnando, pellendoque Antiocho, & Mithridate [2]; pecunia exinde a Magneſiis eo typo ſignata fuit, qui primordia hujus ſingularis cultus portenderet, atque ſignificaret.

Neminem inſuper delectat explicatio fabularum, & enodatio nominum, quem lateat, epitheta & numero majora, & ἐτυμολογία multo faciliora ex muneribus, vitaeque actionibus uni Dianae indita fuiſſe, quorum, vim proprietatemque monetarii ſaepenumero expreſſerunt. **Μογοςόκος** illa porro, **Παιδοτρόφος** a DIODORO, **Τοξότης** ab OPPIANO, & **Ἰοχέαιρα** ab HOMERO, **Ἡγεμάχη** a PAVSANIA, eſt dicta. Quorum nominum gratia factum reor, ut monetarius **Κρητηΐος** puerulum, & jaculum **Δικτύννῃ** dederit, & milites utrinque haſtatos, clypeatoſque adjecerit. Protritum pariter **Ἐλαφίας**, & **Ἐλαφοβόλε** nomen, unde τὰ ἱερὰ ἐλαφοβόλια in honorem Dianae a Phocenſibus peracta [3]. Atqui magnam moleſtiam, minimeque neceſſariam ſuſcipiam, ſi Graecos nummos percenſeam, in quibus Dea vel biga cervorum vecta, vel cervum perimens, vel cervum inequitans viſitur. Quod ſi nullibi frequentius Cervi Dianae dati, quam in typis monetae Epheſiae, cauſſa ex LIBANIO in encomio Dianae in promptu eſt [4]. **Ἐφεσίοις δὲ καὶ τὸ νόμισμα, καὶ τὴν ἔλαφον ἔφερεν ἀμοιβὴν τῇ Θεῷ τῶν μεγάλων ἀγαθῶν.** *Apud Epheſios etiam nummus cervam expreſſam fert pro remuneratione magnorum Deae beneficiorum.* Quid quod cum duplici taeda crebro ſe prodat non tam in Graeca, quam in Latina Familiae AELIAE pecunia? An non quia **Δαδοῦχος** nuncupata, ſive quod habet ARISTOPHANES in Ranis [5],

Διπύ-

---

1 PAVSANIAS *Attic. ſive lib.* I.
2 TACITVS *Annal. lib.* III.
3 PLVTARCHVS *lib. de virtut. Mulier.*
4 *Opp. tom.* II. *orat.* XXXIII.
5 *Verſ.* 1406.

Διπύρυς ἀνέχυσα λαμπάδας
Ὀξυτάταιν χεροῖν,
Duplices faculas tenens
Manibus per quam agibilibus?

Quid animo intendiſſe putandum eſt Syracuſios, quum alatam, & canem loro correptum fuſte verberantem repraeſentarunt [1]? Ad duo illa Dianae nomina **Πτερυγωτὴ**, & **Κυνοσφάγη** reſpexiſſe crediderim, quorum primum Pausanias memorat in priori Eliacorum, alterum autem Lycophron in Alexandra [2], Quae quidem Syracuſae in gravem, & miſerabilem caſum adductae, quum praeſtantiſſimam Dianae opem ſenſiſſent, exemplo Pellenenſium, & Phegalenſium, **ΣΩΤΕΙΡΑΝ** in pecunia publicis inciſa notis appellarunt [3]. In hunc plane modum averruncam, ſoſpitam, opiferamque procul dubio illam etiam crediderunt, qui **τῇ Κυρίᾳ Ἀρτέμιδι** [4], vel **Ἀρτέμιδι εὐάγει** [5] monumenta poſuere. Nihil tamen ita benevole, ſtudioſeque patrocinio ſuo tutari viſa eſt, quam eos homines, qui vel ſe pelago committerent, vel terreno itinere peregre proficiſcerentur; ut non temere Callimachus Jovem ſic Dianam alloquentem induxerit [6].

. . . . *μὲν ἀγυαῖς*
Ἔσσῃ καὶ λιμένεσσιν ἐπίσκοπος.
. . . . *quidem viis*
Eris, & portubus inſpectrix.

Quam-

1 Mirabella *delle antiche Siracuſe vol.* II. *Medaglia* X. Statuam Dianae Alatae XV. cubitorum Puteoli quondam exſtitiſſe ab oculato teſte acceperat Jul. C. Capacius, meminintque *Hiſtor. Neapol. lib.* I. *c.* XXIV. Confer Gisb. Cuperum *de Apotheoſi Homeri pag.* 177. 179.

2 *Verſ.* 77. Dianae canes immolari conſueviſſe, docet Bochartus *in Hierozoic. lib.* I. *cap.* LVI.

3 Mirabella *medaglia* XXII.

4 Fleetwood *Sylloge Inſcript. antiq. pag.* 29.

5 Doni *Inſcrip. antiq. Claſs.* I. XXXVII. Sic puto emendandum illud Donianum **ἰυάκοι**.

6 *Hymnus in Dianam* v. 38.

Quamobrem hujus Deae imago exſculpta in nummis urbium maritimarum Smyrnae, Mytilenes, Byzantii, Cumae, Amyſae, Neapolis, Meſſanae, Maſſiliae &c. At nullibi haec navigantium tutela Dianae data expreſſius, vividiuſque objicitur, quam in moneta **ΛΕΥΚΑΔΙΩΝ**, in qua hinc Diana praelonga veſte, dextraque acroſtirium gerens, illinc prora navis conſpicitur [1]. Quo factum, ut **λιμενήτιδος** nomine multis in locis coleretur. Quae praeterea fuit publica in toto Rom. imperio via ubi ſtatua Dianae **ΚΕΛΕΥΘΕΙΑΣ** non proſtaret? Eſt quidem in hanc ſententiam columnae Herodis Attici verſus [2], in quo **ΕΝΗΟΔΙΑ** (Jonice pro **Ἐνοδία**) teſtis invocatur adverſus vialium ſtatuarum everſores. Rurſus **Ἐνοδίαν Δαίμονα** illam PLATO nominavit [3]. REDVX etiam in nummo Domitiani a Latinis eſt ſalutata. Hinc in compitis, & triviis ſignum illius **τρίμορφον**, & **τριπρόσωπον**, ob triplicem, qua dicebatur pollere, poteſtatem, baſi impoſitum viſebatur, cujus ſpeciem vetus anaglyphum, apud MAFFEIVM [4], & elegantiſſimum candelabrum a Cl. noſtro PASSERIO editum [5] praeſertim exhibent. Quo non denique haec titulorum ſeries progreſſa eſt! Ab ipſa etiam, qua ſigna conſtabant, materia nomen quandoque accerſitum. Siquidem PAVSANIAS in Arcadicis cap. XIII. perhibet, ab Orchemoniis **Κεδρεάτιν** fuiſſe communiter dictam, quod illius ſimulacrum ex ingenti cedri trunco exciſum in oppidi ſuburbanis adſervaretur.

Quae

1 BEGERVS *Theſaur. Brandenburg. tom.* I. *pag.* 448.

2 SALMASIVS *Explicatio duarum Inſcriptionum Herodis Attici, & Regillae &c.*

3 *De legibus cap.* IX

4 *Muſeum Veronenſe* I XIX. 4.

5 *Lucernae Fictiles tab.* XCVII. EVERARDVS OTTO in libro *de Diis Vialibus part.* I. *cap.* VIII. eam animo imbibit ſententiam, ſimulacrum Dianae τριμόρφου, (quale primus, referente ATHENAEO *lib.* II. *cap.* 30., fecit Alcmanes) ſive *Hecates Triviae* exhiberi tum in aeneo ſigno Chiſiano, nunc Capitolino apud CAVSEVM (*Muſeum Roman. ſect.* II. *tab.* XIII.) cum etiam in nummis **ΑΙΡΒΕΙΤΩΝ**, & **ΜΑΣΤΑΥΡΕΙΤΩΝ**. At multo libentius in SPANHEMII ſententiam concedam, qui ex appoſitis ſymbolis, *Furias* veroſimilius in his nummis repraeſentari putavit. (*Les Ceſars de l' Empereur Julien pag.* 48.) Quid enim cum Diana *pugiones*, atque *ſerpentes*?

Quae omnia ſi quiſpiam copioſius dicta, explicataque velit, eum ad JULIANI AURELII libros *de Cognominibus Deorum* [1] ablego, a quo abunde iſtiuſmodi quaeſtioni ſatisfactum eſt.

Atque ex hac ipſa nominum copia, varietateque effectum puto, ut mulier Aurelia Elpinice Dianae auxilium expoſcens, quaſi majorem ſe apud illam gratiam inire poſſe ſperaret, multis cumularit, oneraritque titulis. Meminit hujus feminae, ejuſdemque in Dianam pietatis incorrectus Gruterianus lapis a Cl. DORVILLIO in animadverſionibus ad Charitonem Aphrodiſieum ſic reſtitutus [2].

ΘΕΑι ΕΠΗΚΟΩι
ΑΡΤΕΜΙΔΙ
ΛΥΣΙΔΙ ΣΩΤΕΙΡΗι
ΑΥΡ. ΕΛΠΙΝΕΙΚΗ.

Imo nec mirari ſubit, ſi quemadmodum ex agnominum, officiorumque ubertate plures Fortunae, plures Junones exſtitiſſe [3] credebantur, ita plures etiam Dianae. Exemplo omnium inſtar ſit vetus marmor apud CYRIACUM τὸ ἀπόδημον [4].

ΑΓΑΘΗι · ΤΥΧΗι
ΑΥ. ΠΑΡΜΕΝΩ . ΚΑΙ · Η · ΓΥΝΗ · ΑΥΤΟΥ
ΑΥΡ. ΕΙΣΟΔΟΤΗ
ΑΡΤΕΜΙΣΙΝ · ΠΡΑΙΑΙΣ
ΧΑΡΙΣΤΗΡΙΟΝ·

Jam vero ad id, quod rei caput eſt, veniamus, & unde nam probabilius hoc novum, inauditumque nomen Dianae ΚΕΑΚΑΙΑΕ, quod ſe ſe in noſtro marmore offert, elici fas ſit, inveſtigemus; num a loco, ac ſede, num ab officio, vi-

P. I. C taeque

1 *Lib.* I. *cap.* I. *de Diana*. 2 *Lib.* I. *cap.* I. *pag.* 168.

3 Conſule MAFFEIUM *Muſ. Veron.* LXXXVI. I. & PHILIPPUM VENUTI *Diſſertations ſur les anciens monuments de la Ville de Bordeaux pag.* 4.

4 *Epigrammata*, ſeu *Inſcriptiones antiqu. pag.* XXXII.

taeque actione, num denique a Numinis forma, ac figura, quemadmodum alias accidiſſe, exempla hactenus non ad inanem doctrinae oſtentationem, ſed meditato, & ad argumenti παρασκευὴν prolata nos condocefaciunt. Quod antequam exequor, pro certo, exploratoque conſtitui oportere non dubito, poſtremam litteram E quadratarii lapſu huc irrepſiſſe, ex qua tota vox Latinae terminationis indolem ſapit, a Graeca vero multum quam diſſidet; ut eam expungi, obeloque deleri neceſſe ſit. Niſi lapicida pro E animo propoſitum habuiſſet exſculpere *jota*, quod in marmoribus ad dandi caſum demonſtrandum ultimae vocali apponi ſolet. Exſtare quidem Graecas inſcriptiones Latina prope orthographia deſcriptas, facile aſſentio, ſed illas non apud Graecos, a Graecis hominibus, adhuc florente rerum Graecarum ſtatu exaratas fuiſſe contendo, verum mihi perſuaſum eſt, a noſtris marmorariis fuiſſe ſculptas, quum optimis litterarum exſtinctis ſtudiis, ſumma barbaries quaquaverſum ingruerat. Alterum praeterea tamquam notiſſimum praeſumo, in Graecis marmoribus permutationem litterae Α in Λ ob figurae ſimilitudinem, affinitatemque ſaepenumero obſervari [1]; atque adeo in ſecundo λάμβδα lineolam tranſverſam, aut temporis longinquitate exeſam, aut praetermiſſam, arbitror eſſe ducendam, ut leviſſima, obvia, ac naturali emendatione vox iſta efferatur ΚΕΛΚΑΙΑ. At ubinam gentium, quiſpiam inquiet, ſive antiquos ſcriptores adeas, ſive numiſmata, aut inſcriptiones contemplere, vel minimum hujus nominis veſtigium deprehendi poterit? Eſt praeſtantiſſimus ARRIANI locus lib. VII. *de Expeditione Alexandri*, quo (niſi vehementer me fallo) nihil memorabilius, nihilque in rem accommodatius poteſt afferri: is autem hic eſt. Παρελθόντι δὲ αὐτῷ (Ἀλεξάνδρῳ) ἐς Βαβυλῶνα πρεσβεῖαι παρὰ τῶν Ἑλλήνων ἐνέτυχον . . . . . καὶ τούτους δεξιωσάμενός τε καὶ τὰ εἰκότα τιμήσας, ἀποπέμψαι ὀπίσω λέγεται. ὅσους δὲ ἀνδριάντας

1 V. DORVILLIVM *Miſcellaneae Obſervationes Criticae in vet. auctores.* Vol. IX. Frequentiſſima haec in nummis permutatio.

τας ἢ ἀγάλματα, ἢ εἰ δή τι ἄλλ' ἀνάθημα ἐκ τῆς Ἑλλάδος Ξέρξης ἀνεκόμισεν ἐς Βαβυλῶνα ἢ ἐς Πασαργάδας, ἢ ἐς Σοῦσα, ἢ ὅπη ἄλλη τῆς Ἀσίας, ταῦτα δοῦναι ἄγειν τοῖς πρέσβεσι, καὶ τὰς Ἁρμοδίου καὶ Ἀριστογείτονος εἰκόνας τὰς χαλκᾶς οὕτω λέγεται ἀπενεχθῆναι ὀπίσω ἐς Ἀθήνας καὶ τῆς Ἀρτέμιδος τῆς Κερκαίας τὸ ἕδος. *Alexandro Babylone ingreſſo Legati Graecorum obviam venerunt ..... Quos quidem perhumaniter acceptos, debitiſque honoribus ornatos domum remiſit. Quotquot autem clarorum virorum ſtatuas, aut Deorum ſimulacra, aut aliud quidvis Deis conſecratum Xerxes Babylonem, vel in Paſargadas, vel Suſas, aut in quamvis aliam Aſiae partem ex Graecia detulerat, ea Legatis reportanda conceſſit; atque ita Armodii, & Ariſtogitonis aeneas ſtatuas remiſiſſe dicitur, ſimulque Dianae Cercaeae ſimulacrum.* Ad quem locum NICOLAVS BLANCARDVS, homo ſine dubio a Graecis ſtudiis apprime inſtructus, in hoc litterarum genere ſaepe, multumque exercitatus, & in germana veterum ſcriptorum lectione inquirenda oppido gnavus, animadvertit in aliis Codicibus pro Κερκαίας legi ΚΕΛΚΑΙΑΣ: quam caeteroqui lectionem ſibi ſuſpectam eſſe ſcribit, ob altiſſimum totius antiquitatis ſilentium [1]. Sed hoc debemus acceptum antiquis marmoribus, quae in dies eruuntur, inque publicam hominum lucem ex tenebris prodeunt, ut aliquando ea, de quibus tota antiquitas omnino conticuit, ſuo conſpectu, ac praeſentia nobis patefaciant. Ita profecto impraeſentia contingere gratulamur, ut uno lapide, qui BLANCARDI aetate adhuc deliteſcebat, omni ſuſpicioni, ambiguitatique ademptus ſit locus, & iis codicibus potius fidem eſſe adjungendam intelligamus, in quibus legitur κελκαίας, quam in caeteris, qui habent κερκαίας. Interim hujus marmoris praeſidio perſpicuum fit, vetuſtiſſimis temporibus Dianam Athenis nomine *Celcaeam* fuiſſe cultam, ſimulacrumque aeneum illic habuiſſe, aut artificio, & elegantia, aut religione, civiumque obſequio ſpectandum, quandoquidem a

C 2 Xerxe

1 Notae ad Arrianum *pag.* 484.

Xerxe tanti eſt habitum, ut popularibus eripiendum, & in Aſiam aſportandum fore crediderit; Alexander vero Athenarum Legatis illud reſtituendum decreverit. Verum ſi ita refingendum eſt ARRIANI teſtimonium, jam vocis κερκαίας originatio, quam PALMERIVS ille doctiſſimus excogitarat, & ſe ex uno SVIDA collegiſſe putabat, tamquam a vero aliena erit improbanda. Τῆς ἀρτέμιδος τῆς κερκαίας τὸ ἕδος, inquit ille, *ſic opinor dicta ab urbecula, quae* κέρκας *dicebatur, ad Euripum Euboicum ſita, non longe ab Aulide. de qua Suidas in* Ἀκουσίλαος [1]. Quid ibi Gloſſographus? Ἀκουσίλαος. κάβα υἱὸς. ἀργεῖος. ἀπὸ κερκάδος πόλεως οὔσης αὐλίδος πλησίον. ἱστορικὸς πρεσβύτατος &c. *Acoſilaus Cabae filius; Argivus, oriundus ex Cercade urbe prope Aulidem ſita; hiſtoricus antiquiſſimus* [2]. Video equidem PALMERII divinationem claſſico fulciri, nitique teſtimonio. Si quid tamen mihi augurari liceat, eruditiſſimique hominis pace proferre, quid prohibet, quin in SVIDA reſcribatur κελκάδος? Nam quum nullus, praeter illum, ſcriptorum hujus Oppidi meminerit, multaque in ipſius Lexico librariorum vitio depravata, reſtituendaque non modo SCALIGER, ſed alii acerrimi judicii cenſores deprehenderint; non temere nimiſque praefidenter de recta vocis κερκάδος pronunciatione in tanto Chorographorum ſilentio videbor dubitare. Eo autem probabilius, ac commodius reſtitui poſſe κελκάδος, ut urbs Acoſilai patria κέλκας potius appellari debeat, oſtendit conſenſus, qui reperitur inter primum noſtri marmoris verſum, & codices, quos BLANCARDVS viderat. Ergo ſi id ego non infeliciter omnino conjecerim, jam manifeſto intelligetur, unde Dianae ΚΕΛΚΑΙΑΣ nomen ductum fuerit, & qua ex regione cultus illius Athenas immigrarit. Neque nos ab hac interpretatione dehortatur urbeculae obſcuritas. Quem enim

---

1 *Exercitationes in optimos fere auctores Graecos ad Arrianum pag.* 240.

2 Notiſſimum in hiſtoricis nomen Acoſilaus; teſtimonia recenſet KVSTERVS ad hanc vocem.

enim latet, Athenienſes tanta flagraſſe ſuperſtitione, ut cujuſvis populi Numina peregrina (modo id Areopagitarum conſulto fieret) patriis ſuis in dies accenſerent [1]? Nonne, Hesiodi aetate illorum numerus jam ad triginta millia excreverat [2]? Nonne Athenis altaria etiam θεοῖς ἀγνώςοις dedicata [3]? In tanta igitur Deorum turba, quorum pars magna ab exteris obvenerat, nihil factu proclivius, quam ut gens Attica a populis κελκάδος Dianam ΚΕΛΚΑΙΑΝ in ſuos tutelares receperit, quae tot alia numina a conterminis Boeotiae populis jam accerſerat. Juge enim illud, & familiariſſimum commercium Athenienſium cum Celcaeis, quod neceſſario intercedere debuit, ad merces in Euripum inferendas, ſive ad illas exinde Athenas aſportandas, perfacile efficere potuit, ut etiam Deorum cultus communicaretur. Invectam autem Athenas Dianae Celcaeae religionem, ibique ampliſſimae, ac ſuperſtitioſae urbis frequentia, pietateque de more nobilitatam, & auctam, nihil mirum ad Peloponnenſes fuiſſe tranſlatam, ut Colirius, & Claudia ſe illius numini devotiſſimos praeberent. Quae enim urbs erat, quae Athenarum, (*unde humanitas, doctrina, religio, fruges, jura, leges ortae, atque in omnes terras distributae putantur* [4]) inſtituta moreſque non aemularetur? Quae quum ita ſint, in primo noſtri marmoris verſu non immerito legendum eſſe contendo ΚΕΛΚΑΙΑ, ut agnomentum ex loco manaſſe credatur, non vero emendandum ΚΕΛΕΥΘΕΙΑ ex Deae officio, ac munere, vel ΧΑΛΚΕΙΑ, ex ſimulacri conditione, ac materia, quod viris caetera doctis, ad quorum manus inſcriptionis apographum devenerat, viſum fuerat. Quod ſi noſtra interpretatio cuipiam minus probabitur, illud cogitet velim, alia

1 Isocrates *Orat. Areopagit.*
2 *Oper. & dier. lib.* 1. *v.* 250.
3 V. Lucianum *in Philopatride*.
4 Cicero *pro Flacco*.

alia fuiſſe Dianae agnomina, quorum originem neque Pavsanias ipſe quamvis acuratiſſimus inveſtigator, potuit reperire, atque extricare [1]

§. II.

---

1 De Diana cognomento Coccoca habet apertiſſime in Eliacorum primo, ſive *lib.v. cap.xv.* ἀνθ' ὅτου δὲ Ἄρτεμιν ἐπονομάζουσι Κοκκώκαν, οὐ χρεία τε ἦν μοι διδαχθῆναι. *Quamobrem vero Coccocam Dianam appellent* (Elei) *numquam adhuc, ut diſcerem, uſu mihi evenit.* Passerivs tamen ex Hebraea voce *Chochba*, *fortis*, deducendum ſuſpicabatur. *Lucern. Fictil. to.*I. *ad tab.* xcvi. Sed quae ab exoticis linguis derivantur etymologiae ingenium ſaepe, & eruditionem oſtendunt, perraro veritatem. Hoc forte in numero ponendum Hebraicum illud thema *art*, *robuſtus*, ex quo Seldenvs *de Diis Syris Syntagm.* I. *cap.*VI. Ἀρτέμιδος nomen enatum putavit.



[illegible] ex Ins. Melos *alt. Palm. Rom. n°. 2: 1*

§. II.

ΚΟΛΕΙΡΙΟϹ ϹΟΥΠΕΡΒΟϹ ΚΑΙ ΚΛΑΥΔΙΑ ΝΕΙΚΗΦΟΡΙϹ
ΕΚ ΤΩΝ ΙΔΙΩΝ ΚΑΤΑϹΚΕΥΑϹΑΝ ......

Κολείριος Σουπέρβος καὶ Κλαύδια Νεικηφόρις
ἐκ τῶν ἰδίων κατασκευάσαντο.

GENTEM quidem nullam video fuiſſe, quae ſuam in Deos religionem, pietatem, obſervantiam, *δώροις, εὐχαῖς, ἀναθέμασι χαριστηρίοις*, ſive ad illorum placandam iram, ſive ad clientelam demerendam, ſive ad referendam gratiam ſaepenumero non prodiderit. Nihilque mirandum eſt, ab ultimis uſque temporibus permultos homines uni Dianae, quae tamquam *Σώτειρα προπάντων* tot rerum curam gerere, tot munia obire, tot formas induere omnium conſenſu credebatur, cuiuſvis generis munera ac donaria vel voti reos, vel voto ſuſcepto, libentes animo obtuliſſe. Certe Dianae nomini ſe ſe dicatiſſimos Campani probarunt, quum vetuſtiſſimum, egregiique operis vaſculum teſtante ATHENAEO, Deae TIFATINAE [1] urbis ſuae praeſidi, ac conſervatrici dedicarunt. *ὁποῖον τι καὶ ἐστὶν ἰδεῖν ἐν Καπύῃ πόλει τῆς Καμπανίας ἀνακείμενον τῇ Ἀρτέμιδι ποτήριον, ὅπερ λέγουσιν ἐκεῖνοι Νέστορος γεγονέναι. Ἐστὶ δὲ ἀργύρεον χρυσοῖς γράμμασιν ἐντετυπωμένα ἔχον τὰ Ὁμηρικὰ ἔπη.* *Ejuſmodi poculum viſitur in Capua Campaniae civitate, dicatum Dianae, quod ajunt populares fuiſſe Neſtoris. Argenteum illud eſt in*

---

1 Notiſſimus mons Tifata, qui Capuae imminet, ſubjectamque deſpicit urbem. VELLEIVS lib. II. cap. 25. *Poſt victoriam, qua deſcendens montem Tifata cum C. Norbano concurrerat Sylla, grates Dianae, cujus numini regio illa ſacrata eſt, ſolvit; aquas ſalubritate, medendiſque corporibus nobiles, & agros omnes addit Deae.* Nihil idcirco frequentius in marmoribus Campanis, quam Dianae Tifatinae nomen, cui populares addictiſſimi ſigna, ſana, thermas, lucos eo in agro dedicantes, hoſce titulos adjecerunt. V. PRATILLVM *della via Appia lib.* III. *cap.* I. *&c.*

inſculptis Homericis verſibus litteris aureis inſigne [1]. Quoniamque ſub ILITHYIAE nomine invocata, ut habet HORATIVS in Carmine Saeculari, putabatur

Rite maturos aperire partus
Lenis Ilithyia;

quod de Berenice Philadelphi matre narrat THEOCRITVS, his verſibus:

Ἔνθα γὰρ Εἰλείθυιαν ἐβώσατο λυσίζωνον
Ἀντιγόνας θυγάτηρ, βεβαρημένα ὠδίνεσσι.
Ἡ δέ οἱ εὐμενέουσα παρίστατο.

Namque ibi Ilithyiam ſolventem filia Zonam.
Antigones, partus oppreſſa dolore, vocavit:
Quae prompta auxilium tulit illi [2];

Idcirco χαριστήρια, donaque ejus templo, aut ſimulacro delata legimus a puerperis. Memoratu profecto, quodque hoc loco exſcribatur digniſſimum eſt epigramma a KVSTERO vulgatum [3].

Ἄρτεμι, σοὶ τὰ πέδιλα Κιχησίου εἵσατο υἱὸς
Καὶ πέπλων ὀλίγον πτύγμα Θεμιστοκίδη.
Οὕνεκα οἱ πρηεῖα λεχοῖ δίσσας ὑπερέσχες
Χεῖρας, ἄταρ τόξου, πότνια νισσομένη.

Quod ego effoetae Muſae ingratiis ſic vertebam.

O *Diana, te filius Cicheſiae induit calceis,*
Et exiguo pepli plexu, Themiſtocide.
Quod illi placida puerperae duplices extendiſti
Manus, o veneranda, quum redires a venatu.

Eo

1 *Deipnoſophiſt. lib.* XI. 2 *Idyll.* XVII.
3 IN SVIDA *v.* λεχὼ, & πτύγμα.

Eo libentius hujuſce tetraſtichi placuit meminiſſe, quod neſcio, an alibi legatur *calceorum* ἀνάθεμα. Calceos vero ejuſmodi venatorios, ſive ἐνδρομίδας procul dubio fuiſſe arbitror, Latine cothurnos, qui ſuras magna parte tegerent, loro trajecto, pedeſque conſtringerent. Moveor non tam POLLVCIS auctoritate, qui ſcriptum reliquit: αἱδὲ ἐνδρομίδες ἴδιον τῆς Ἀρτέμιδος τὸ ὑπόδημα; *endromides proprium Dianae calceamentum*, quam numiſmatum, aliorumque monumentorum fide, ex quibus Dianam Κυνηγῆτιδα id genus cothurnis, quos Ariſtaeum inveniſſe NONNVS tradit [1], eſſe uſam, manifeſto addiſcimus. Cicheſiae ergo filius non poterat gratiori, aptiorique munere ſtatuam illius perornare. Uxor autem Themiſtocide peplo ſimulacrum conveſtivit, quo mos erat Deas amiciri. Quid hic illa praeſtitit, niſi quod apud Graecas mulielieres receptum, uſitatumque fuerat? Adſcribo veteris AESCHYLI SCHOLIASTAE verba, a quo eſt iſtud memoriae proditum [2]: παρετίθεσαν γὰρ καὶ πέπλους, καὶ ἐνέδυον τὰ ἀγάλματα, *etenim quae peplos* (Diis) *obtulerunt*, *iiſdem ſimulacra amicuerunt*.

Prodeat poſt Themiſtocidem Dianae numini, majeſtatique adeo devotam, Damoclea ejuſdem ILITHYIAE obſervantiſſima, atque poſt δῶρον εὐχαριστικὸν in epigrammate expreſſum, δῶρον αἰτητικὸν tabellae marmoreae inſculptum in lucem educamus. Eximium hoc, & ſingulare marmor, quemadmodum caetera omnia, quibus explicandis animum adjeci, debeo ſpectatiſſimo, ac erudito meo BERNARDO NANIO, quem, ut ipſius doctrina, ac dignitas poſcit, ubique honoris, amplitudiniſque gratia nominatum volo.

1 *In Dionyſiac. lib.* v.
2 *In Perſ. v.* 97.



1705. ex Peloponnaso alt. palm. Rom. 1° ¼ 8

Quae hic Ilithyiae, ſive Dianae (**ἐπεὶ καὶ τὴν Εἰλειθυίαν ὅταν ἀκούσῃς, ἀκούεις τὴν Ἄρτεμιν**, *quandoquidem quum Ilithyiam, Lucinamve audis, Dianam, audis* [1]); quae inquam hic Dianae Lucinae, opiferaeque tribuuntur indumenta, inſignia, ſymbola, **ἰδιώματα**, non modo cum his, quae de illa ab antiquis ſcriptoribus traduntur, ſed cum ipſis eruditae vetuſtatis ſculptis, fictiſque monumentis, mirifice, planeque conveniunt. Nam etſi Diana, quum **κυνηγέτις** repraeſentatur veſte crure tenus, duplicique correpta cinctu induatur; attamen quoties **λοχαίας**, & feminarum utero laborantium adjutricis perſonam gerit, habitu praelongo, ac talari injecto deſuper *Peplo* perornatur. Talem exhibent **Εἰλειθυίαν**, Lucinamve nummi **ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ**, **ΥΠΑΙΠΗΝΩΝ**, & **ΣΑΜΙΩΝ** [2], quorum typus prorſus congruit cum Deae ſimu-

1 LIBANIVS *Orat. de Diana*.
2 MVSEVM PISAN. *Tab.* XXIII. XLVIII. XXXIX.

ſimulacro, quod apud Aeginenſes PAVSANIAS miratus eſt [1]. **Αἰγινήταις δὲ Ἐιλειθυίας ἱερόν ἐστιν ἀρχαῖον καὶ ἡ Ἐιλείθυια ἐς ἄκρους ἐκ κεφαλῆς τοὺς πόδας ὑφάσματι κεκάλυπται λεπτῷ.** *Aeginenſes autem habent vetuſtum Lucinae fanum, ipſius Deae ſignum a capite ad talos uſque tenui lineo velatum eſt*. CALATHVM quemadmodum in mox recenſitis nummis, ita in noſtro marmore capiti impoſitum geſtat. Is quum ſit fertilitatis, foecunditatiſque notiſſimum ſymbolum, convenientiſſime profecto datur DIANAE LVCINAE INVICTAE [2], a qua praegnantes auxilium operiebantur, ut foetus feliciter matureſceret [3], inque vitam, pulſis procul a matre doloribus, expedite ingrederetur. Nihil tamen eſt, quod illuſtrius Dianae virtutem, potentiam, divinitatemque oſtendat, quam haſta trifidae cuſpidis, quam leva manu tenet, ut ex JVSTINI verbis licebit intelligere. *Ab origine vero pro Diis immortalibus veteres HASTAS, quas Graeci* **σκῆπτρα** *dixere, coluere; ob cujus religionis memoriam adhuc Deorum ſimulacris HASTAE adduntur* [4]. Conſuevere Graeci ejuſmodi Deorum ſceptra pomo, aut floribus, aut foliis ſuperne inſignire; quod hic caeteroquin inconcinno, ac ineleganti artificio factum videas, ea ferme ratione, qua ornatur haſta Jovis **ΠΟΛΥΑΝΘΕΟΣ** in nummis **ΚΥΡΑΝΑΙΩΝ** [5]. Praeter ſceptrum dextera pateram ſacrificantis in modum porrigit, ea ſane ſpecie, qua Juno, Veſta, Ceres &c. frequenter in veteri moneta occurrunt. Nam quum Ethnici vellent Deos humana forma adumbrare, ac corporeis imaginibus conveſtire, nihil ſic illos decere merito putabant, quam ſacerrima ſacrificii actio. Ideo Auguſtas, quas inter coelites receptas aut exiſtimarunt, aut finxerunt, hoc ipſo geſtu a Monetariis expreſſas conſpicimus [6].

 Quan-

1 *In Achaic. cap.* XXIII.
2 GRVTERVS *Inſcript.* XLI. *num.*4.
3 CICERO *De Nat. Deor. lib.* II. *cap.* XXVII.
4 *Hiſtoriarum ex Trogo Pompejo lib.* XLIII. *cap.* III.
5 MVSEVM PEMBROCHIANVM *Num. Populor. & Vrbium tab.* V.
6 *Sic* IVLIA AVGVSTA in nummo Coloniae Caeſarauguſtae apud erudi-
tum

Quantopere autem, & quam effuſa religionis ſignificatione coli a feminis hoc numen deberet, innuit princeps ingenii, & doctrinae Plato in fine libri VI. de legibus: ***γυναῖκες πρὸς τὸ τῆς Ἐιλειθυίας ἱερὸν ἑκάστης ἡμέρας ξυλλεγόμεναι μέχρι τρίτου μέρους ὥρας***; *Mulieres in fanum Dianae Lucinae quotidie conveniant, uſque ad tertiam horae partem*. Hujus legis, quam Athenienſibus divinus auctor indixerat, minime ignara Damoclea Peloponnenſis, non ſolum piis, ſollicitiſque precibus Deam exorabat, ſed inſuper cultus, obſequii, ſpeique in illam ſuae teſtificandae cauſſa tabulam votivam Ilithyiae effigie inſignem ad templum detulit, brevemque epigraphen addidit, quae ſe praeſtantiſſimam illius opem depoſcere monſtraret: **ΔΑΜΟΚΛΕΙΑ ΙΚΕΤΙς** *Damoclea ſupplex*. At quum locum animo intueor, mecumque cogito, unde hoc marmor Venetias deportatum eſt, atque cum his confero, quae a Pausania ſcribuntur de Dianae Ilithyiae templo, quod Hermione ad ſinum Argolicum fuerat, inter celeberrimi illius delubri reliquias hoc votum non ambigo eſſe numerandum. Inquit ille: ***ἄλλως μὲν δὴ καθ' ἡμέραν ἑκάστης καὶ θυσίαις, καὶ θυμιάμασι μεγάλοις τὴν Ἐιλειθυίαν ἱλάσκονται***, *Dianam Lucinam quotidie* (Hermionenſes) *cum hoſtiis, tum odoribus magniſque donis venerantur*[1]. Jam vero Argolis, in qua Vrbs Hermion, Peloponneſi vel ipſa pars erat. Atqui Damocleae monumentum ex Peloponneſi oris in Muſeum Nanium migravit. Vero itaque perquam ſimillimum fit, ad famigerati illius fani donaria pertinuiſſe.

Quan-

---

tum Florez *Medallas de las Colonias, Municipios, y Pueblos antiguos de Eſpana &c. Madrid* 1757. *Tab.* VIII. *num.* 3. Hoc ipſo geſtu expreſſa eſt Pietas, aut Religio in anecdoto nummo Elagabali ΝΙΚΟΠΟΛΙΤΩΝ ΠΡΟϹ ΙϹΤΡΩ. Vide *Tab.* XXI. *num.* 14. Mvsei Vindobonensis. *Part.* I.

1 *In Corinthiac. cap.* XXXV. Ilithyiae cultus non modo in Peloponneſo, & in Attica mire, impenſeque obtinuit, ſed etiam in Boeotia, ut patet ex duobus marmoribus a Cyriaco vulgatis *pag.* XXXIII. in quibus Dorica dialecto ſcriptum legitur, ΑΡΤΑΜΙΔΙ ΕΙΛΕΙΘΥΙΗ. Male illa quidem interciſa, multumque depravata in Romana Cyriaci editione: reſtituere, & emaculare conatus eſt Dorvillivs *Miſcell. Obſervat. Critic. an.* 1741.

Quandoquidem vero me in hunc locum deduxit oratio, ut donaria Dianae ſacra commemorarem, ſuſcepto deeſſem muneri, niſi Lucernam votivam, quam ex Muſeo Passerio delineatam, deſcriptamque littera majuſcula in ipſa operis ingreſſione concluſi, paucis illuſtrandam aggrederer. Dianae dedicatam, atque in illius templo, feſtiſve illi diebus adhibitam, monet ipſa inſcriptio: ΑΡΤΕΜΙδι ΙΕΡΟΝ. Sed quid bobus cum Diana, quae aras ſibi dicatas cervorum potius ſpoliis ornari gaudebat? Antiquam Graecarum virginum conſuetudinem hoc **Δῶρον** in mentem revocat, quae nupturae juvencas Deae immolabant. Eo reſpicit Evripidis carmen [1]:

> ***Μόσχοι τε πρὸ γάμων ὥς θεᾷ πεσεῖν χρεών,***
> *Juvencas, quas ante nuptias oportet mactare Deae.*

Erat igitur Lucerna quaſi *μνημόσυνον*, quo admonerentur virgines, quae Dianam **ΛΥΣΙΖΩΝΟΝ** [2] adibant, ſupplicesſque precabantur, bene de nuptiis non poſſe augurari, niſi hoc ſacrificio illam propiciare ſtuderent. Quid etiam veteres fabulatores, quum Dianae geſta ſcripto mandarent, de tauro non ſunt commentati? Vnde & **ΤΑΥΡΟΠΟΛΟΥ** illi tributum nomen, cujus apud Diodorvm mentio eſt [3]: quodque Evstathivs ad Dionysii *περιήγησιν* accerſit ab ipſis tauris, quos ab hoſpitibus in ſui honorem mactari delectabatur [4]. Atque hoc ipſo nomine a Smyrnaeis, & Magnetibus cultam fuiſſe, indicio eſt foedus inter eos ſollemniter initum, in quo jurandum a Magneſiae incolis perſcribitur per Dianam ***τὴν Ταυροπόλον*** [5]. Adde huc, docente Strabone [6], Dianae Tauropoliae in Inſula Icaria ſatis celebre templum. Quorum omnium

1 *Iphigen. in Aulid. V. v.* 1113.
2 Habes *de Diana* ΛΥΣΙΖΩΝΩ egregiam commentationem multa doctrina, eruditioneque confertam Clariſ. Jvlii Caroli Schlaegeri editam Hamburgi 1735.
3 *Lib.* v.
4 Vbi de Tauris populis *pag.* 151.
5 Marmora Oxoniensia *part.* I. *num.* I.
6 *Lib.* xiv.

omnium minime ignari monetalis officinae typarii illam vel tauro inſidentem, vel taurorum biga vectam, vel etiam ſuper proſtratum taurum gradientem ſculpſerunt [1].

Ergo nihil in Lucerna expreſſum, quod cum mythica Dianae hiſtoria, ejuſque nominibus non apprime conſentiat. Denique quum viis, itineribuſque, ut diximus, praeeſſet, illud quoque hominibus ſuperſtitioſa religio ſuaſit, eidem dedicari oportere opera publica, quae in gratiam peregrinantium fabricarentur. Quare Cajum Sextilium Polii filium ex Tribu Votiria pontem prope Ephesum a ſe conſtructum Dianae commendaſſe, teſtatur vetus lapis in SPONII odoeporico [2], quem hic libuit ſubjicere.

ΑΡΤΕΜΙΔΙ. ΕΦΕΣΙΑι. ΚΑΙ. ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΙ
ΚΑΙΣΑΡΙ. ΣΕΒΑΣΤΩι. ΚΑΙ. ΤΙΒΕΡΙΩι
ΚΑΙ. ΔΗΜΩι. ΤΩΝ. ΕΦΕΣΙΩΝ. ΓΑΙΟΣ
ΣΕΞΤΙΛΙΟΣ. ΠΟΛΙΟΥ. ΥΙΟΣ. ΟΥΟΤΟΥΡΙΑι
ΤΗΝ. ΓΕΦΥΡΑΝ. ΕΚ. ΤΩΝ. ΙΔΙΩΝ. ΑΝΕΘΕΚΕΝ.

His Dianae cultoribus adjungendi itaque Colirius Superbus, uxorque ipſius Claudia Nicephoris, quorum impenſa, ſumptuque in Deae honorem columna erecta fuerat, eidemque, ſi quid recti mens augurat, impoſitum horologium. Quamquam quum illorum nomina nullis conſignata monimentis hactenus repererim; fieri minime poſſe mihi videtur, ut in tantis inſcitiae tenebris certo affirmari queat, qua domo, qua conditione, quove ordine fuerint. Fortunas ſaltem, opeſque illis fuiſſe haud mediocres, ex eo intelligere licebit, quod donaria dedicarint, non levi impendio parabilia. Marito equidem nomen erat, quod ignominiae, probroque ei fuit, cui primo datum, tributumque legimus. Tarquinius is nempe exſtitit, effraenatae audaciae, & intollerabilis

1 Vide GOLTZIVM *Siciliae*, & *Magnae Graec. num. Tab.* XVII. *Num. Tab.* XVIII. itemque SPANHEMIVM *ad Callimach pag.*213.
2 *Voyage du Levant. Inſcript. Antiques tom.* 1. *edit. Amſt.* 1679.

bilis ſpiritus homo, qui licet ſe flagitiis omnibus dedecoraſſet, inſolentius inter ipſa vitia ſe efferebat. Eſt id animadverſum a THEOPHILO Antiochenſis Eccleſiae Patriarcha in libris ad AVTOLYCVM. Τοῦ οὖν Κύρου τελευτήσαντος ἔφθημεν εἰρηκέναι Ὀλυμπιάδι ἑξακοστῇ, καὶ δευτέρᾳ γίνεται καιρὸς ἀπὸ κτίσεως Ῥώμης ἔτη σκ΄ ᾧ καὶ Ῥωμαίων ἦρξε Ταρκυνύιος Σούπερβος τοὔνομα, ὃς πρῶτος ἐξώρισε Ῥωμαίους τινὰς καὶ παῖδας διέφθειρε καὶ σπαδόντας ἐγχωρείους ἐποίησεν. Ἔτι μὴν καὶ τὰς παρθένους διαφθείρων πρὸς γάμων ἐδίδου, διὸ οἰκείως Σούπερβος ἐκλήθη τῇ Ῥωμαϊκῇ· ἑρμηνεύεται δὲ ὑπερήφανος. *Mortuo igitur Cyro, ut ſupra diximus, Olympiade LXII fit tempus a condita Roma anni CCXX, quo tempore & Romae imperavit Tarquinius nomine Superbus, qui primum in exilium ejecit Romanos quoſdam, & pueros corrupit, & indigenas ſecuit. Praeterea virgines a ſe vitiatas in matrimonium dabat, idcirco proprie SVPERBVS appellatus eſt Romano ſermone, quod interpretatur* ὑπερήφανος [1]. Imo vero omne probrum in hoc uno verbo comprenendit LATINVS PACATVS. *Denique illum ipſum Tarquinium execratione ſuprema, hoc damnaverunt maledicto, & hominem libidine praecipitem, avaritia caecum, immanem crudelitate, furore vecordem, vocaverunt Superbum, & putaverunt ſufficere convitium* [2]. Atqui in meliorem partem accipi a Latinis ea vox nonnumquam conſuevit, ut ad deſignandam magnificentiam, ſplendorem, fortunam, opulentiam, gloriam ſaepenumero traducta ſit. Quare ſuperbi dicuntur triumphi incredibili apparatione, & pompa peracti; tecta ſuperba, quae divitiis, & luxu abundarent; regna ſuperba, quae inſignibus factis, & ditione longe, lateque propagata ſplendeſcerent. LIVIVS etiam nitidiſſimus ſcriptor familias ſuperbiſſimas nuncupavit, quae opibus, gratia, auctoritateque plurimum in Repub. valerent [3].

Porro firmiſſimum videtur, Colirium non ad invidiam, inju-

---

1 *Lib.* III.
2 *In Panegyr ad Theodoſium*.
3 *Lib.* II. LVI.

injuriamque illi conflandam *Superbum* fuiſſe appellatum. Qui enim permiſiſſet in monumento a ſe exaedificato nomen inſculpi, quod ſibi apud poſteros omnes ſummae foret vituperationi? Agnomen ergo defluxiſſe veroſimilius videtur, ex ſplendidae, ac generoſae familiae nobilitate, atque copiis. Nec quidquam huic noſtro judicio incommodat, quod in Graeco marmore vocis proprietas, & ſignificatio tota Latina ſit, nihilque habeat Graecitatis. Conſuevere ſiquidem Graeci agnomina apud Latinos enata adſciſcere, eaque ſuis litteris, ſed Latina pronunciatione ſcribere, ne fortaſſe, ut opinor, verba, quae jamdiu in omnium ore, ac ſermone erant, ſicque a Latinis uſurpabantur, notiſſimam vim, ac ſignificantiam habere deſinerent, ſi in Graecum tranſmitterentur. Quid ego exemplis ex tota antiquitate conquirendis, ac percenſendis immorer? An non (ut vulgata, obvia, certiſſimaque proferam) a CAPITOLINO, SPARTIANO, HERODIANO docemur, PVBLIVM HELVIVM IMP. hominem propoſiti, ſententiaeque retinentem, & voluntate nimium obſtinatiore ideo *Pertinacem* fuiſſe cognominatum? An non CAIVM PESCENNIVM ob atram, & nigrantem cervicem, *Nigrum* fuiſſe appellatum? Jamvero in Graecis nummis neque ille **ΑΥΘΑΔΗΣ**, neque hic **ΜΕΛΑΣ** dictus eſt; ſed prior **ΠΕΡΤΙΝΑΞ**, alter **ΝΙΓΡΟΣ** inſcribitur. Neque etiam in poſtremis habendus inſignis, magnique moduli nummus ANTONINI Gazae Regiae Pariſienſis [1], ab Epheſiis cuſus, in quo optimus Imp. ſub ſpecie Jovis **εὐεργέτου** expreſſus apparet. Licet *Pii* cognomen, quod ob integros, placidos, & liberales mores, maximeque ob ſuam tam in Remp., quam in cives pietatem obtinuerat, in aliis Graecis nummis Graeco verbo **ΕΥΣΕΒΗΣ** reddatur, in hoc tamen, ſervato Latinae vocis ſono, ita legitur **ΠΕΙΩ ΕΦΕΣΙΩΝ**. Similiter voces illae **ΜΑΓΝΟΣ**, aut **ΙΟΥΣΤΟΣ**, quae in Graecanica moneta obſervantur, pro **μέγας**, & **δίκαιος**, Romanam appellationem retinuere, quod in proprii cognominis vicem tranſierant.

1 SEGVINVS *pag.* 146.

ſierant. Nihil ergo retruſi, nihil ancipitis, nihilque inuſitati habet haec Graeci, Latinique ſermonis permixtio, qua ſecundus noſtri lapidis verſus conſtat. Ex qua illud potius intelligi, deprhendique fas eſt, Colirium, qui quamvis in Peloponneſo verſaretur, vel Romanis prognatus erat majoribus, vel illuſtre agnomen a Romanis acceperat, Graeco plane more, loco vocis **ΥΠΕΡΗΦΑΝΟΣ** alteram **ΣΟΥΠΕΡΒΟΣ** a quadratario ſculpi juſſiſſe. Sed haec clariora ſunt, quam ut uberius explicari, confirmarique nunc debeant.

Vtinam aliquid certi, quemadmodum hactenus de dedicationis auctore a me prolatum eſt, ita nunc de marmoris aetate elici, conſtituique poſſet. Sed neque ex Sacrificulae, vel Curatoris nota, qua inſcriptio terminatur, neque ex alio ullo indicio licet tempus definire, quo Colirius, ipſiuſque conjux (cui agnomen felix, dextrumque portendens augurium, ut Graecis feminis uſuveniebat, impoſitum fuerat) haec donaria *ἐκ τῶν ἰδίων κατεσκευάσαντο*. Si quid tamen praeſidii rei pertentandae ſubfulget, una eſt litterae, **Σ**. quadrata forma **Ɛ**. Hanc Auguſti aevo in publica marmora invectam concordi ſenſu decernunt palaeographiae Graecae peritiſſimi Montfauconius [1], & qui illius opus in epitomem cogit Placentinus [2]. Verum ex longa, & iterata veterum monumentorum obſervatione, contemplationeque illud praeterea ſtatuere me poſſe confido, hac litterae forma homines non diu eſſe uſos, ſed brevitate, facilitateque ſcribendi alteram ſuffeciſſe C, utpote quae unico calami, aut ſtyli ductu pingitur. Nam Titi aetate non quadrata, ſed rotunda, lunataque hujus litterae forma jam invaluerat; quod tangit Martialis [3],

Accipe lunata ſcriptum teſtudine ſigma.

1 *Palaeograph. II.*
2 *Epitome Palaeograph. cap.* III.
3 *Lib.* XIV. *epigram.* LXXX.

Lapicidae autem litteras ſcalpro fingentes, licet nullum, aut certe minimum vitarent laborem, ſi pro Ꮯ, ſculpſiſſent C, uſitatam tamen orthographiam quovis tempore ſequuti ſunt, & ad eam ſcribendi rationem, quae communiter obtinebat, ſe ſe conformarunt. Ergo ſi Montfavconii canones ſequamur, quum noſtro in marmore hujuſce litterae forma continenter quadrata occurrat, conijciendum videretur, Colirium, & Claudiam ſaeculo Auguſteo vixiſſe, hocque monumentum inter Octaviani, & Veſpaſiani imperium Dianae Celcaeae dedicaſſe.

Ab hujus tamen ſpectatiſſimi viri judicio hic cogimur abſcedere, licet primus in hoc doctrinae genere facem extulerit, primuſque Graecae palaeographiae ſcientiam poſteris monſtraverit. Siquidem longe ante aeram Auguſti non in nummis modo, ſed etiam in marmoribus jam obtinuerat forma litterae Ꮯ. Indicio imprimis ſunto nummi *Saxiorum*, & *Orthoſienſium*, quos in Theſauro Britannico publicavit Haymvs [1], iterumque Havercampvs recudit [2], in quibus utriuſque populi nomen ita ſcriptum legitur: **ᏟΑΞΙΩΝ**, & **ΟΡΘΩᏟΙΕΩΝ**. Cum numiſmatis autem prorſus congruit, atque cohaeret pſephiſma eorumdem Saxiorum, inter monumenta Teia a Chisvllio vulgatum [3], cujus titulus ſimillima γραμματεία exaratum eſt. Quae quidem monumenta Romani imperii primordia, Caeſarumque dominationem centum, & amplius annis praeceſſere. Columnam igitur Peloponneſiacam ſimilibus characteribus ſcriptam opus altioris aevi non immerito licebit ſuſpicari. Eo autem libentius hanc amplexor, tueorque ſententiam, quod incredibile videtur, Mythologos, ſcriptoreſque rerum Graecarum, qui ab Auguſto ad Veſpaſianum magno numero floruerunt, Dianam Κελκαίαν omnes omnino tacitos potuiſſe praeterire, niſi ipſius religio jam tum apud Graecos pene obſoleviſſet. Commodius proinde

1 *Tom.* II. *pag.* 135. 147.

2 *Diſſertatio de varia Graecar. Lit. Scriptura*, & *forma p.*185. *n.*31. 37.

3 *Antiquit. Aſiaticae aeram Chriſtian. antecedentes pag.*114.

inde hoc noſtrum marmor (niſi ego plurimum fallor) ſi minus ad ea tempora, quorum hiſtoria ab Arriano chartis conſignata eſt, ſaltem ad primas Romanorum in Graeciam expeditiones, quum adhuc illius Deae cultus vigeret, referri poterit.

§. III.



§ III.

ΤΟ ΩΡΟΛΟΓΙΟΝ

τὸ ὡρολόγιον.

NEſcio quo fato, quove hominum conſilio acciderit, ut ſi quando horologia Diis devoverentur, haec uni Dianae, quaſi proprium, & ſingulare hujus Deae munus, dedicata, conſecrataque fuiſſe reperiantur. Primum, quod Roma vidit, ſolariorum, *ad aedem Dianae in Aventinae* fuiſſe collocatum, auctore CENSORINO [1], a multis credebatur. Quare in Nemauſienſi inſcriptione, quae habet [2]:

DEO. NEM. X. TITVLLVS. PERSEVS
HOROLOGIVM. ET. CERVLAS
ARGENTEAS. II. T. P.

vereor, ne illud τὸ DEO librariorum inconſiderantia, & errore ſuffectum ſit pro DEAE. Nam etſi ab ARNOBIO memorari ſciam *Deum* NEM*eſtrinum* [3], qui lucis, & ſaltubus praeeſſet; nihilominus quum inter patelares, gregales, minimoſque is recenſeretur, adeoque non cuivis eſſet cognitus, nomen ipſius non videbatur compendiarie ſcribendum. Contra vero, quum Diana communi poetarum, aliorumque ſcriptorum voce nemorum virgo, nemorum cuſtos, regina nemorum celebraretur, atque in inſcriptionibus NEMORENSIS

1 *De die Natali cap.* XXIII.
2 FLEETWOOD *part.* I. *pag.* 51. *Cerulas* Decio Titullo Perſeo Teſtamento poſitas idem ac *Cereos* interpretor, ſive Lychnos, vel potius Lychnuchos veroſimiliter penſiles ad lucernas ſuſtinendas. λυχνοῦχοι penſiles laudantur tum a SVETONIO *in Caeſar. cap.* XXXVII. cum a PLINIO H. N. *lib.* XXXIV. *cap.* III. *Ceriolares aereos* oblatos memorat vetus inſcriptio.
3 ARNOBIVS *adverſus Gentes lib.* IV.

SIS [1] paſſim diceretur; agnomentum hoc & hominum ſermone protritum, & jugiter illi tributum, quoties cum verbo DEAE conſociaretur, poterat convenientiſſime tribus prioribus elementis NEM. deſcribi; his enim vix inſpectis, ſtatim ex antecedenti nomine quid eſſet ſupplendum, lectoris menti ingerebatur. At ſi id nonniſi conjectando ex Nemauſienſi inſcriptione colligere videor, minime dubitanter, dilucideque in Peloponneſiaca perſpicitur. Ex qua nova mihi enaſcitur cauſſa, quamobrem fidentius dicam, noſtrum marmor praeſtantiſſimis eſſe adjungendum, quandoquidem ob dedicationem cum Romana hiſtoria ſic mire conſpirat, atque etiam unicum (quod ego ſciam) ex Graecis eſt, quod horologia commemoret. Sed eo ventum eſt, ubi commentarii titulus in longum me vocat ſermonem: niſi enim de variis antiquorum horologiis aliqua praefatus fuero, nec veroſimiliter deprehendi poterit cujuſmodi illud fuerit, quod Colirius, & Claudia dedicaverunt, nec nova quaedam id genus monumenta, quae mihi haec meditanti ſecunda ſors obtulit, perſpicue, apteque explicari.

Duo ex omni antiquitate fuerunt Horometrorum genera ad tempus metiendum, certamque quamdam menſtrui, & diurni ſpatii conciſionem. Alia quidem marmori, vel metallo, vel ebori deſcripta erant, quae gnomonis, ſive ſtyli, ſive alterius cujuſdam erecti corporis umbra in ſubjectas lineas incurrente, anni tempeſtates, aut horas declarabant. Alia vero vaſcula vitrea fuerant graciliter fiſtulata, aut machinationes *αἱ ὑδροδόκοι*, in quibus aqua guttatim effluens horarum numerum deſignabat. Quaenam ex his ab hominibus primo excogitata, inventaque fuerint, oppido quam difficile dictu eſt in tam obſcura, tamque remota a noſtris aetatibus rerum recordatione. CL. GOGVETVS vir ingenioſus,

1 GRVTERVS XXXIX. 8. XLI. 7. GVDIVS XXIX. 2. & 5. MVRATORIVS XXXVI. Clariſſimus F. A. ZACHARIAS inter *Marmora Salonitana Claſs.* I. *num.* VII. ex Schedis Spalatenſibus inſcriptionem retulit, in qua SILVESTRIS nuncupatur.

ſus, idemque eruditus, quem nuper ingenti rei Litterariae incommodo ſibi praematura morte ereptum Gallia deflevit, ὑδροσκόπια priuſquam σκιοθήρα invecta fuiſſe ſuſpicatur [1], eaque cum noſtro VALERIANO [2], aliiſque ſuperioris aevi ſcriptoribus ab HERMETE TRISMEGISTO, & Ægyptiorum Sacerdotum doctrina repetit, qui quum Cynocephalum duodecies in die, intervallis continenter iſochronis, meiere obſervaſſent, hujus animalis magiſterio, uſuque edocti horologia aquaria ad diei partitionem inveniſſe feruntur. Id equidem diebus tantum ἰσημερίναις accidiſſe perhibuerat HORVS APOLLO: ἰσημερίας δύο πάλιν σημαίνοντες, Κυνοκέφαλον καθήμενον ζωογραφοῦσιν. ἐν ταῖς δυσὶ γὰρ ἰσημερίαις τοῦ ἐνιαυτοῦ, καὶ δωδεκάκις τῆς ἡμέρας καθ' ἑκάστην ὥραν οὐρεῖ τοδὲ αὐτὸ καὶ ταῖς δυσὶ νυξὶ ποιεῖ. *Significare volentes duo aequinoctia pingebant Cynocephalum ſedentem, quoniam in duobus anni aequinoctiis duodecies in die per ſingulas horas mingit, & id ipſum facit duabus noctibus* [3]. Nihil autem fuit factu proclivius, quam, ut quod in uno, alterove anni die evenire viderant, ad caeterorum omnium diviſionem, pari duodecies interpoſito ſpatio, conſtituendam transferrent; horologio videlicet brumalium, aeſtivorumque dierum varietati, & horis ὁμαλαῖς, ſeu καιρίαις inveniendis attemperato. Quamquam & hujus alterius inventi originem peraeque ridiculam prodit DAMASCIVS penes PHOTIVM, Aelurum nempe Aegyptiis clepſydram τὴν καθ' ἑκάστην ἡμέραν, & perpetuam monſtraſſe. Τὰς δώδεκα ὥρας ὁ αἴλουρος διακρίνει, νύκτας καὶ ἡμέρας οὐροῦσα καθ' ἑκάστην ἀεὶ δίκην ὀργάνου τινὸς ὡρογνωμονοῦσα. *Duodecim horas felis diſtinguit, noctes, ac dies ſingulis horis urinam reddens; ac ſempor horologii inſtar horas diſtinguit* [4]. Quid tamen haec conſectabimur? Tranſmiſſae

1 *Origine des loix, des ſciences, & des arts. Tom.* I. *livre* III. *chapitre* II. *art.* I.
2 *Hieroglyph. lib.* VIII. *num.* III.
3 *Hierogiyphica lib.* I. *cap.* XVI. *edit.* HOESCHELII.
4 *Biblioth. Cod.* CCXLII.

miſſae ab Aegyptiis doctrinae, ut vitam hominum putida ſuperſtitione, ita & hiſtoriam ineptiſſimis fabulis referſerunt. Porro ſi quid ejuſmodi commentis tribuendum eſt, & artium inventa exinde ſunt accerſenda, eſt & illud Appionis Grammatici, quo fortaſſe ſolaria aquariis putari poſſent vetuſtiora. Is enim apud Josephvm de Moſe haec narrat; *ἀντὶ δὲ ὀβελῶν ἔστησε κίονας, ὑφ' οἷς ἦν ἐκτύπωμα σκάφης· σκιὰ δ' ἀπ' ἄκρων ἐν αὐτὴν διακειμένη, ὡς ὂν ἐν αἰθέρι, τοῦτον ἀεὶ τὸν δρόμον ἡλίῳ συμπεριπολεῖ. Pro gnomonibus columnas ſtatuit, quibus ſcaphae forma ſubjecta erat; ab harum vero ſummitatibus umbra in eam incidebat; ita ut eumdem curſum, quem ſol in aethere, abſolveret* [1]. Cujuſmodi vero fuerit hocce Moſis *ἡλιοτρόπιον*, quorſum inveſtigabimus, quum univerſam Grammatiſtae narratiunculam velut abſurdiſſimam, & falſiſſimam a Josepho explodi, atque rideri videamus?

Itaque his fabulis rejectis, ac repudiatis quid veri, certique ex probatiſſimis auctoribus elici queat, perquiramus. Quod olim animadvertit M. Tvllivs, omnia rerum principia eſſe parva, ſed ſuis progreſſionibus uſa, hominumque induſtria augeri, id pariter in horologiis accidiſſe, nullus dubito. Quare Aegyptios, ut ab his primum auctoritatem repetam, ad dierum, noctiumque magnitudines, ſoliſque umbras capiendas, lapideas illas ingentes moles in baſi quadrata ſenſim a proceritate in excelſum gracileſcentes, obeliſcos videlicet adhibuiſſe veriſimillimum duco. Ita Seſoſtridis obeliſcus, quem Auguſtus Romam tranſtulit, & illuſtrium

---

1 Joseph *contra Appionem lib.* II. Locum hunc a calligraphis, & interpretibus mirifice depravatum Havercampivs ad optimorum Codicum fidem egregie, nitideque redintegravit. Irrepſerat poſt vocem σκία illud δ' αἰθρὸς, quod multis moleſtiſſimam praebuit crucem. Alii in Graecae orationis textura redundare putantes, in Latina verſione taciti dimiſerunt. Alii pro hominis ſimulacro, aut protome columnae ornatus ergo impoſito acceperunt, cujus umbra eſſet horarum index. Vanae divinationes heae ſunt, ſapienterque emendatum δ' ἀπ' ἄκρων, quo omnis ambiguitas de medio tollitur, planuſque fit verborum ſenſus.

ſtrium Mathematicorum opera, ſubſtrato circulatim lapide; aereiſque illi incluſis regulis, ac ſignis in *Meridianae* uſum convertit [1], apud Aegyptios pro horometro fuiſſe, mihi omnino eſt perſuaſum. Quemadmodum enim gens illa ex Pyramidibus [2], quas exuviis, cineribuſque ſuorum Regum ſepeliendis, condendiſque aedificarat, id commodi etiam arripiebat, ſicuti a DVHAMELIO [3], & VIGNOLIO [4] animadverſum eſt, ut lateribus earum a Borea in Auſtrum directis, veluti meridianam immotam haberet; ita ex umbra Obeliſcorum, quos caeteroqui ob radii Solaris ſimilitudinem Soli ſpe-

---

1 Diverſae omnino, diſtractaeque fuerunt Scriptorum ſententiae, qui de uſu obeliſci ab Auguſto in Campo Martio poſiti diſſeruerunt, locumque Plinii ancipitem, vereque confragoſum, qui eo alludit, explicare conati ſunt. JACOBVS ZEIGLERVS *Commentar. Aſtromic. in lib.* II. *Plinii*, RICCIOLIVS *in Almageſto lib.* III. *cap.* XVI. JACOBVS MASIVS, & KIRCHERIVS *in Obeliſco Pamphil.* HARDVINVS *ad Plinium lib.* XXXVI. *cap.* X. totam Auguſti fabricam verum, propriumque horologium fuiſſe, & obeliſcum proceritate ſua ſubjectum marmoreum ſtratum, lateque per aream porrectum varie inumbrantem temporaneas horas in eo deſcriptas denotaſſe exiſtimarunt. Sed exploſa jam, profligataque validiſſimis argumentis ea opinio eſt a celeberrimis noſtri aevi Geometris, ac Philologis POLENO, MAFFEJO, BOSCOVICH, CAMETTO, EVLERO, MARINONIO, WOLFIO, HEINSIO, BAJERO &c., qui concordi ſenſu demonſtrarunt, Auguſtum in *Meridianae*, nequaquam vero horographi uſum obeliſcum tranſtuliſſe, & laminas aeneas plano horizontali inſertas obſervationibus aſtronomicis, non autem horis populo indicandis fuiſſe conſtitutas. Quorum judicia, ac ſuffragia collegit, & ad eximii ſui operis calcem edidit CL. BANDINVS. *De Obeliſco Caeſaris Auguſti e Campi Martii ruderibus nuper eruto Commentarius*. Adde Commercium Epiſtolicum GEORGII MATHIAE BOSII *de Seſoſtridis*, *Auguſti*, *&* *Benedicti XIV. Obeliſco*, quo hujus tractationis veluti ſynopſis traditur. At licet Auguſtus eam molem in uſum Meridianae Romae dedicarit, nil vetat, quominus illa in Aegypto, ubi pro Meridiana erant Pyramides, diurni Solarii vices exhiberet.

2 Confer JABLONSKI *Pantheon Aegyptiorum Part.* I. *in Proleg.* LXXXII. ex quo diſces, Obeliſci, & pyramidis nomen promiſcue fuiſſe primitus uſurpatum. Succeſſu temporis pro diverſis reipſa aedificiis diverſae appellationes, ut par erat, invectae.

3 *Regiae Scientiarum Academiae hiſtoria pag.* 420.

4 *De Annis Aegyptiacis in* MISCELLANEIS BEROLINENSIBVS *tom.* IV. *pag.* 10.

ſpeciali munere dedicabat [1], diurni temporis ſpatia metiebatur. At multo praeclarior hac in re commendatio, Herodoto auctore, debetur Babyloniis, Chaldaeiſque, qui ex diuturna ſiderum obſervatione primi hanc ſcientiam putantur effeciſſe; ab his enim omnis σκιοθήρων notitia ad Graecos, caeteraſque cultas nationes profecta eſt; **πόλον μὲν γὰρ, καὶ γνώμονα, καὶ τὰ δώδεκα μέρεα τῆς ἡμέρας παρὰ Βαβυλονίων ἔμαθον Ἕλληνες**, *nam horologium, & gnomonem, & duodecim diei partes a Babyloniis didicerunt Graeci* [2]. In Chaldaeis autem magnum fuit Beroſi nomen, qui *Hemicyclium excavatum ex quadrato, ad enclimaque ſucciſum dicitur inveniſſe* [3]. Beroſum porro quum nomino, illum aſtrologiae peritum appello, qui Beroſo hiſtorico longe fuit antiquior [4]. Adeo vero felices habuit exitus hoc vetuſtiſſimum inventum, ut nullum ferme extiterit horologii genus, aut latius propagatum, aut diutius retentum. Quinque ex ejuſmodi hemicycliis diverſis temporibus exciſi, adhuc aetatem ferunt. Primum quidem Athenis in Traſylli monumento ſupereſt, cujus exemplar nuper edidit Le Roy [5]. Alterum ante paucos annos ad viceſimum ab Vrbe lapidem erutum, gazae Capitolinae juſſit adjungi Pontifex rerum geſtarum granditate vere Maximus Benedictvs xiv. Tertium inter villae Hadrianae ruinas repertum Tiburi vidimus in aedibus Paulli Columnae; quod quum ad altitudinem poli, ſive ad ἔγκλιμα Tiburtinum nequaquam accommodatum, attemperatumque ſit, ex Graecia, Aegyptove cum caeteris villae ornamentis

1 Plinivs *Hiſtor. Nat. lib.* xxxv. *cap.* viii. Ammianvs Marcel. *lib.* xvii.

2 *In Euterpe*. Vt vocem illam πόλον verteremus *horologium*, auctor, & ſuaſor Pollvx fuit, qui in *Onomaſtico lib.* ix. *cap.* v. haec habet: τὸ δὲ καλούμενον, ὡρολόγιον, ἤπου πόλον ἄν τις, φήσαντος Ἀριστοφάνους ἐν Γηρυτάδῃ, *quod autem horologium vocant, fortaſſis & polum aliquis dixerit, ſecundum Ariſtophanem in Gerytade*.

3 Vitrvvivs *lib.* ix. *cap.* ix.

4 Weidlervs *Hiſtor. Aſtronomiae cap.* iii. Reimannvs *Hiſtor. Litterar. Babylon. cap.* v.

5 *Les Ruines des plus beaux Monumens de la Grece &c.*

ab Hadriano tranſlatum puto. Quartum in Tuſculano anno cIɔIɔccxli. inventum fuit, indeque in Muſeum Contvcianvm inlatum philologicis, mathematicisque commentariis illuſtrarunt duo inſignes S. J. ſcriptores, iidemque conterranei Joh. Lvcas Zvzzeri [1], & Jos. Rogerivs Boscovich. [2] Quintum denique a marmorario redemit, adſervatque Joh. Petrus Marchio Lucatellius, Muſei Capitolini Praeſes, & liberalium diſciplinarum ſtudiis oppido inſtructus. Veram autem, germanamque Beroſiani hemicyclii formam his, quae commemoravi, marmoribus repraeſentari, tam certum, quam quod certiſſimum reor, adeoque excogitatam a Jacobo Zeiglero figuram [3] ad leviſſimas rejicio conjectiones.

Atqua haec ipſa hemicycliorum copia argumento mihi eſt, ut credam, talia horometra aut omnium fuiſſe conſtructione facillima, aut aberrationibus minus abnoxia. Graecia vero, quae fama, quae gloria, quae litterarum omnium ſtudiis, quae etiam multis artibus floruit, accepta, ab aliis ingenio, doctrinaque fecit meliora. Addita proinde a Graecis fuere multa alia horologiorum genera vario artificio elabotata: verticalia, horizontalia, diverſe inclinata, anaclaſtica, catholica, cylindris inſculpta, cono, ſcaphae, plinthio inciſa, hemiſphaerium, pelecion, gonarches, antiboraeum [4], aliaque permulta ab ingenioſiſſimis Mathematicis tum

1 *Diſſertazione ſopra un antico Oriuolo a Sole ſcavato nella villa antica ſul Monte Tuſculano &c.*

2 *V. Giornale de Letterati per l' anno* MDCCXLVI. *Articolo* XIV.

3 In libro cui titulus *Hemicyclium Beroſi*, quem tertiis ſuis Vitruvianis Exercitationibus *pag.* 275. inſeruit doctiſſimus Polenvs.

4 *Vid.* Vitrvvivm *loc. cit.* Inter varios ipſius enarratores vero adeundus imprimis eſt Daniel Barbarvs, cujus inclitum nomen, magnaque in Rempb. litterariam merita nulla poterit temporum diuturnitas delere, vel obſcurare. Is antequam Aquilejenſis Patriarcha renunciaretur, ad Vitruvii libros, quos Italicos fecerat, ediditque anno 1556. diverſa adjecit ſolariorum, hydrologiorumque ſchemata, quibus Vitruviana praecepta ſumma cum fide ad actum, uſumque deducta, primus ob oculos graphice

tum vetere, tum recentiore memoria inventa, quae hoc loco dinumerare moleſtum plane eſſet, deſcribere autem longiori ſermone ab hujus ſcriptionis genere alienum. Illud potius praeſtabit anquirere, quandonam in Graecia *Solaria* caeptarint: perdifficilis namque, & perobſcura quaeſtio nonnullis viſa eſt, eaque niſi dijudicetur, plurimum huic diſputationi detractum erit. Primo quidem quod de Metone Athenienſi a SVIDA traditur, id vage, & generatim dictum eſt, ut non tam ad horologium, quam ad quodcumque aliud mathematicum inſtrumentum trahi queat; inventum enim illius ἀνάθημα ἀςρονομικὸν a Lexicographo appellatur [1]. Multo luculentius quod a LAERTIO de Pherecyde Syro, qui annis CXL. Metonem praeceſſit, litteris proditum eſt: σώζεται δὲ καὶ ἡλιοτρόπιον ἐν Σύρῳ τῇ νήσῳ, *ſervatur & Heliotropium* (ipſius) *in inſula Syro* [2]. Nam ſi veteres Etymologos conſulas, intelliges plane, Graecos ſcriptores ἡλιοτρόπιον, πόλον, γνώμων, σκιαθήρον &c. pro ὡρολογίῳ promiſcue uſurpaſſe. In hoc Pherecydis ſolario plurimum nugatur MENAGIVS [3], ac male detortis, perperamque explicatis quibuſdam HOMERI verſibus, ἡλιοτρόπιον Syri aſtrologi heroicis temporibus uſitatum affirmat: qua de re a CL. FALCONETO [4] jure refellitur, meritoque ridetur. Sed eſt praeſtantiſſimus ad id, & unus omnium expreſſiſſimus ipſius LAERTII locus, ubi primum σκιοθήρυ inventum Anaximandro Mileſio acceptum referri debere, manifeſte, liquideque ſtatuit: εὗρε δὲ καὶ γνώμονα πρῶτος καὶ ἔςησεν ἐπὶ τῶν σκιοθήρων ἐν Λακεδαίμονι; *primus autem gnomonem invenit, & ipſum Lacedaemone*

F 2

ce propoſuit. Italum inventorem pone ſequutus eſt Gallus PERRAVLTIVS, qui hauſtam ab illo doctrinam in ſuum tranſtulit opus, & horologiorum formas ex BARBARO exſcripſit. *Lex dix livres d'Architecture, avec des notes &c.* II. *Edition.*

1 V. Μέτων.

2 *De vitis, & Dogmatibus Philoſophor. lib.* I. §. 119.

3 *Obſervationes ad LAERT.* in II. Vol. edit. MEIBOMII.

4 *Diſſert. ſur Jacques de Dondis, & ſur les anciennes Horologes. Memoires de l'Academie &c. Volum.* XX.

mone in loco captandae umbrae idoneo ſtatuit [1]. LAERTIO adſtipulatur SVIDAS : Ἀναξίμανδρος πρῶτος δὲ ἰσημερίαν εὗρε καὶ τροπὰς, καὶ ὡρολόγια. *Anaximander autem primus invenit aequinoctia, & Solstitia, & horologia* [2]. Atqui PLINIVS inventi gloriam Anaximeni potius videtur tribuiſſe : *Umbrarum rationem, & quam Gnomonicem vocant, invenit Anaximenes Mileſius Anaximandri diſcipulus, primuſque horologium, quod appellant Sciothericum Lacedaemone oſtendit* [3]. Quod non eo ſcripſiſſe putarim, ut haerentem capiti multa cum laude coronam Anaximandro detraheret, ſed ut ſignificaret, Anaximenem eam, quam a praeceptore hauſerat, diſciplinam labore, induſtriaque perfeciſſe. Quare prima ſolariorum apud Graecos epocha prope ad Olympiadem LVIII. videtur certiſſime conſtituenda. Nihil tamen haec movent SNELLIVM [4], CASAVBONVM [5], VOSSIVM [6], SEBERVM [7], qui longe ſerius ſolaria in Graeciam exiſtimant invecta. Nemo tamen, ſi ita fas eſt loqui, tantam cum antiquis horometris ſimultatem geſſit, quantam SALMASIVS, qui ad illorum antiquitatem evertendam ac labefactandam perpetuam quamdam, crudam, indigeſtamque locorum congeriem effudit [8], tamque imperite, perturbateque tumultuatur, ut (quemadmodum ab immortali PETAVIO [9] dictum eſt) non intellexiſſe videatur id, de quo verbis pluribus diſputavit.

Totum, cui horum hominum judicium nititur, fundamentum, unus eſt protritus ARISTOPHANIS jocus. Nam de ſilentio, quod opponunt, veterum ſcriptorum, qui Alexandri M. aetatem praeceſſere, certum, exploratumque eſt, arri-

1 *Lib.* II. §. I.
2 *Lexic. V.* Ἀναξίμανδρος.
3 *Lib.* II. *cap.* LVXVI.
4 *Eratoſtenes Batavus cap.* IV.
5 Ad ATHENAEVM *lib.* I. *cap.* I.
6 *Etymolog.* V. Hora.
7 *Not. ad* POLLVCEM *lib.* I. *cap.* VII.
8 *Exercitationes Plinianae in Caii Julii Solini Polyhiſtora p.*633. *& ſequ.*
9 *In Auctario ad Uranologium lib.* VII. *cap.* IX.

arripere illos argumentum nullo modo probabile omnium; quod dudum a praeclariſſimo noſtro SALIERIO [1], atque etiam ab eruditiſſimo ZVZZERI [2] ſtrenue, invicteque exploſum, ac refutatum legimus. Obſcaenus itaque Athenienſis Comicus in propudioſis **Ἐκκλησιαζούσαις** Praxagoram Blepyrum ſic alloquentem inducit [3]:

. . . . σοὶ δὲ μελήσει
Ὅταν ᾖ δεκάπουν τὸ στοιχεῖον λιπαρῶς χωρεῖν ἐπὶ δεῖπνον

. . . . tibi vero curae erit
Quando decempedalis fuerit umbra, pinguem ire ad coenam.

Ad quem locum vetus quidam Scholiaſta adnotat, ideo vocatos ad coenam umbram obſervaſſe, quod nulla alia tum extaret ratio, ex qua cognoſci liceret ad quotam diei horam ſol eſſet provectus. Cui quidem opinioni pondus immane quam graviſſimum accedere putant Salmaſiani ex aliorum Comicorum EVBVLI [4], & MENANDRI [5] teſtimonio, qui licet longe poſt Ariſtophanem inter homines degerint, attamen ſimillima prorſus uſi ſunt locutione. Ergo, inquit Solinianus exercitator, nondum in terra Attica horologia noſcitabantur; alioquin ſtulti laboris fuiſſet, quemquam in umbra ſic metienda occupari ad tempus coenae reſciendum, cui ope horologii expeditior, multoque certior ratio ad manum eſſet.

Mirum, tantum ingenium in tam leves, ne dicam tam ineptas ſententias incidiſſe! Primo quidem ſenſit ipſe SALMASIVS, quam male contorta, & quam elumbis eſſet ejuſmodi argumentatio. Fatetur enim Graeculo ad caenam properanti

1 *Recherches ſur les Horologes des Anciens. Memoires de l'Academie des inſcriptions, & des bellés lettres tome* IV.
2 *loc. cit.*
3 *Verſ.* 648.
4 Apud ATHENAEVM *Deipnoſoph. lib.* I. *cap.* VII.
5 In eodem opere *lib.* VI. *cap.* X.

peranti proclivius fuiſſe condictum tempus ex umbra pedibus modulata aeſtimare, quam ad horologium, quod publicis in locis plerumque exſtabat, inviſendum ſe ſe conferre, quemadmodum uſu ruſticis venit, quibus ſciothera ante oculos poſita nequaquam ſunt. Quare qui paullo ante de τῷ ϛοιχείῳ δεκάποδι tantopere ſibi plaudebat, mox mutato conſilio [1], ſummam rerum in eo ponit, quod a Comicis, caeteriſque antiquioribus nomen τῆς ὥρας numquam uſurpari perſpiciat. Vide hominis inconſtantiam! Sed eo ipſo, quem aliis praetenderat, ſe ſe miſere implicat laqueo. Nam τὸ Στοιχεῖον non pro quavis σκιᾷ licuit umquam ſumere, ſed unice, ut ex ipſa nominis etymologia perſpectum fit, pro *umbra ſolarii*, quod nimirum in horologiis umbra a ſtylo in ſuperficiem projecta ϛοιχείοις, elementis nempe, vel lineis, vel litteris pro horarum varietate, ac numero terminaretur. Ergo ſi Aristophanes non σκίαν, ſed ϛοιχεῖον dixit, ipſiſſima Comici verba, quibus Salmasivs ſciothera excludere nititur, Athenis tum temporis illa propalam exſtitiſſe evincunt. Quae quum ita ſint, δεκάπους in his verſibus aliud prorſus ſignificat, quam quod polyhiſtor ille dictitabat. Ac ne quid conjecturis indulgeam, quaeramque, quae alia huic voci δεκάποδος ſubeſſe poſſit ſignificatio, exiſtimo plane, veteres ad exprimendum certum horarum numerum eamdem poſt adinventa ſolaria retinuiſſe loquendi rationem, quae antea obtinuerat, quum ex aedificiorum, aut corporum umbra temporis lapſum metiebantur, & pro hora decima umbram decempedalem dixiſſe. Saepe enim fit, ut in humanae vitae uſibus formulae, quae invaluerant, novis rebus applicentur. An non Lvcianvs, qui Commodo Imperatore floruit, hac ipſa uſus eſt formula? Cronoſolon itaque apud illum leges Saturnales edicens, ita effatur: λοῦεσθαι μὲν ὁπόταν τὸ ϛοιχεῖον ἑξάπουν ᾖ; *lavandum in balneo, ubi umbra ſex erit, pedum* [2]; ſcilicet hora ſexta. An quiſpiam hoc ſibi obtrudi patie-

1 *Exercit. pag.* 634.
2 In Dialogo, cui nomen ΚΡΟΝΟΣΟΛΩΝ.

patietur, Commodi temporibus horologia nondum fuiſſe adiventa? Quo quid dici poſſet obtuſius, quum cujuſvis generis ubique terrarum proſtrarent? Itaque ut in LVCIANO, ita in ARISTOPHANE, EVBVLO, ac MENANDRO τὸ στοιχεῖον ἑξάπουν, δεκάπουν *&c.* mera ὑπαλλαγὴ eſt, ducta a veteri, communique Atticorum loquendi uſu. Momenti nihil eſt omnino in eo, quod ajunt, vocem τῆς ὥρας nequaquam reperiri in ſcriptoribus, qui vixere ante Olympiadem CVI., qua Alexander M. in lucem editus eſt. Teſtimonium ineluctabile ex ANACREONTE, ac XENOPHONTE petimus, quorum alter τὰς ὥρας μεσονυκτίους, *mediae noctis horas* [1] memorat, alter τὰς ὥρας τῆς ἡμέρας, τὰς ὥρας τῆς νυκτός, *horas diei, & horas noctis* [2] diſtinxit [3]. Cavillandum ne nunc eſt, an veteres illi pro ὥρα integrum diei, noctiſve ſpatium intelligerent, an vero duodecimam ejus ſpatii partem? Pudet de talibus tricis vitilitigari [4].

Quid autem non in Graecia modo, ſed apud gentes horarum ultimas praeclare inventum, induſtrieque elaboratum,

---

1 *Ode* III.

2 *Memorabilium lib.* IV. *cap.* III.

3 Conſule vere auream ZVZZERI diſſertationem, a quo haec multo copioſius, eruditiuſque ſunt pertractata, & quo nos auctore interdum uſi ſumus.

4 Eo uſque contentionis ſtudio in hac diſputatione ſe abripi paſſus eſt SALMASIVS, ut veterum ſcriptorum teſtimonia aut detruncaret, aut in alium ſenſum detorqueret. Nullum, inquit ille, in Sicilia ante ARCHIMEDEM horologiorum veſtigium reperiri, illud vel malitioſe diſſimulans, vel oſcitanter ex memoria dimittens, ATHENAEVM ipſum, qui horologium ab ARCHIMEDE in navi Hieronis poſitum laudat, memoriae prodidiſſe, divinum illum Geometram horologii conficiendi, inſtruendique rationem, & exemplar ex altero ſumpſiſſe, quod in munitiſſima Syracuſarum parte, quae, Ἀχραδινὴ appellabatur, jamdudum exſtabat. Confer litterariae hiſtoriae decus, & ornamentum JOH. M. MAZVCHELLIVM *Notizie Iſtoriche, e Critiche intorno alla vita, e alle invenzioni di Archimede* §. XIV. Locum etiam PLVTARCHI male vexat. Nam quum is (*in Vita Marcel.*) perſpicue, nitideque dixerit, Archimedem Marcello detuliſſe μαθηματικὰ ὄργανα, videlicet σκιοθήρα, σφαίρας, γωνίας &c. id neutiquam de horologiis exponi poſſe contendit, ſed ad unum omnia fuiſſe inſtrumenta μετεωροσκοπικά. Quod per ſe eſt falſum, & cum totius orationis textura, proprietateque verborum repugnans.

tum, quod Romani, caeteras nationes victricibus armis domitantes, in Latinas terras non aſportarint? Ita M. Valerius Meſſala, bello Punico primo, anno V. C. CCCCXCI. capta in Sicilia Catana, horologium exinde abſtulit, Romamque devectum ad Roſtra in columna poſuit [1]. Atque utinam reſcire peraeque licuiſſet, unde tranſlatum fuerit alterum illud, quod triginta antea annos L. Papirius Curſor dedicarat [2]! Ex eo autem tempore ſciothericae artis ſtudium ſic exarſit, ut nulla propemodum Vrbis pars exſtiterit, quae non fuerit ſolariis decorata. Quare, ſaeculo mox inſequuto, actor ille deperditae Plautinae Comoediae, quae *BOEOTIA* inſcribebatur, ira permotus, exclamavit:

Jam oppidum oppletum eſt ſolariis [3]!

Cognita autem, perſpectaque horolabiorum utilitate, ſacris, profaniſque rebus commode, convenienter, apteque gerundis, ſolaria ante aditus ſacrarum aedium [4], in foris [5], in baſilicis [6], prope theatra [7], in tricliniis [8], in balneis [9], in

---

1 PLINIVS *lib.* VII. *cap.* LX. Ad clima Siciliae deſcriptum cum horis Romae neutiquam conveniebat. Q. Martius Philippus alterum proinde diligentius ordinatum juxta illud poni curavit.

2 PLIN. *ibi*. Conſule Proluſionem JOH. AVGVSTI ERNESTI *de Solariis* Lipſiae habitam.

3 Vide apud TAVBMANNVM Fragmenta PLVTI.

4 CENSORINVS loco ſuperius indicato. V. HIERONYMI RVBEI *Hiſtoriae Ravennatis librum* I. ubi horologium ante Fanum Herculis a Tiberio poſitum deſcribit.

5 V. CICERONEM pro QVINTIO. *Not. ad eum locum*.

6 In Baſilica Aemilia, & Paulla. Conſuetudo ad ſequiora tempora eſt propagata. Juſtinus Imp. poſt devictos Guilelmum, & Totilam, alterum Vandalorum, Gothorum alterum ducem, novae Romae decori, ac commodo proſpiciens, horologium in baſilica, ubi publica gerebantur negotia, poſuit, de quo in Florilegio extat epigramma, baſi ipſius horologii inſcriptum.

Ὡράων σκοπίαζε σοφὸν σημάντορα χαλκόν,
Αὐτὸς ἐκ μονάδος μέχρι δυοκαιδεκάδος.

Horarum intuere prudentem indicem aereum,
Ipſa ab unitate uſque ad duodecim &c.

7 APPIANVS *Inſcriptiones Sacroſanctae vetuſtatis pag.* CXXVI.

8 PETRONIVS ARBITER *in Conviv. Trimalchionis cap.* XXVI.


9 LVCIANVS in Dialogo *Hippias*.

in ipſis denique ſepulcris [1] ſunt conſtituta. Interim publica commoditas ad laborem, laudemque novis inventis quaerendam mathematicorum excitavit ingenia. A quibus ea ſolaria accepimus, quorum graphidem GRVTERVS [2], BOISSARDVS [3], DE SIMEONIBVS [4], & LAMBECIVS [5] exhibent contuendam. His adde φορηματικά, quorum ope qui iter haberet, aut procul a majoribus illis ſolariis eſſet poſitus, poſſet continuo labentem diei horam deprehendere. Metallica haec eſſe oportuit, horumque ſpecimen primus protulit ſpectatiſſimus, noſtrique amantiſſimus BALDINVS [6]. Conſtat ipſius horologium aenea lamella orbiculari, in qua hinc ſenarius inciſus eſt horarum numerus, matutinis, juxta pomeridianis denotandis, varie eidem accommodato mobili triangulo; illinc XVI. Romani imperii Provinciarum gradus, ſive poli altitudo deſcripta viſitur. Quo intelligitur, poſt aſtronomicas Soſigenis, & Claudii Ptolemaei emendationes hance machinulam fuiſſe fabrefactam.

Sed quoniam in his argumentis verſandis, quae ab aliis ſunt pertractata, id mihi ſemper curae fuit, ἀνέκδοτον aliquod monumentum conquirere, ac in medium afferre, ut ſaltem novitatis compenſatione aliqua operi dignitas concilietur; exemplar ad fidem autographi delineatum in conſpectum, lucemque hominum propono penſilis, ac geſtatorii Horologii, quale ab erudito, nobilique viro accepi per eos ipſos dies, quibus ad Veſevi radices ex ingentibus, ac pretioſiſſimis Herculanei ruderibus inſigne hoc vetuſtatis monimentum fuit eductum, & in proximum REGIS Cimelium delatum. Sane qui animum, oculoſque ad hanc Herculanenſis ſupellectilis portiunculam admovebit, illud fateatur neceſſe erit, quod longa oratione JO. ERN. WALCHIVS demonſtravit.

1 PETRON. *ubi ſupra*.
2 CXXXVIII. II.
3 *Antiquit. Rom. pag.* 140.
4 *Illuſtrazione degli Epitaffi, e medaglie antiche &c. fol.* 40. 80.
5 *Bibliothec. Vindobonenſ. lib.* III. rurſus *Append. ad lib.* IV.
6 *Saggi di Diſſertazioni dell' Accademia di Cortona tom.* III. *diſſert.* VII.

ſtravit [1], Herculaneum antiqua aetate urbem ingenuis artibus, optimiſque diſciplinis florentiſſimam exſtitiſſe, atque in illam ea omnia ſtudia, quae ad nominis ſplendorem, ad ingeniorum culturam, ad civium commoditatem facerent, fuiſſe tranſlata.



Ex Herculanei reliquiis an. 1755

De hoc ſciatherio autem ſic dicere incipiemus. Aere ductili conſtat, opuſque nobilitat bractea argentea parti anticae applicata. Altitudo prope palmaris eſt. Ampullae, vel dolioli, ita dixerim, formam praeſefert, quod tamen ventre ſit compreſſiore. Horometri circumlitio relicta infernae ſphaeroidis figura per evolutam curvaturam ſenſim gracileſcit, & in exilius

1 *Antiquitates Herculanenſes litterariae &c.*

lius collum deſinit. Anulus per forulum in apice trajectus id commodi praeſtabat, ut machinula appendi, & coeli plagae obverti poſſet, unde ſolaris radius in gnomonem apte incurreret. Stylus in modum flammulae flexuoſus, & quartam diametri partem vix aequans, laevo lateri ad angulum rectum affixus eſt, umbraque in lineas affuſa horas indicat. Sunt autem lineae omnino duodecim, ſex nempe parallelae a ſummo ſphaeroidis ad imum ductae, quae totidem tranſverſis ad normam interſecantur. Ex quibus ſuperficies univerſa quaſi reticulata exiſtit, variiſque completur quadratis. Vbi vero lineas varia incurvatione a recta aberrantes videris, ſcias id noſtrum χαλκογλύφον conſiderate, & de induſtria feciſſe, ut ſuperficiei inaequalitatem exprimeret, variaſque contuſiones, quas ὡροσκοπεῖον temporis iniuria paſſum eſt, oculis apertius, vividiuſque ſubjiceret. Nec mirabile videri cuipiam debet, deeſſe in noſtro ſciatherio numeros horarum indices. Nam abſunt ex omnibus ferme, quae hactenus commemoravi, ſolariis; propterea quod ex ipſis lineis numero admodum paucis ſatis facile eſſet, temporis menſuram, horaſque colligere; quo alludit Persii illud:

. . . . . *quinta dum linea tangitur umbra* [1].

Artificis ſcientia, atque accuratio multo magis eniteſcit ex duodecim Menſium notatione, quos duobus primis cujuſque elementis demonſtravit, quoſque βυστροφηδὸν deſcripſit. Ita vero menſes conſociavit, ut in eodem παραπήγματος quadrato hi ſint, qui horarum ſpatio, & umbrae menſura, ſeu quantitate inter ſe conveniunt. Januarius quippe cum Decembri, Februarius cum Novembri, Martius cum Octobri, Aprilis cum Septembri, Majus cum Auguſto, Junius cum Julio ex Aſtronomorum obſervatione plane concordant. Sumpta autem eſt ea menſium diſpoſitio ex Palladii Rutilii doctrina, qui alterum cum altero diligentiſſime contulit,

1 *Satyra* III. *verſ.* 4.

lit, & quot pedum in unoquoque umbra ſit, ſingillatim adſcripſit [1]. Gratulari hic autem mihi ſingulariter debeo, quod monumentum non tam uſu mirabile, nondumque cognitum, quam inſigni vetuſtatis commendatione praeclarum litteratorum hominum oculis primus objicio. Nam ne quid diſputem de aliquot in eo deſcriptarum litterarum figura, in quibus germana antiquitatis indoles perſentiſcitur, certe hujuſce viatorii ſciatherii forma in verſibus BATONIS apud ATHENAEVM [2] comprehenſa videtur. Comicus namque hic poëta PLATONI ſuppar, quo magis avarum quemdam traduceret, dictiſque mordacibus ludificaret, ajebat: illum ſic opibus inhiare, ſic parſimoniae ſtudere, ut phialam oleariam, cautiſſime circumferret, oculiſque emiſſiciis ſpecularetur, quaſi horologium geſtaret.

Ἔπειθ' ἕωθεν περιάγεις τὴν λήκυθον
Καταμανθάνων τοὔλαιον, ὥςε περιφέρειν
Ὡρολόγιον δόξει τὶς οὐχὶ λήκυθον.

Deinde ſummo mane circumagis ampullam,
Diligenter obſervans quantum inſit olei; putantibus
Qui vident, te horologium tractare, non ampullam.

Jam vero quis non animadvertat, poëtam his carminibus noſtrum horometrum belle, atque accommode adumbraſſe? Quod enim aliud horologii genus poteſt eſſe, quod verius, aptiuſque cum ampulla olearia comparetur, ſive illius delineationem, formamque ſpectes, ſive rationem contemplere, qua tractari fas eſt? Porro ut in ejuſmodi ſolario horae tutiſſime deprehenderentur, neceſſe erat, illud ad lineam ſuſpenſum tenere, adamuſſim librare, exacte convertere, accurate intueri, verbo dicam, pari obſervatione, qua phialam

---

1 *De Re Ruſtica lib.* II. *Tit.* XXIII. itemque ad calcem cujuſque *menſis.* Inter Script. de R. R. GESNERI *tom.* II.

2 *Deipnoſoph. lib.* IV. *cap.* XVII.

phialam avarus, manu verſare. Ex quibus rebus intelligi poteſt, Batonis temporibus horologia φορηματικὰ jam fuiſſe invecta, & cujuſmodi ea fuerint, ex hoc noſtro cognoſci; proindeque poëtae carmina, & Herculanenſe ſolarium lucem ſibi mutuo affundere, ut horologio conſpecto, Comici ſales perſpicui evadant, viciſſimque perlectis verſibus, horometri pateſcat antiquitas. Quid autem mirum inter Herculanei ruinas, quo Romanorum hominum luxus Graecam omnem importarat elegantiam, fuiſſe eruderatum? Adeo vero geſtatilium horologiorum luxus exinde crevit, ut Hadriani Imp. temporibus in nobilis familiae ſupellectili communiter numerarentur. Ideoque veteres Juriſconſulti, litibus vitandis, aut dirimendis, quid eſſet cenſendum de hoc opum genere, lege caverunt, quemadmodum in Digesto legitur: *Horologium aereum, quod non eſt adfixum, inſtrumento domus putat Papinianus contineri ex Vlpiano*[1]. At ſatis jam de ſciatherii forma, antiquitateque: nunc de uſu videtur quaerendum.

Quamquam enarratoris, ac philologi, quas ſuſcepimus, partes id nequaquam a nobis impraeſentiarum poſtulant, ut qui hoc in libro antiquitates unice conſectamur, ad gnomonices praecepta orationem delabi ſinamus; ſi quid tamen in re a noſtris ſtudiis aliena, atque in his litteris, quibus a viginti annis valediximus, audendum eſt, hic fortaſſe fuerat ſciatherii Herculanenſis uſus. Sex in eo deſcripta quadrata occurrunt, quorum ſpatium inter lineas interceptum ſenariis horis antemeridianis, itemque pomeridianis denotandis, pro diverſo ſciatherii poſitu, aptiſſime poterit reſpondere. Si ergo gnomon umbrae indagator mundi plagae obvertatur, qua ſolis ſidus ſupra horizontem emergit, eo vix exorto, umbra illius in ultimum uſque quadratum IA. DE. ſe ſe fundet, ibique prima habebitur diei hora. Quum autem augeſcente ſolis altitudine aequa proportione decreſcat umbrae longitudo[2], illa profecto receſſu ſuo, attingens

---

1 *L.* XXXIII. *tit.* VII. *leg.* 12. §. 23.

2 Vid. Aldi libellum *de Horis* inter eoſdem Scriptores *tom.* I.

gens oblique quadrata menſium deſcriptioni ſuperpoſita, deſignabit horas, ſecundam, tertiam, quintam, donec in ſextam incidat, & ſol meridianum obtineat, in quo breviſſimas facit umbras. Hac prima diei parte expleta, ſciatherium ad oppoſitam, occiduamque plagam convertatur; adeoque ipſum *πόλον* ad ſolem vergat cadentem, hinc ſex alias reliquas horas capere licebit. Nam quia umbra, qua menſura ante meridiem decreverat, eadem poſt augetur, in eiſdem quadratis, ordine tamen retrogrado, horae pomeridianae notari poterunt, ut ubi ſexta matutina deſiit, ibi prima incipiat veſpertina: atque ſic umbra longius per quadrata procurrente, donec ſidus ſe ſe mortalium oculis ſubripiat, diei exitum linea illa moſtrabit, quae lucis primordia acceperat.

Animadverſum denique, apertumque illud eſt, Sole a Capricorno ad Cancrum aſcendente augeri dies, noctesque diminui; contra autem noctes fieri productiores, dies vero breviores, Sole a Cancro ad Capricornum deſcendente [1]; quapropter ad retinendum duodenarium horarum *καιρικῶν* numerum, quo veteres totam diei lucem, totamque noctem, in quavis anni tempeſtate conſtanter diſpertiebant, brumales horas breviores, longiuſculas aeſtivales neceſſario faciebant. Hinc ſpatium ab umbra diebus hibernis percurrendum anguſtius eſſe oportuit. Atqui in ſciatherio Herculanenſi, quum lineae ſint paralellae, par ubique diſtantia eſt; non ergo ad omnes anni horas videtur attemperatum. Sed nihil eſt, quod expedire facilius poſſimus. Adhuc in ſingulis quadratis detrita quaedam veſtigia, & exeſae inciſurae ſublucent, quas non tam ad ornatum, quam ad ſciatherii perfectionem ſuſpicor fuiſſe adjectas. His itaque quoniam interſtitia majora quadratis concluſa in minores partes diſtinguntur, perfacile poterat ex dato puncto in penultimo ad occaſum quadrato apta partitio XII. breviorum horarum ſumi, indeque horologium *καθολικὸν* conſtitui. Nihilo tamen minus video permulta eſſe,

1 VARENIVS *Geograph. Vniverſal. lib.* II. *cap.* XXVII. *Prop.* XIX. *&c.*

eſſe, quibus omnis iſthaec divinatio labefactetur, fateorque explicationem graviſſimis adhuc implicari difficultatibus. Nam ſi horologium verticale fuerat, ſicuti ſtructura non perſuadere modo, ſed plane evincere videtur, lineaeque infra ſtylum deſcriptae horis indicandis deſerviebant, eccuinam uſui erunt addicendae reliquae ſupra gnomonem inciſae, & numquam a gnomone inumbrandae? Haec, aliaque id genus, quae forte objici poſſent, Mathematicis diſcutienda, ſolvendaque libenter permittimus, a quibus refelli ſine iracundia parati ſumus; nobiſque erit jucundiſſimum, veterrimum σκεῦος μαθηματικὸν evulgaſſe, quod doctioribus exercendi ingenii materiem ubertim ſuppeditet.

Haec de ſolariis dicta ſunto. Verumtamen quum apud antiquos, ut initio poſui, alterum eſſet ὑδατικὸν horologiorum genus, quo nempe tempus metiri poſſent, ſi nubilum eſſet, ſi nox terris induceret umbras, ſi intra domus ſepta ſe continerent, de eo nunc eſt inquirendum, ut utroque collato genere, tuto, ac dilucide ſtatuere, aut ſaltem conjectare liceat, quale reapſe fuerit horologium Dianae dedicatum. In quo caeteroquin ſtatutum animo nequaquam habeo occupatam dudum de *Clepſydra* tractationem importune iterare. An ego PATERMANNO [1] diligentior, aut DRAUDIO [2] diſertior, a quibus affatim, eruditeque ſunt haec diſputata? Nihil tamen aut ab inſtituto alienum, aut Lectori moleſtum fecerim, ſi huic argumento latius exponendo breviuſculis, noviſque obſervationibus ſymbolam contulerim. A principio quidem ſimpliciſſima fuere vaſcula illa, in quibus guttans aqua labentis temporis interſtitia certa quadam menſura prodebat. At quia neque omnino eſt ars ulla, quemadmodum CICERO dixit, in qua omnia, quae in illa arte effici poſſunt, continuo tradantur, ſed qui prima rerum didicerunt inventa, facile ingenium ad illa expolienda, amplifican-

21 *Diſquiſitiones* II. *de Clepſydra veterum*.
Commentatio de Clepſydris veterum.

candaque convertunt; factum ita eſt, ut clepſydrae multiformes, varioque artificio elucubratae conſtruerentur. Vaſcula namque multiplicari coeperunt, ſimulque componi; ſiphones, & cylindri recurvi his conjungi, epiſtomia applicari, platiſmatia adnecti, ut aqua ex altero vaſe in alterum effluens, indeque ſurſum novo impetu accepto remeans, iterumque delabens, diuturniori progreſſione dierum, noctiumque ſpatia in certas partes diſpeſceret; aër vero tubulis concluſus, qua data porta erumpens, ac ſibilans ſonitum interdum ederet. Tum hydrologia hujuſmodi ſuis capſellis, thecifve incluſa ſunt; additae his automatis rotae denticulatae, trochleae, pondera funependula, ſpirae ad motum perennandum; tandemque ſchemata mobilia forinſecus adpoſita, Solis, & Lunae imagines, ſtatuae verſatiles, ſphaerae, indices varie configurati ad aſtrorum converſiones, horarumque menſtrua incrementa, iternque decreſcentias demonſtrandas. Quae hic a me breviſſime deſcribuntur clepſydrae, ſuis expreſſae imaginibus exhibentur a DAN. BARBARO, PERRAVLTIO [1], SCHOTTO [2], KIRCHERIO [3], aliiſque, qui an veterum hydrologiorum ſtructuram ubique ſint aſſequuti, aut multa pro arbitratu addiderint, aliis expendendum relinquimus. Inter ejuſmodi automatων opifices celebratur P. Aelius Zeno, cui conjux parentavit [4].

DIS . MANIBVS
SACRVM
P. AELIO . ZENONI
AVTOMATARIO
KLEPSIDRARIO
AELIA . FORTVNATA
CONIVGI
BENE . MERENTI
FECIT.

Sed

1 Locis ſuperius indicatis.
2 *Mechanica Hydraulico-Pneumatica Claſs.* I. & II.
3 *In Append. ad Artis Magnet. libros &c.* item in Muſurgia.
4 DONIVS *Inſcript. Antiq. Claſs*, VIII. 9.

Sed primas omnium procul dubio tulit Plato, qui clepſydrarum *ὑδροπνευματικῶν* perficiendarum viam, artemque caeteris monſtravit. ATHENAEVS quippe commendans machinam hydraulicam a Cteſibio tonſore Alexandrino tempore Ptolemaei Evergetis fabrefactam, tradit, ex communi ſententia eximio huic operi Platonem praeluſiſſe, nocturni cujuſdam horologii conſtructione. *Λέγεται δὲ Πλάτωνα μικράν τινα ἔννοιαν δοῦναι τοῦ κατασκευάσματος, νυκτερινὸν ποιήσαντα ὡρολόγιον ἐοικὸς τῷ ὑδραυλικῷ οἷον κλεπσύδραν μεγάλην λίαν*. *Platonem vero ajunt, parvam quamdam noticnem hujus fabricae oſtendiſſe, quum nocturnum horologium clepſydrae pergrandi ſimile excogitaſſet, ac compegiſſet* [1]. Quo autem modo Platonis horologium cum hydraulico organo Cteſibiano conferri poterat, & alterum alteri *ἔννοιαν* oſtendere, niſi utrumque ſonitum reddidiſſet? Itaque Plato ſic hominum conſuluit commoditati, ut quum tenebrae vetarent, ne in ſchemate clepſydrae horarum numerus dignoſceretur, ſonitus ab aëre excitatus temporis lapſum moneret. Haec quoties in ATHENAEO relego, vix mihi imperare poſſum, ne SALMASIO ſuccenſeam, qui poſtquam faſſus eſt, clepſydram hanc nocturno tempori dividundo fuiſſe a Philoſopho fabricatam, ſtatim addit, *ὡρολόγιον* nequaquam exſtitiſſe, frigidae, & toties recantatae innixus argutationi, quod Plato *τῆς ὥρας* nomen haud uſurparit [2]. An quidpiam tam puerile, tamque inſulſum dici poteſt?

Quamvis autem vero ſimillimum ſit, artem clepſydrariam poſt Platonem plurimum in Graecia invaluiſſe, artificeſque, qui ſucceſſerunt, eamdem auxiſſe, perfeciſſeque, ſic tamen horum *αὐτομάτων* conſpectus intuentium animos percellebat, ut digna poetarum commendatione crederentur. Tale viſum eſt ANTIPHILO Byzantino horologium hydropneumaticon ab Athenaeo Clepſydrario conſtructum, qui ingenioſum opus hexaſticho laudavit, quod PHILIPPVS THESSALONICENSIS ſuae *Coronae* inſeruit. Quod quoniam incor-

1 *Deipnoſoph. lib.* IV. 2 *loc. cit.*

correctum in H. Stephani, & Brodaei (quae homnium manibus teruntur) editionibus [1] comparet, peſſimeque Latine redditum legitur, emaculaſſe praeſtabit. Habes illud.

Σῆμα δυωδεκάμοιρον ἀφεγγέος ἠελίοιο
Τετράκις ἀγλώττῳ φθεγγόμενον στόματι,
Εὖτ' ἂν θλιβομένοιο ποτὶ στενὸν ὕδατος ἀὴρ
Αὐλὸν ἀποστείλῃ πνεῦμα διωλύγιον,
Θῆκεν Ἀθήναιος δήμῳ χάριν, ὡς ἂν ἐναργὴς
Εἴη φθονεραῖς ἠέλιος νεφέλαις.

Signum duodecies ſectum luce carentis Solis,
Ter elingui ſonitum edens ore,
Quum aër ex arcta compreſſae aquae
Fiſtula vehementem ejicit ſpiritum.
Poſuit Athenaeus, populo ut gratificaretur, lucidus,
Vt eſſet ſol invidis vel nubibus.

Recte ex his perſpici poteſt, in fronte clepſydrae fuiſſe ſchema *ἡλιόμορφον*, atque in circumpſcripto circulo horas in duodecim ſectiunculas contributas; ut quamvis circumfuſae nubes ſolem intercluderent, radiorumque procurſum vetarent, picti, fictive ſolis imago vice ſolis obnubilati horas monſtraret, ereptaeque lucis damna compenſaret. Intus autem machina polyſiphonia ſic erat concinne colligata, ut aqua per varios diabetes refluens, & aër ibidem arctatus ſuas mutuo exereret vires [2], ac tandem truſus condenſatus aër, ſtatis temporibus (quod tum ex aquae quantitate, cum ex ſpatiis ab ea percurrendis poterat determinari) vi ſua elaſtica ex canaliculo erumpens, *φθέγμα*, quaſique

1 In STEPHANO *pag.*382. BRODAEVS *lib.* IV. Litterarum affinitate ubique in ſecundo hexametro pro *ἀὴρ*, irrepſit *αἰὴρ*, quod ſenſum perturbat, & a vera longiſſime abeſt lectione. Viderat ALDVS, qui primus id emendavit, ut nulla reliqua ſit SALMASIO laus, qui ſe librariorum ſphalma hic detegiſſe plus aequo jactat.

2 Vid. MERSENNVM *Problem. Pneumat.*

que praeconis vocem redderet. *Ter* id eveniebat, teſtante poëta, non ſingulis, ſicuti arbitror, horis, ſed in die. Qua in re facile crediderim, Clepſydrarium ad triplicem illam, antiquioremque diei partitionem in ortum, meridiem, & occaſum, quae diu retenta eſt, ſonitum horologii accommodaſſe, ut aëris crepitus *πρωΐαν*, *μεσημβρίαν*, *ὀψίαν* adventaſſe denunciaret [1]. Atque illud horodicticum automa Byzantii fuiſſe, poëtae patria, domiciliumque videtur innuere; ea enim liberalius ſolent commendari, quae domeſtica ſunt, & ipſis oculis quotidie uſurpantur.

In quo rerum genere poſtremo loco praetereunda ſilentio haud ſunt horologia mixta, multiplicique artificio compoſita. Et ſane inſipientis, parumque exculti animi notam vitare ſe nequaquam poſſe, ajebat Lucianus, ſi praecipuam laudem non tribuiſſet diptycho cuidam horometro, quod Hippias Eleus philoſophus, Hegeſidemi diſcipulus, & *ὁ μηχανικῶν τε ὢν τὰ πρῶτα* in ſuo elegantiſſimo balneo Olympiae in Piſaeo agro ingenioſe fabricarat: erat illud quippe *ὑδατικὸν*, inſimulque *σκιοθηρικὸν*, quemadmodum ſcripſit Samoſatenſis transfuga: *ὡρῶν δὲ διττὰς δηλώσεις, τὴν μὲν δι' ὕδατος, καὶ μυκήματος· τὴν δι' ἡλίου ἐπιδεικνυμένην*; *duplici modo,*

 uno

1 Sequioris aevi inventa nihil moror. Obſtupuiſſe plurimum novimus barbarica ſaecula, quum automatica quaedam viderunt horologia, omnique laude eorumdem cumulaſſe inventores. Ita Theodoricus Rex, mittens Gundibado Burgundiorum Regi horologium ſolare, & alterum aquatile a Bohetio conſtructum, incredibili verborum apparatu artificium exaggerat. (V. Cassiodorum *variar. lection. lib.* I. *epiſt.* XLV. XLVI.) In rerum admirabilium numero ſimiliter habita ſunt horologium a Paullo PP. I. Pipino Regi dono datum, (*in Cod. Carolin. edit.* Gretser. *ep.*XXV.), alterum ab Aarone Perſarum Rege Carolo M. miſſum *ex aurichalco arte mechanica confectum, in quo* XII. *horarum curſus ad clepſydram vertebatur, cum totidem aereis pilulis, quae ad completionem horarum decidebant, & caſu ſuo ſubjectum ſibi cymbalum tinnire faciebant.* (Aimonius *de Geſtis Francorum ad an.*807.), item nocturnum illud rotis, ponderibus, libraminibus, campanulis &c. conſtans, quod imperante Lothario Ludovici Pii F. invenit Pacificus Archidiaconus Veronenſis. (Maffei *Verona illuſtrata part.* II. *lib.* II.), aliaque ſive a Gerberto, ſive a Jacobo Dondo excogitata, quae diligenter percenſet Falconetus (*Memoires de Litterature &c.* ubi ſupra).

uno per aquam, & ſonitum , altero per ſolem horas demonſtrans [1] . Sed adhuc majorem ſui injicit admirationem alterum, quod M. VARRO in ſuo ὀρνιθοτροφείῳ , ſeu aviario conſtituerat ; non enim ſolis umbra , ſed ſiderum trajectione horae notabantur , eratque illi copulatum ſub eodem faſtigiato fornice ἀνεμοσκοπεῖον . Audiendus VARRO ipſe , qui machinam ſignificanter expreſſit . *Intrinſecus ſub tholo ſtella Lucifer interdiu , noctu heſperus ita circumeunt ad infimum hemiſphaerium , ac moventur , ut indicent , quot ſint horae . In eodem hemiſphaerio medio circum cardinem , eſt orbis ventorum octo , ... Ibique eminens radius a cardine ad orbem ita movetur , ut eum tangat ventum , qui flet , ut intus ſciri poſſit* [2] .

Tandem in rerum mirabilium numerum nullus haeſitans refero horometrum , quod apud Allobroges C. Blaeſius de ſua pecunia olim dedicavit . Primum hujus rei indicium ab oblivione vindicavit popularis meus GVICHENONIVS , qui lapidem inter alpium latebras a ſe inventum protulit in auguſtae noſtrorum Regum familiae hiſtoria [3] . Inſcriptus marmori titulus praeclari opificii teſtis eſt multo locupletiſſimus .

HOROLOGIVM CVM SVO AEDIFICIO ET
SIGNIS OMNIBVS ET CLATRIS
C. BLAESIVS C. FIL. VOLTINIA GRATVS EX H-S N.
ſic
ET EOAM FILIVS AD ID HOROIOGIVM ADMINI
STRANDVM SERVVM H-S. N. IIII. D. S. P. D.

---

1 In Dialogo ΗΙΠΠΙΑΣ . Schema propoſuit , ſeu finxit MAGIVS *de Tintinnabulis capite* VI.

2 *De Re Ruſtica lib.* III. *c.* V. Haec dum ſcribebam inſigne , & cujuſvis pretii marmor nuperrime extra portam Capenam effoſſum mihi forte fortuna in manus incidit , quo hic VARRONIS locus magnopere , egregieque illuſtrari poſſet . Sed ipſa monumenti praeſtantia longiorem certe poſtulaſſet exercitationem, quam quae hic brevi notatiuncula comprehendi queat. Quare uberem marmoris explicationem ad calcem commentarii dabimus, ne gazam , quam nobis ſors obtulit , in publicum commodum proſtare denegemus . Interim ſi quis Varroniani horologii, *per ſtellas* videlicet, conſtructionem exquirit , *ad* VI. *Gnomonicae librum* MILLIETI DECHALES eum ablegamus.


3 *Hiſt. de la Maiſon Royale de Savoye to.*I. *chap.*IV.*veſtiges d'antiquités. Monaſtere de Taloire .*

In quo lapide quatuor mihi obſervatu digna viſa ſunt, ut pote quae horologium illud non ſolarium certe, ſed machinam quamdam *compoſitam*, multiplicique artificio intextam fuiſſe manifeſto produnt. Primo non baſis columnae, ſicuti quum de ſciotheris ſermo eſt, ſed *aedificium* memoratur, quod cellula quaedam, aut tabernaculum fuiſſe ſuſpicor, ad machinam horodicticam concludendam, eamque a temporum injuriis protegendam. Secundo dicitur variis *ſignis* fuiſſe perornatam, quod nonniſi in horometris, quae cylindris, tubulis, rotis, ſiphonibus, ponderibus conſtarent, uſitatum fuiſſe deprehendimus. Tertio aedificium *clatris*, cancelliſve ſeptum, ac vallatum fuerat. Quorſum id? Profecto ad prohibendos ab aditu homines, ne manus curioſius admoventes, machinam vitiarent. Quarto denique ſervum *ad id horologium adminiſtrandum* a C. Blaeſii Filio deputatum legimus. Porro ſi verborum vis perpendatur, *adminiſtratio* aliquid erat, quod ſervus ad id ſpeciatim delectus circa machinam aut quotidie, aut ſtatis temporibus praeſtabat; & quantum ego exiſtimo, id ei curae eſſe oportuit, ut interdum rotas circumagens, pondera funependula rurſum elevaret, indeque horologium periodicos motus reſumeret, a quibus exacto quodam temporis ſpatio neceſſarie ceſſabat. Quibus ex rebus non dubito, artefactum, elaboratumque id genus horologium interdiu, noctuque horas patefeciſſe, ſonituque etiam aliquo eaſdem nunciaſſe.

Revocanda nunc eſt noſtra oratio ad id, quod eſt hujus commentarii ſcopus, a quo paullulum ſum digreſſus, ut nonnulla praemolirer, atque praeſtruerem, quae veram epigraphes interpretationem inveſtiganti plurimum lucis allatura videbantur. Itaque quodnam probabilius fuerit horologium a Colirio, & Clavdia Dianae oblatum, age, colligamus. Ac multa hic mihi enaſcuntur rationum momenta, quae vim afferunt, ut credam, ſolarium potius, quam clepſydram, aut quodvis aliud artificioſum automa exſtitiſſe. Primo quidem nudum illud τȣ̃ ὡρολογίȣ nomen, quod hic legitur, ſciatheriis ſic antiquitus adhaeſit, ut ubi de aliis machinis

machinis horodicticis ſermo eſſet, vel aliud uſurparetur vocabulum, vel aliquod certe copularetur adjunctum, ad diverſam horometri naturam, formamque exprimendam. Porro ſi quid a communi uſu remotum fuiſſet, aliquid de eo, pro veteri more, monuiſſet appoſita inſcriptio. Alterum argumentum ex loco petitur, in quo horologium poſitum fuerat, ſcilicet ad aedem Dianae Celceae. Publicis ſane locis legimus ſciatheria plerumque collocari conſueviſſe, non hydroſcopia, clepſydraſque, quae domi potius adſervabantur, & negotiis temporariis expediendis prae manibus tractabantur. Praeterea ecquis in animum inducet ſibi, Colirium & Claudiam horologii genus non antehabuiſſe, quod foret ſuopte ingenio diuturnius, temporumque injuriis felicius obluctaretur, quodque interdum reſtaurari nequaquam depoſceret? Ad haec omnia illud adjungi debet, quod maxime rem, cauſſamque continet, ſcilicet in noſtro marmore duo donariorum genera, horologii, & columnae proxime copulari. Ex quo illud non opinione, & conjectura tantum, ſed plane ad veritatem efficitur, horologium columnae impoſitum fuiſſe. Porro de ſolariis, non de hydrologiis id uſuveniebat; quod multo liquidius, atque apertius ex his, quae mox dicam, intelligetur.

§. IV



§. IV.

TON KEIONA KAITHNBAΣIN KATEΣKEYAΣAN.

Τὸν κίονα, καὶ τὴν Βάσιν κατεσκευάσαντο.

COLVMNAM Dianae oblatam quum lego, ſtatim in mentem venit PAVSANIAE narratio, qui in Chorintiacis vidiſſe ſe perhibet hujus Deae ſignum, quod columnae figuram habebat [1]. In quo facile aſſentior viro non tam generis nobilitate conſpicuo, quam politioribus diſciplinis exculto, omniumque amicorum beneficentiſſimo COMITI DE CAYLVS, qui ex hoc rudi, & ἀνενεργήτῳ Dianae ſigno nihil praeter ſummam primaevi temporis late fuſam barbariem, & artificum inſcientiam evinci, merito exiſtimavit [2]. Atque ampliſſimi hujus viri auctoritati non plus certe tribuo, quam res, ac veritas concedat; firmiſſimum enim illud afferri poteſt, quod idem PAVSANIAS in Achaicis ſcriptum reliquit: τὰ δὲ ἐπὶ παλαιότερα καὶ τοῖς πᾶσιν Ἕλλησι τιμὰς θεῶν ἀντὶ ἀγαλμάτων εἶχον ἀργοὶ λίθοι; *ſane olim apud univerſos Graecos inelaborati lapides pro ſimulacris divinos honores obtinuere* [3].

Qua

1 *Lib.* II. *cap.* IX.

2 *Recueil d'Antiquites volum.* I. *partie* III. *Antiq. Greques*.

3 *Lib.* VII. *cap.* XXII. Malo quarumdam gentium inſtinctu, & veſana prorſus voluntate accidit, ut λιθολατρεία, ſive ſuperſtitioſus Lapidum cultus, qui ſolo rationis lumine ex hominum mentibus abjici poterat, tamdiu perdurarit, aut jam a Chriſtianae religionis ſatoribus repreſſus, repullularit, rurſuſque eruperit. Nam ad hanc coercendam improbitatem, caſtigandoſque LAPIDVM VENERATORES, legimus ſanctiſſimas tuliſſe leges, & cenſorias Eccleſiae animadverſiones indixiſſe Patres CONCILII NANETENSIS *can.* II. LATERANENSIS II. *can.* 23. TVRONENSIS *can.* 22. TOLETANI XII. *can.* II. ROTOMAGENSIS, idemque ſanxiſſe Carolum Mag. *in Capitulari Aquiſgranenſi capit.* 63. *&c.* Habes haec omnia uberrime explicata a JOH. GEORGIO KEYSLERO in libro, *Antiquitates ſelectae Septentrionales, & Celticae* toto capite II.

Qua in quaeſtione nihil eſſe videtur, quod plus ponderis habere poſſit ad fidem faciendam, quam illud Clementis Alexandrini in primo Stromateων. *πρὶν γ᾽ ἂν ἀκριβωθῆναι τὰς τῶν ἀγαλμάτων σχέσεις, κίονας ἱστάντες οἱ παλαιοὶ, ἔσεβον τούτους ὡς ἀφιδρύματα τοῦ θεοῦ. γράφει γ᾽ οὖν ὁ τὴν Φορωνίδα ποιήσας·*

> Καλλιθόη κλειδοῦχος ὀλυμπιάδος Βασιλείης,
> Ἥρης Ἀργείης, ἣ στέμμασι, καὶ θυσάνοισι,
> Πρώτη ἐκόσμησεν, περὶ κίονα μακρὸν ἀνάσσης.

ἀλλὰ καὶ ὁ τὴν Εὐρωπίαν ποιήσας, ἱστορεῖ τὸ ἐν Δελφοῖς ἄγαλμα Ἀπόλλωνος κίονα εἶναι, διὰ τῶνδε:

> Ὄφρα θεῷ δεκάτην ἀκροθίνιά τε κρεμάσαιμεν,
> Σταθμῶν ἐκ ζαθέων, καὶ κίονος ὑψηλοῖο.

Priuſquam accurate, perfecteque noſcerentur imaginum habitus, ſpecieſve, veteres columnas erigebant, eaſque tanquam Dei ſtatuas colebant. Idcirco ſcribit qui compoſuit Phoronidem:

> *Callithoe, clavem reginae geſtat Olympi,*
> *A qua Junonis ſertis, pulchraque corolla*
> *Argivae quondam primo exornata columna eſt.*

Quin etiam qui ſcripſit Europiam, ſignificat, eam, quae Delphis eſt, Apollinis imaginem, eſſe columnam, ſic:

> *Vt decimamque Deo, primos fructuſque dicemus,*
> *Sedibus in ſacroſanctis, celſaque columna.*

Quamquam duobus his, ad quae Clemens provocat, exemplis maxima ſubeſt ambiguitas. Namque dubitari merito poteſt, an praecelſae illae columnae, quae ſertis, viridique corolla circumornatae fuerant, aut e quibus Numina decimas, primitiaſque ſibi offerri depoſcebant, pro Junonis,

nonis, Apollinisque ſignis, ac ſtatuis colerentur, an potius ſigna, ſtatuaſque Deorum ſuſtulcirent: quod ipſa carmina multo probabilius videntur innuere. Sed ad id, quod nunc potiſſimum quaerendum eſt, veniamus. Ergo columna, cujus meminit inſcriptio, quoniam ea aetate Dianae dedicata fuit, qua infinitae propemodum ſtatuae ubivis gentium exſtabant, pro Deae ſimulacro nequaquam accipi poterit. Quod ſi merum *ἀνάθημα*, aut *χαριστήριον* fuiſſe quiſpiam contenderit; video protecto huic conjecturae ſpecietenus poſſe favere Eretrienſium exemplum apud STRABONEM: *τὴν δύναμιν τὴν Ερετριέων, ἣν ἔσχον ποτὲ, μαρτυρεῖ ἡ στήλη, ἣν ἀνέθεσαν ποτὲ ἐν τῷ ἱερῷ τῆς Αμαρυνθίας Αρτέμιδος*; *potentiae, qua Eretrienſes olim praediti fuerant, teſtimonio eſt columna, quam in fano Dianae Amarinthiae aliquando dedicarunt* [1]. Atqui hoc columnarum genus *μνημόσυνον* potius fuerat ad editorum ludorum, ſacrorumque certaminum memoriam perennandam. Receptum enim erat veteri inſtituto ut non modo agrorum termini, viarum milliaria, leges, ſcitaque populi, Magiſtratuum, Tribuumque nomina [2], quaecumque denique e re publica eſſe crederentur [3], aereis, lapideiſve columnis deſcriberentur, ſed etiam impenſae in publicum commodum corrogatae, ſpectacula populo data &c. Cujuſcumque itaque columnae, etiam in fanis Deorum religionis, pietatiſque ergo poſitae certus quidam fuerat uſus.

1 *Geograph. lib.* x.

2 Confer *Inſcriptiones Atticas* divinis prope obſervationibus a CL. CORSINO illuſtratas.

3 Romanis quavis in re publicae commoditati ſtudentes multa columnis deſcribi fecerunt; quare etiam rationem intercalcandi, & Kalendarii emendationem, ut eſt apud MACROBIVM *Saturnalium lib.* I. *cap.* XIII. Cyrus Perſarum Rex non leges modo, in hominum utilitatem latas columnis aeneis juſſerat incidi, ſed etiam *convivales*, ut fercula omnia Regum menſae apponenda in his legerentur. Quas proinde Alexander M. veluti barbari luxus monumenta disjecit. V. POLYAENVM *Stratagemmat. lib.* IV. *cap.* III. Praetereo columnas in honorem illuſtrium virorum, Regumque poſitas.

Memini ſane celebrari a Clemente Alexandrino columnas a Megalco novem Phoëbi ſororibus dicatas : Μεγαλκῶ ἡ θυγατὴρ Μακᾶρος ταῖς μούσαις ἀνέθηκε στήλας χάλκας ; *Megalco Macaris filia poſuit Muſis columnas aeneas* [1]. Sed hunc illis adhibuit honorem , ut eas conſecraret , & ab hominibus ſacrificiis , votiſque coli faceret : καὶ ἀνὰ πάντα ἐκέλευσε τιμᾶσθαι τὰ ἱερὰ ; *& illas omnibus ſacris juſſit honorari* [2] . Numquid Diana jamdudum in concilium Deorum recepta , & ſidereis locata ſedibus erat a Colirio , & Claudia columnae dedicatione conſecranda ? Neque etiam Deae ſigno ſuſtentando poſitam fuiſſe reor ; quemadmodum enim in inſcriptione caetera horum conjugum donaria memorantur , ſignum etiam , ſi obtuliſſent , a quadratario recenſeri curaſſent . Demum nihil cauſſae erat , quamobrem privatorum hominum donaria columnae potius , quam cippo , aut tabellae deſcriberentur . Qui ergo dubitari poteſt hanc columnam veluti horologii baſim , ac crepidinem eſſe habendam , nullumque alium in ea uſum quaeri oportere ? Si vero , monente Cicerone , commemoratio antiquitatis , exemplorumque prolatio ſumma cum delectatione , & auctoritatem orationi affert , & fidem ; an non Tiberius Ravennae Herculem ſuum *Horarium* , ſtatuam nimirum Herculis hemiſphaerium collo geſtantis , in quo hemiſphaerio ſolis umbra perſpicua ratione horas indicabat , columnae impoſuit [3] ? An non vetuſtiſſimi Vindobonenſis Codicis miniatulae picturae ſciotherium ſuperne falcatum columnae impoſitum referunt [4] ? Neque uſu ſolum , ſed etiam forma cum his columnis noſtram conſentire , ac mediocri quadam proceritate donatam fuiſſe , exiſtimo , ut impoſitum illi ſolarium dum lumen exciperet , horas quaerentibus commode eſſet conſpicuum . Sed ſuſceptae quaeſtioni adhuc felicius , atque illuſtrius confirmandae monumentum omnium praeſtantiſſimum, non-

1 *In* ΠΡΟΤΡΕΠΤΙΚΩ .
2 *Ibi* .
3 Hieronymvs Rvbevs *Hiſtor. Raven. lib.* 1.
4 Lambecivs *Biblioth. Vindobon.* loco ſuperius indicato .

nondumque ad hunc diem editum hic in lucem efferre praeſtabit, quo ſimul noſtra antiquitatum cultoribus gratificandi voluntas cognoſci poterit.

Hoc ipſo, quo ſcribimus, ineunte anno, quum a remigum turma oſtium Portus Antii purgaretur, inter effoſſae, eductaeque ab imo maris arenae cumulos ſcyphus potorius argenteus, exquiſito opere anaglyptico a Graeco artifice elaboratus emerſit, cujus nitorem aquae ſalſedo, locique immundities nigricante rubigine infuſcaverat. Romam continuo ab arcis praefecto Equite Borgia ad Nerevm Card. Corsinvm perpetuum oppidi, portuſque Praeſidem, ac patronum tranſmiſſum fuit, qui operis captus elegantia, depoliri curavit, perſpicienſque totius anaglyphi ἐκτύπωμα inſignem aliquam veteris hiſtoriae periocham, vel fabulares caſus referre, Clariſſimo Joh. Bottario, viro omnibus ingenii, & doctrinae praeſidiis munito explicandum contradidit. Is vero pro ſua erga me veteri benevolentia non modo vas ipſum, quantum luberet, contemplandum obtulit, verum & accuratiſſimam illius graphidem dono dedit, facta mihi liberaliter facultate, ut, ſi vellem, meis animadverſionibus inſtructam, ornatamque publicarem. Injurius plane fuerim illuſtri adeo monumento, ſi univerſam illius affigurationem mihi ſumpſerim interpretandam, cujus explicatio multo eruditius ab ipſo Bottario aliquando vulgabitur: ego enim ſcire ipſum iſta melius, quam me, non fateor ſolum, ſed etiam facile patior. Quare unicum anaglyphi ſegmentum a caeteris diſſociatum, inpraeſentiarum liceat depromere, in quo ſolarium hemiſphaerio, aut potius conchylio aſſimile viſitur, columna quadrata, ſive paraſtata ſuffultum, viro, ac muliere acrius in illud inſpectantibus.

 Quid,



Ad Portum Antii inventum anno 1750

Quid, quaeſo, noſtrae diſputationi accommodatius? quid inſcriptioni declarandae opportunius? quid veteri conſuetudini, σκιοθήρα columnis ſuperponendi confirmandae, teſtatius? Quamvis autem univerſam ſcyphi ichnographiam BOTTARIO doctiſſimo, ſicuti par eſt, edendam relinquam, quid tamen in hoc ſegmento caelator expreſſerit, mihi nunc eſt ſummatim quaerendum. Ac ſtatim caeterarum figurarum geſtus, atque collatio rem univerſam produnt. Sed ut certa ratione, & via procedat oratio, neceſſe eſt, ὑποτύπωσιν in vaſe exſculptam in tres veluti actus partiri. Principem, mediumque locum tenet mulier ſtolata, galeataque, quae citra controverſiam FORTVNAE Romanorum imaginem, ſpeciemque praeſefert. Ab illa quippe, ut PINDARVS Olymp. Od. XII. dixit, quum gubernari, ac regi crederentur

Ἐν χέρσῳ τε λαιψηροὶ πόλεμοι,
In terra rapida bella,

victo-

victoriaſque dari, tamquam Pallas, aut certe velut individua Palladis comes colebatur a Romanis [1], qui proinde Fortunam bellico, militarique veſtitu effingi facile patiebantur. Ante illam abacus conſpicitur, impoſita deſuper urna, ex qua omnipotens Dea aliquid manu extrahit. Primum hunc fabulae actum complet homo breviori, ac quaſi paſtoritia tunica indutus, lata zona ſuccinctus, pedumque gerens, qui capite in urnam porrecto, & manibus menſae incumbens, quid ei ſortitò futurum ſit, attente contemplatur. Stat hinc prope ad aliam paraſtatam vir ſeminudus cum palliolo ad brachium revoluto, poſitu, geſtuque ſe aliquid magni animo agitare oſtendens, illinc mulier ſcopulis inſidens, ipſa etiam cogitatione alte defixa. Tempus videntur praeſtolari, quo ad menſam, Deamque accedant: quod pro altero fabulae actu accipi volo. Quae ſit tertii actus repraeſentatio, mox adpoſitum ſegmenti exemplar oſtendit. Quibus intellectis, planiſſimum fit, tota ectyporum ſerie **ΚΛΗΡΟΜΑΝΤΕΙΑΝ**, *divinationem per ſortes*, aptiſſime portendi, ut ad loci naturam, proprietatemque argentifex reſpexiſſe videatur. Nemo profecto ſic rerum omnium imperitus eſt, qui aliorum ſaltem ſermone celebrari non audiverit, Sortes Antiates, templumque ad Antii Promontorium, quo populus Fortunam per ſortes conſultum veniebat. Quomodo res in eo gereretur, ut ſub aſpectum poneret, ſic finxit excellens ille ἀργυροχόος. Hic

Diva gratum, quae regit Antium [2].

numi-

---

1 Plvtarchvs *de Fort. Rom.* Galeata quidem occurrit in nummo Veſpaſiani, qui mihi ſcribenti ad manus eſt.

2 Horativs *lib.* I. *ode* XXXVI. *in Fortunam*. Non praeterit me, eſſe Martialis, Svetonii, Macrobii, aliorumque dicta, quibus forte evincatur, Fortunas Antiates plures exſtitiſſe. Recenſuere Philippvs a Tvrre *Monumenta Veteris Antii Part.* I. *cap.* I. Joseph Roccvs Vvlpivs *Vetus Latium lib.* IV. *cap.* V. Adde, per me licet, & Marmor Gruterianum: Fortvnis Antiatibvs, & Q. Ruſtii nummum, in quo geminum Fortunae ſimulacrum. Nihil ego his perturbor argumentis: nam certum

numine, imperio, lubitoque ſuo ſortes hominibus diſpenſat [1]. Hic κάλπις ἀργυρᾶ πρόκειται ἱερὰ τῇ θεῷ, *urna argentea proſtat, Deae ſacra* [2]. Hic demum ſupplices homines κλῆρον, ſive teſſeram ligneam ſibi a Fortuna oſtendi expectant, ut ex deſcripto in ea ſymbolo vel ſecundae, vel adverſae ſortis praeſagium, omenque capiant. Quae quidem conſuetudo a Troicis uſque temporibus ad Graecos, Romanoſque promanavit. Ita Graecorum optimates pugnam cum Hectore ineundam ſortiti ſunt [3]; ita Vlyſſis ſocii in adeunda Circe ſortem quaeſivere [4]; ita Caſtoris Hylacidae liberi patris bona dividunda cenſuerunt [5]; ita apud Meſſenios regionum, provinciarumque adminiſtratio commendabatur [6]; ita Archontes Eponymi, aliique Octoviri Athenis delecti [7]; ita denique Veſtales Romae quandoque creatae. Sed cujuſnam potiſſimum rei a quinque in ambitu ſcyphi exſcalptis perſonis ſors quaeratur, ſane, niſi a bona diſceſſerim mente, nec divinando auſim conjectare. Vnaquaeque veroſimiliter pro ſua conditione diverſam inveſtigabat; nihilque aliud caelatorem in cratere effingendo ſpectaſſe

certum eſt, Fortunas, quotquot numerantur, ſub uno tantum numine fuiſſe cultas, & varias imagines, quibus illas effingi, variaque nomina, quibus appellari contigit, uni, eidemque Deae convenire, aptarique pro diverſa Sortium conditione. Cujus rei non ignarus crateris caelator, neque inconſulte, neque mendoſe, ſed ſuorum ſequutus θεολογουμένα, unam tantummodo hic Fortunam expreſſit.

1 Magiſtratuum Athenienſium ſortitionem eruditiſſime expoſuit immortalis CORSINVS *in Faſtis Atticis Part.* I. *Diſſert.* I.

2 LVCIANVS *in Dialog.*

3 HOMERVS *Iliad.* ζ.

4 *Odyſs.* K. *v.* 206.

5 *Odyſs.* ξ. *v.* 209.

6 PAVSANIAS *in Meſſenic.* ſeu *lib.* IV.

7 SVETONIVS *in Auguſt. cap.* XXXI. Adi JOAN. FRIDERIC. SCHLICHTINGIVM *de Veſtalibus, & jure Veſtali* §. XV. Sortitio apud Hebraeos quoque non in profanis rebus ſolum, ſed in ſacris uſitata fuerat, quantumque gens illa huic fortuitis auguriis tribueret, divinarum litterarum teſtimonia imprimis docent. Res tota fuſe, eruditeque pertractata eſt a MARTINO MAVRITIO in libro *de Sortitione veterum Hebraeorum*.

ctaſſe autumo, quam ut ſortium Antiatum caeremonias in univerſum monſtraret. Quas quum intueor, locique recordor, ubi vas repertum fuit, illud inter donaria templo Fortunae oblata eſſe numerandum, minime dubito. Etenim Pollux de his differens, ait: τὰ δὲ ἀνάθηματα ὡς ἐπὶ πολὺ φιάλαι χρυσίδες, ἀργυρίδες, ἐκπώματα, οἰνοχόαι, *donaria plerumque ſunt phialae aureae, argenteae, pocula, cyathi* [1]; quod nihil in ſacris adeo eſſet frequens, quam Diis prolibare. In hunc uſum comparatum fuit a Peleo χρύσειον ἄλεισον *poculum aureum* [2], oblatuſque a Seleucho Callinico Apollini ſervatori ob pacem cum Ptolemaeo Evergete in decem annos factam, σκύφος ἀργυροῦς τορευτὸς, *ſcyphus argenteus, caelatus* [3]. Jam vero quum a duobus illis antiquis Grammaticis Acrone, & Porphyrione memoriae proditum ſit, templum Fortunae Antiatis pretioſis, variiſque Imperatorum, privatorumque hominum donis, ac muneribus fuiſſe ornatum, atque refertum [4], veroſimillimum exiſtit, in illorum numero eſſe ponendum ſcyphum anaglyptum in templi viciniis inventum.

Sed quid cum ſortibus horologium, quid cum Fortuna ſolarium? Totum illud ſortium negotium, teſte Cicerone [5], erat ſuperſtitioſa ſollicitudine pleniſſimum, & incredibili cum deliratione conjunctum, ut ſors vel fortunata, vel funeſta pendere quammaxime putaretur ab anni tempeſtate, a coeli converſione, & commutatione, ab acceſſu, receſſuque ſtellarum tum actiones vitae, & caſus cujuſque; praedici poſſe crederentur ex orbis ſitu, & puncto,

1 *Onomaſtic. lib. 1. cap. 1. ſegment. 25.*
2 *Iliad. λ. v. 277.*
3 Chishull. *Monumentum Mileſium.*
4 *Comment. ad* Horativm *Ode ſupra indicata.*
5 *De Divinat. lib. II. cap.* XLI. Confer Herodotvm *lib. II.* Diodorvm Sicvlvm *lib. I.* Ac ſi plura aveas de κλήρῳ τῆς τύχης adi Seldenvm *de Diis Syris Syntagm. 1. de Gad, ſeu Fortuna*, Henricvm Benzelivm *de Sortibus Veterum*, Wil. Chrysandrvm *orat. de Sortibus &c.*

cto, in quod eo die ſol veniſſet: quo pertinet Hesiodi carmen[1]:

Ἄλλοτε μητρυιὴ πέλει ἡμέρη, ἄλλοτε μήτηρ;
Interdum noverca eſt dies, interdum mater.

At non ſolum dies, ſed diei horas ad omen capiendum notare oportebat. Id nitide, diſſerteque teſtatur hujus diſciplinae princeps Manilius, qui ad bonae, malaeve fortunae ſedem inveniendam, ſortemque praenuntiandam, non ſolum aſtrorum motus, ſed umbrarum magnitudines, & horarum ſive brumalium, ſive aeſtivalium ſpatia noſci debere, praeſcripſit[2].

Nec tibi conſtabunt aliter veſtigia veri,
Ni lucem, noctemque pares dimenſus in horas,
In quantum vario pateant ſub tempore noris,
Regulaque exactas primum formetur in horas,
Quae ſignetque diem ſedes, perpendat, & umbras.

Sic vero rerum eventus cum certo, determinatoque temporis momento intime, arcteque colligatos dictitabant inſani κληρομάντεις, ut quando aliquid futurum eſſet, ſe poſſe πειρασατικῶς praedicere confiderent. Inſtar omnium unus ſit auctor Ptolemaeus: ὥστε δύνασθαι τὸν ἐπιστήμονα καὶ τὴν ὥραν λέγειν ἐν ᾗ γενήσεται ἡ πείρασις; *itaque peritus etiam horam poterit dicere, qua aliqua futura ſit occaſio*[3]. His expoſitis, breviterque diſputatis, duo intelligi perquam facile poterunt, ſcilicet, artificem apte, conſiderate, ſcienterque in ſcyphi ambitu ſolarium effinxiſſe; & quare vir, ac mulier oculos in illud ſic attente, ac quaſi pavide defigant. Nam ſi tota toreumatis configuratio eo collimat, ut ſortium apparatio, virtus, ac caeremonia

1 *Oper. & dier. verſ.* 825.
2 *Aſtronomicon lib.* III.
3 *De Prognoſtic. Aſtronom. pag.* 80.

monia ob oculos proponatur; illud non erat praetermittendum, quod in ſortibus quaerendis tantopere obſervabatur, nimirum anni dies, & diei hora. Ad id autem quae poterat reperiri accommodatior, & ſignificantior indicatio, quam horologium? Fortaſſe viro, aeque ac mulieri vaticinator aliquis praedixerat, qui nam fauſti, qui infauſti illis futuri eſſent dies, qua diei hora vel aliquid triſte eiſdem poſſet impendere, vel proſpere ſuccedere. Vir itaque totus in ſolarium defixus umbras ſupputat, horaſque numerat, ut de ſorte in anteceſſum ominetur, aut ſortem jam ſuſceptam, cum aſtrologi verbis, & horoſcopo conferat. At femina, quae ſuopte ingenio auguriis, ac praedictionibus multo facilius animum praebet credulum, moerenti vultu, conſertis manibus, totoque geſtu videtur acerbiori urgeri perturbatione, & ſortem fatalem pavere.

Hactenus de columnae natura, atque uſu: alteram jam expendamus verſiculi partem, in qua dicitur, Colirium, & Claudiam *de ſua pecunia* praeter columnam τὴν βάσιν dedicaſſe. Initio ſubit mirari, eccur mentio ſpeciatim hic injecta fuerit *baſis*, quae tanquam columnae pars, ac complementum ſpectari conſuevit, ut qui ſcapum collocaſſe dicitur, is baſin etiam ſuppoſuiſſe intelligatur [1]. Non ſum equidem neſcius in his inſcriptionibus, in quibus de ſignis, & ſtatuis ſermo eſt, baſes plerumque memorari; ut habet vetus lapis GRVTERIANVS: *Genium . cum . baſi . marmorea &c.* [2] Rurſus apud GVDIVM legitur: *ſignum . aereum . cum . baſi . marmorea &c.* [3] In qua lapidum claſſe obſervatu digna eſt inſcriptio a DORVILLIO emendata [4]

APOLLINI
GRANO
SIGNVM . CVM
BASI . MAR . PAR. *Marmoris Parii*

1 V. BLONDELLVM *Cours d' Architecture Part.* 1. *pag.* 2.
2 GRVTERVS MXVIII. 3.
3 GVDIVS *Inſcript. antiqu.* VI. 5. XIV. 5. LXIX. 7.
4 *Diatriba in Inſcript. quaſdam. Obſervat. Miſcell. an.* 1741. *tom.* III.

Baſis quandoque reticetur qualitas, quemadmodum in epigraphe a MESSERSCHMIDIO vulgata: *Herculi. ſtatuam. cum baſe &c.* [1] Interdum vero non baſin modo, ſed totius aedificii ſolea nominatur. Exemplum dabit VIGNOLIVS [2]

I. O. M.
ET . LARIBVS . PVT. CIV.
C. AR. FLAVIANVS . AED. CVR.
CVM . BASE . ET . HYPOBASI.

Demum praeter ſpiras reliqua architectonices opera, quae ſigno adjacebant, illudque perornabant, nonnumquam in inſcriptione recenſebantur. Argumento eſt marmor Campanum [3], quo inſigne monumentum Dianae monitu poſitum inſcribitur:

CN. POPILIVS . CN. F. FAL.
SEVERINVS . IIVIR . CAPVAE
SIGNVM . DIANAE . TIFAT.
CVM . BASI . ET . EPISTYL.
EX . MON. POS.

Verum quia ſigna, & baſes, ut ex productis mox epigrammatis apparet, diſſimili materia, aut diverſo marmorum genere perſaepe conſtabant, unumquodque opus praeſtabat ſingillatim enuntiare. Fieri praeterea poterat, ut pro variis aedificii partibus pecunia a pluribus corrogaretur, & alius ſtatuam, alius ſtylobatam, alius denique epiſtylium impenſa ſua fieri curaſſet. Quoties ergo unius hominis ſumptu omnia eſſent perfecta, condonanda veterum ingenio haec gloriola, ſi qui totum aes contulerat, memoriam liberalitatis ſuae exſtare volebat. Vaſcula etiam quum ante Divum pedes deferebantur, hominumque pietas voti compos facta, devo-

1 Ex Schedis BRVKERI in libello *Hercules Σωτήρ. Lipſ. edit.*
2 Ad calcem Oper. *de Columna M. Antonini Pii*; *Inſcript. Selectae* 192. Iterum MVRATORIVS *Nov. Theſaur.* 2295. 2.
3 PRATILLVS *della Via Appia lib.* III.

devotam, gratamque mentem his donariis teſtari vellet, mos erat, ut crateres ejuſmodi *cum baſe ſua* ſuperis exhiberentur; tituloque appoſito tum ἀγγεἰϐ, cum ὑπερείσματος munus recenſeretur [1]. Et quamvis *lege Heres meus. D. de legat.* 3. cautum, ſanctumque eſſet, ut ad quem ἀργυρώματα teſtamento pertinerent, in ejuſdem dominium hypocrateria concederent: *Cui Corinthia vaſa legata eſſent, eidem baſes eorumdem vaſorum collocandorum cauſſa deberi, Trebatius reſpondit*; nihilominus alterum ab altero materia ſic conſueverat eſſe diverſum, atque diſtinctum, ut non inaniter, aut jactantius de utroque marmora loquerentur.

Aliter profecto de columnis ſtatuendum videtur. Nam ſi Dores excipias, caeterae nationes, vel ipſi Thuſcanae architecturae auctores ſcapo baſin ſuppoſuere [2]; cenſeturque illa in quatuor aliis ordinibus veluti operis continuatio. Verumtamen duae res in cauſſa eſſe potuerunt, quantum ego opinione auguror, ut Colirius baſim ſingillatim nominari voluerit. Fortaſſe in ea Peloponneſi parte ubi ille monumentum Dianae poſuit, ad eum uſque diem Doricus ordo ſolus obtinuerat, ſicuti in tota ferme Graecia antiquitus uſuvenerat, teſtante Plinio [3] his verbis: *In Dianae Epheſiae aede primum columnis ſpirae ſubditae ſunt, & capitula addita* [4]. Vt ergo novi ordinis architectonici admiſſio, quae Epheſi accidit, memoratu digna Plinio viſa fuit, ita Colrio videri potuit nova a ſe facta baſis additio. Neque etiam alterum incredibile eſt, epigraphen hanc baſeos diſtincte meminiſſe, quia elegantiore marmore, ac forma illa conſtaret, aut exquiſito toreumate decoraretur: ſed haec uberiorem nequaquam flagitant orationem.

1 Grvter. xiv. & xlviii.
2 Dempstervs in *Etruria Regali lib.* vii. *tab.* xxxii. Gorivs *Muſeum Etruſcum tom.* i. *tab.* clxx. *&c.*
3 H. N. *lib.* xxxvi. *cap.* xxiii.
4 Festvs de Verb. Sign. *Spirae dicuntur baſes columnarum unius tori, vel duorum.*

Poſtremum illud inveſtigandum videtur, quo veroſimilius loco columnae, & horologii *ἀνάθημα* a generoſis conjugibus fuiſſe dedicatum credi debeat. Mihi, ne ut dubitem quidem, relinquitur, ad aedem Dianae poſitum fuiſſe. Indicio primum eſt, quod in marmore, quo donaria narrantur, eodem τῆς Ἱερείας Κλαυδίας, atque etiam τῆς Ὑποδιακονούσης Σογίος nomina deſcribuntur. Nam eccur Sacerdos Dianae, ejuſdemque templi adminiſtra erat hic commemoranda, niſi totum aedificium ex Colirii, & Claudiae pecunia factum ad illas aliqua ratione pertinuiſſet? Nulla alia vero conjunctione haec ſe ſe invicem contingere poterant, niſi quia horologium ejus loci commoditati, atque uſui paratum fuerat, ubi illae Deae famulabantur. Praeterea quid tam neceſſarium optimo rerum in fano gerendarum ordini, quam certa temporis indicatio? Non una omnibus Diis ſaſcrificabatur hora, ſed pro vario illorum ingenio, aliis diluculo, aliis aperto jam die, aliis denique ſub occaſum ſolis [1]. Concelebrari inſuper conſueverant ſollemni apparatione, & ſumma hominum frequentia *θυσίαι κοιναί*, ſive *ἱερεῖα δημόσια* *ſacra publica*, quibus electam quamdam populi manum ſive *Curiam*, ſive *Fratriam*, aut Magiſtratum oportebat intereſſe. Ex his, quae, referente XENOPHONTE, Athenis peragebantur, de caeteris licebit aeſtimare; *θύουσιν οὖν δημοσίᾳ μὲν ἡ πόλις ἱερεῖα πολλὰ, ἔστι δὲ ὁ δῆμος ὁ εὐωχούμενος, καὶ διαλαγχάνων τὰ ἱερεῖα*, *mactabantur itaque civitatis ſumptu multae hoſtiae publice, & populus eſt is, qui epulatur, & ſorte inter ſe partitur victimas* [2]. Rite ne vero, opportune, commodeque haec perfici poterant, niſi indicta eſſet certa diei hora, qua in unum convenirent, qui ſacra curare, qui victimas caedere, qui aram inſtruere, qui ſuffitus parare, qui tibiis canere debebant? Ergo aliquem horarum indicem prae oculis illos habere neceſſe erat, ne ſacra perturbate fierent, ne Miniſtri officio deeſſent, populum-

1 LAKEMACHERVS *Antiquit. Graecorum ſacr. Part.* III. *cap.* I.
2 *De Repub. Athen.*

lumque, qui ſpectatum, epulatumque veniebant, nimis morarentur. Atqui id genus ſacrificia a Peloponnenſibus in aede Dianae Celceae, quam veluti praeſentiſſimum, & ſoſpitale numen reverebantur, peracta fuiſſe probabile omnino videtur: horologium igitur in commodum Sacerdotum, miniſtrorumque σιωοίκων, & ναοφυλάκων juxta ipſam aedem fuiſſe poſitum, affirmare par eſt.

Antequam ab hac exercitatione abſcedam, optime cum his, quae a me tractantur, congruere, planeque convenire exiſtimo, atque etiam non vulgarem gratiam a rerum Graecanicarum cultoribus me poſſe inire confido, ſi alteram Columnam Dianae ſacram, eamque cum vetuſtate, tum inſcriptione inſignem nunc primo edendam, illuſtrandamque ſuſcepero. Porro non tam ineluctabili rerum omnium caſu, quam coeli intemperiis, locique uligine pereſus litteratus hic lapis totus interiiſſet, niſi illum ab impendenti ruina prohibuiſſet nobiliſſimus HANNIBAL OLIVERIVS, cujus nomen, ut mihi pro veteri, conſtantique amicitia eſt jucundiſſimum, ita ob politioris ab illo edita litteraturae monumenta eruditorum omnium praeconiis celebratum. Ex Peloponneſo, aut finitimis certe locis jam ab anno CIƆIƆCCXXXVIII. Anconam a Graecis mercatoribus ſubvecta fuit columna ſtriata, de qua nunc dicturi ſumus, ibique a quodam Marmorario aere commutata. Qui utpote ignarus, maximeque rudis homo, nihili pendens inſcriptionem exoticis, ſibique ignotis elementis inciſam, columnam cum aliis impolitis, luxatiſque ſaxis ſub dio, atque in ipſa publica via, qua ad Portum itur, locavit, atque illic neglectam, coenoque foedatam viginti annis jacere paſſus eſt; unde illud ad minus accidit incommodi, ut nonnullae litterae, quae initio erant conſpicuae, ſitus infelicitate, marini aëris, & luti edacitate evanuerint. Sed fortunate, dextroque auſpicio factum eſt anno ſuperiore, ut CL. OLIVERIVS Romam veniens Anconam diverteret, viſurus novum pilarum opus ad navium, portuſque tutamen BENEDICTI XIV. Pontificis ad aeternitatem Romani nominis nati juſſu, ac providentia fundatum.

Ita-

Itaque eam inambulans viam, quâ columna deſpecta, diuque inobſervata jacebat, ubi primum characteres in ea inſculptos conſpicatus eſt, marmoris pretium nobilitatemque agnovit; a Lapidario quavis pecunia redimendum cenſuit, emtumque ſtatim Piſaurum curavit deportari, ut inſtructum a ſe Muſeum, aeternum Vrbis illius decus, hac nova acceſſione adhuc locupletaret. Tandem in patriam redux linearem columnae deſcriptionem ad me miſit, cujus apographum aeri inciſum hic damus.



Ex Peloponneſo advecta anno 1738

Dum ad inſcriptionem, ut amico incomparabili gratificarer, interpretandam animum, curamque converteram, monuit me meus Oliverivs, ſe de retruſa epigrammatis ſignificatione mox etiam compellaſſe graviſſimum virum Edvardvm Corsinvm. Quo audito praeclaro nomine, a quovis labore ſine cunctatione mihi eſſe temperandum intellexi. Tantam is enim

in

in mutilis, implexis, maximeque arduis inſcriptionibus ſupplendis, enodandis, declarandiſque ingenii aciem, facilitatem, doctrinam aureis ſuis libris patefecit, eamque ſibi aſſeruit gloriam, quam nemo fortaſſe eſt conſequutus. Neque id mihi umquam auſim arrogare, ut illius peritiam, eruditionemque valeam aequare, cui neminem antepono, comparo vero perpaucos. Accedit, quod ego CORSINO duce, ac magiſtro his in litteris uti ſoleo ad quaeſtiones difficillimas ſolvendas. Non ergo tanto viro praeripienda haec ſparta, quam ille multo uberius, ac felicius, prae me poterat adornare. Contra vero rem omnem fauſte, proſpereque ſucceſſiſſe arbitror, quod vir Graece ad miraculum doctus diatribam epiſtolarem hujus marmoris gratia a ſe conſcriptam, mihi vulgandam conceſſerit; tum quia non exiguus noſtro operi ſplendor indidem accedet, tum etiam, quod nihil eruditis poſſit eſſe acceptius ea interpretatione, quae a ſummo intelligendi, docendique auctore proficiſcitur.

NO-



Alt. palm. Rom. 1. 11.

NOBILISSIMO, AC ERVDITISSIMO VIRO
HANNIBALI OLIVERIO
PATRICIO PISAVRENSI

EDVARDVS CORSINVS
CL. REG. SCHOLARVM PIARVM.

SI quemadmodum eleganter, ita quoque vere, accurateque dixiſſet Poëta, quod *& lapides ſuus ardor agit*, ideoque ſi lapides ipſi, vel marmora aliquo amoris, ac laetitiae ſenſu percelli poſſent, nullus dubito, OLIVERI doctiſſime, quin ea praeſertim marmora, quae notis, epigrammatis, aut anaglyphis ornata fuerint, maximo voluptatis ſenſu tangi deberent, ubi ex ſquallore, quo jampridem obſita, obliterata, & exeſa fuerant, feliciter erepta ſplendidoque, ac illuſtri in loco poſita iterum ſpirare, atque eruditorum hominum oculis, & admirationi proponi coeperint. Id ego ſane de eximio marmore, ſive pergrandi marmoreae columnae fruſto dicendum exiſtimo, cujus imaginem diligenter adeo, accurateque delineatam mihi perhumaniter communicaſti, ut ſimul etiam characteres omnes, aut epigrammatis verſus, qui inter ejuſdem columnae ſtrias exarati fuerant, exhiberentur. Siquidem praeclarum hoc antiquitatis monumentum Anconam ex Peloponneſo advectum publico in loco ſub dio projectum diutiſſime ibi jacuit: quo plane fieri oportuit, ut temporis injuria tum inferior columnae pars, tum characteres ipſi inſcripti interciderint; praeſertim vero in ſuperiori, & adhuc ſuperſtite columnae parte characteres alii evaneſcerent. Itaque merito huic ipſi antiquitatis monumento propediem interituro, ſimulque eruditae antiquitatis cultoribus gratulandum, quod lapis ille a Te redemptus in magnificas, atque ornatiſſimas aedes tuas Piſaurum, tranſlatus innumeris monumentis aliis a Te diligentiſſime collectis, diſpoſitis, affabreque ornatis acceſſerit.

Vtinam

Vtinam vero *Oliveriae* Columnae tuae facies, ac verſus in illa exarati integriores ad haec uſque tempora perveniſſent! Sic enim facile certoque deprehendi poſſet a quo donarium illud oblatum, quave Artificis manu elaboratum fuerit, ſicque fortaſſe de ipſius antiquitate lux aliqua affulgeret; quemadmodum haec aliaque id genus plura ex *Nania* Columna ego jampridem deprehendi, quae miro quodam fato integrior ad nos pervenit. Quandoquidem tamen, Vir praeſtantiſſime, id a me poſtulas, ut quidquid ea de re conjecerim Tibi ſignificem, morem Tibi geram, mihique ipſi diffidens, quaecumque in tanta obſcuritate, ac perplexitate conjici poſſe putaverim, ſapientiae, judicioque tuo graviſſimo modeſtiſſime exponam.

Atque, ut ab ipſa litterarum forma exordiar, haec a receptis quidem, aut recentioribus Graecorum litteris plerumque deflectit, ſed antiquiſſimos tamen Graecorum characteres in vetuſtiſſimis illorum monumentis expreſſos aemulatur. Sic eadem characteris Α forma, quae in noſtro marmore conſpicitur, in Sigeo quoque lapide reperitur. Character ▷, qui in Inſcriptione noſtra quater occurrit, eadem prorſus triangulari ſpecie in Sigea exprimitur; & quamvis hic in voce **ΜΗΤΗΡ** conſueta, notaque forma Ρ obſervetur, haec eadem tamen in Sigeo marmore alicubi offenditur. Character Ɛ tranſverſis lineolis ad imum vergentibus non modo in Etruſcis monumentis omnibus, ſed in Deliaca quoque, Sigea, aliiſque veterrimis Graecis Inſcriptionibus habetur. Ita quoque ab Etruſcis, & Sigei lapidis auctore character Μ, truncata fere ſiniſteriori lineola, uſurpatur, quamvis hic in prima voce **ΑΡΤΕΜΙ** integer habeatur. Character Φ, nimirum O lineola perpendiculari bifariam ſectus duabus in vocibus **ΑΣΦΑΛΙΩ** & **ΦΕΡΣΙΣ** hic habetur, nec a Sigei, & Deliaci lapidis forma recedit, in quibus ɸ lineola ſuperne paullulum aſſurgente habetur; accuratiſſime vero Etruſcam ejuſdem litterae formam exhibet, quae in Stoſchiano Scarabeo, prorſus ut in noſtro lapide, exaratur. Initio ſecundi verſus reperitur ΑΣΦΑΛΙΩ,

ubi quintus character vel Γ *Gamma*, vel potius Λ *Lambda* eſſe debet. Siquidem in Deliaca quoque Inſcriptione *Lambda* ita efformatur Λ, & in Sigeo lapide littera Γ ſiniſtra lineola ad imum fere ſic protenſa Λ Lambda recens imitatur; ideoque ex ſolo ſenſu deduci debet an character ille vel *Lambda*, vel *Gamma* eſſe debeat, ut mox dnoatabitur. Denique in marmore noſtro praecipue obſervandum, quod alicubi character Ω reperitur, ubi affinis character alius O exarandus erat, ut in ΣΩΙ, & ΠΩΙΗΜΑ: ſive quod ſcalptor ambiguo litterae ſono deceptus imprudens aberraverit, ſive quod peculiari dialecto, ſcribendique conſuetudini id ſit tribuendum; ut Aeolica ſane dialecto viciſſim character O pro Ω ſaepius uſurpatur. Alicubi tamen character ipſe Ω in hac Inſcriptione Dorica dialecto pro diphthongo OY collocatur. Siquidem initio ſecundi verſus, ubi legitur ΑΣΦΑΛΙΩ ΜΗΤΗΡ, legendum erit ΑΣΦΑΛΙΟΥ, atque in tertii poſtremique verſus initio ΤΩ ΠΑΡΙΩ pro ΤΟΥ ΠΑΡΙΟΥ ſcriptum fuit.

Age vero, jam conſtituta quorumdam characterum forma ac poteſtate, integra Epigrammatis facies, ſi fieri id quidem poſſit, partim ratione, partim conjectura, partim etiam divinatione exhibeatur. Ego ſane ſuperſtitum adhuc litterarum, aut vocum lacinias, praeſertim vero ſenſus, qui Epigrammati ineſſe debuerat, concinnitatem ſequutus ita verſus omnes reſtitui, ſuppleri, exponique poſſe putaverim:

ΑΡΤΕΜΙ ΣΟΙ ΤΟΔΕ ΑΓΑΛΜΑ ΕΥΕΣΙΩΣ ανεθηκεν
ΑΣΦΑΛΙΟΥ ΜΗΤΗΡ ΦΕΡΣΙΣ ερου **ΘΥΓΑΤΗΡ**
ΤΟΥ ΠΑΡΙΟΥ ΠΟΙΗΜΑ Καλον **ΔΙΑΕΟ ΕΡΓΟΝ**

De tribus ſane prioribus Epigrammatis vocibus nulla ambiguitas, vel controverſia eſſe poterit: quinetiam ex illis perſpicue certoque deprehendi poteſt quod Artemidi, ſive Dianae monumentum, ſtatua, vel donarium aliquod oblatum, dicatum, ſacratumque indicatur. Itaque pro-

proximo loco , ubi nunc depravate legitur ΑΛΑΕΜΑΙ , nulluſque ſenſus exſculpi inde poteſt , non aliud quam ΜΝΗΜΑ , ſive potius ΑΓΑΛΜΑ reſtitui poterit ; cum praeſertim ſecunda littera , quae fere *Lambda* videtur , optime *Gamma* eſſe poſſit , ut ſuperius obſervavi ; atque ubi ex ſequenti littera Ε duae inferiores lineolae temere vel a ſcalptore , vel ab exſcriptore adjectae , facile ſublatae fuerint , vetus illa ac ſincera τȣ Λ , ſive Λ forma ſupererit , quae integram vocem ΑΓΑΛΜΑ in aliis id genus monimentis frequentiſſime uſurpatam nobis exhibeat .

Video quidem huic conjecturae facile opponi poſſe , quod praecedens character E in ΤΟΔΕ apoſtropho elidendus erat . Sed , ut ſcalptoris vitia , ac Poetarum licentias omittam , Grammaticorum filii norunt Jonica dialecto apoſtrophos illas omitti , ideoque Jonice ſcribi ἐπὶ ἑνί , ubi uſitato communique more ſcribendum eſſet ἐφ᾽ ἑνί ; ut proinde facile ſcalptor characterem illum expreſſerit , licet ex metri legibus elidendus eſſet . Ita quoque verſus peccaret , quod poſtrema ſyllaba in ΑΓΑΛΜΑ producatur ; at innumeris exemplis aliis apparet breves aliquando ſyllabas ectaſi , ut vocant , produci : quod hoc loci facilius fieri potuiſſe quiſpiam ſuſpicabitur , quod proxima diphthongus EY conſequatur , perinde quaſi praecedens vocalis veluti poſitionis lege produci poſſet . Siquidem character I , ſive lineola perperam inſerta prorſus expungi debet .

Perſpicuus autem Epigrammatis ſenſus omnino poſtulat , ut verbum aliquod habeatur , quo exprimatur monumentum illud Dianae *dicatum* , *oblatum* , vel *ſacratum* eſſe . Ejuſmodi autem verbo locus ullus eſſe non poterit , niſi in extrema primi verſus parte , ubi lacuna reperitur ; neque commodius , aut uſitatius , aut concinnius verbum aliud hic inſeri , vel admitti poterit , quam ΑΝΕΘΗΚΕ , ſive , ſi libeat , ΑΝΕΘΗΚΑ , quod hexametri verſus leges obſervat , optimeque vel ſtatuae , vel monumenti dedicationem exprimit . Itaque in primo verſu haec ſolum lacinia ΕΡΕΣΙΩ . . . ſupplenda , emendanda , vel refingenda ſupererit ,

 ut

ut cum finitimis vocibus apte conjungi, nativumque ſenſum efficere illa poſſit. Ac certe in ejuſmodi lacinia errorem aliquem irrepſiſſe conſpicimus; nam ſi ſecunda littera foret P, prima ſyllaba contra metri leges brevis eſſe deberet. Itaque ſuſpicor hic legi debere **ΕΥΕΣΙΩΣ**, cum praeſertim character Y tum in Sigeo [1], tum in Deliaco lapide hac facie ⋎ exprimatur, ideoque ad P, ſive ᑭ maxime accedat; ut proinde facile P pro Y uſurpari potuerit. Quamvis autem verbum iſtud ἐυεσίως nullibi, quod norim, apud Scriptores occurrat, habetur tamen ἕσις ἕσιος, quae vox *deſiderium*, *alacritatem*, *cupiditatem* ſignificat; ut facile proinde vel communi lingua, vel potius peculiari gentis alicujus dialecto & conſuetudine adverbium ἐυεσίως formari potuerit, ut exprimatur ſtatuam illam ſponte, alacri, cupido, libentique animo dicatam fuiſſe.

Sequi nunc neceſſario debet ejus nomen, quae ſtatuam ipſam dicavit, & aliud hoc eſſe non poterit, quam **ΦΕΡΣΙΣ**, quae *Aſphalii mater*, & ... *i filia* dicitur. Siquidem in lacinia (;... ΛΑΤΗ ▷ perſpicue certoque vox **ΘΥΓΑΤΗΡ** deliteſcit.

Vt ex poſtremo verſu commodus ſenſus aliquis exſculpi poſſit, initio obſervandum quod in ultima voce **ΕΥΓΩΝ** error admiſſus fuit, adeoque facili levique mutatione reſtitui debet **ΕΡΓΩΝ** pro **ΕΡΓΟΝ**. Quemadmodum enim in primo verſu ac voce **ΕΡΕΣΙΩΣ** character P pro Y poſitus fuit, ita viciſſim hic aut quadratarii, aut exſcriptoris vitio Y pro P irrepſit; atque hic etiam, ut in duabus vocibus aliis, **Ω** pro **Ο** exaratum fuit. Quandoquidem vero artificis patria vocibus **ΤΟΥ ΠΑΡΙΟΥ** indicatur, dubitari ſane vix poterit quin in lacuna, ac ſuperſtitibus litteris **ΙΑΕΟ** artificis nomen deliteſcat. Cumque nomen illud in gignendi caſu in **ΟΥ** exire deberet, metri cauſa diphthongus **ΟΥ** in **ΕΟ** ex notis Aeolicae dialecti legibus converſa fuerit; ſicuti viciſſim Jonice **ΕΟ** mutatur in **ΟΥ**. Hinc **ΔΙΑΕΟ**, vel ſimile nomen aliud admitti poterit. Denique, cum in uno, eodemque verſu habeatur **ΠΟΙΗΜΑ**, & **ΕΡΓΟΝ**, neceſſario vox alia interſeri debet, quae commodum

modum ſenſum efficiat. Itaque verſum integrum ita refingendum putaverim:

ΤΟΥ ΠΑΡΙΟΥ ΠΟΙΗΜΑ ΚΑΛΟΝ ΔΙΑΕΟ ΕΡΓΟΝ

perinde quaſi dicatur, ſtatuam illam eſſe *artefactum elegans*, *Diai Parii opus*. Fortaſſe tamen vox *Parii*, ſive **ΤΟΥ ΠΑΡΙΟΥ** cum ſuperiori verſu conjungi debet, ut exprimatur quod ſtatuam illam obtulit *Pherſis Aſphalii mater*, *ac Eri Parii filia*, ſtatuamque illam eſſe *artefactum elegans*, *Diai opus*. At in re ſubobſcura, praeſertim vitiatis, exeſiſque vocibus, quidpiam certi proponere, vel definire non licet.

Illud tamen in breviſſimo hoc Epigrammate obſervari merito poterit, quod ſinguli fere ritus, ac formulae in illo exprimuntur, quae in antiquiſſimis monumentis aliis occurrunt; ut nimirum Numinis nomen indicetur, cui donum oblatum ſit, ejus etiam nomen, genus, ac patria, qui monumentum obtulit, artifex etiam ipſe exprimatur, ejuſque operis elegantia commendetur, ut in exemplis iſtis apparet:

Πολλὰ μὲν ἄλλα σοφῦ ποιήματα, καὶ τόδ' Ὀνατᾶ
Ἔργον, ἐν Αἰγίνῃ τὸν τέκε παῖδα Μίκων

Multa quidem alia arte facta, & hoc etiam opus eſt praeſtantis Onatae, quem filium genuit Micon in Aegina [1].

Υἱὸς Δινύττα Δάμαρχος τήνδ' ἀνέθηκεν
Εἰκόν' ἀπ' Ἀρκαδίας Παῤῥάσιος γενεάν

Filius Dinyttae Damarchus hanc dicavit imaginem ab Arcadia Parrhaſius origine [2].

Illud

1 *Pauſ. Eliac.* I. 2 *Idem Eliac.* II.

Illud etiam indicaſſe nunc juverit, quod ſi poſtremae voces ΤΟΥ ΠΑΡΙΟΥ *Pherſidis* patriam ſignificant, tunc Pherſis ipſa, ac donarium ab ipſa dicatum non ad *Paron* inſulam, ſed ad Parium Propontidis urbem referri debebit, quae Pariorum inſulanorum, Strabone teſte [1], Colonia fuerat.

Siquidem Jonica, & Aeolica quoque dialectus, quae hic ſubinde occurrit, nunquam in Pario, vel marmoreo Chronico, aut in Pariis monumentis aliis obſervatur: viciſſim vero in pluribus marmoribus aliis, quae in regionibus Propontidi proximis inventa ſunt, ut facile ex Inſcriptionibus illis conſtabit, quas in ſecunda Chishuli parte a me propediem publicanda proferentur, quarum nonnullae cum Caeſarum aetate poſitae ſint, perſpicue oſtendunt veterem dialectum illam ſequioribus etiam temporibus conſervatam fuiſſe; licet Inſcriptiones ipſae novam, aut recentiorem ſane characterum Graecorum formam exibeant, ideoque huic noſtro Marmori antiquitate longe inferiores ſint. Duas hic obiter ſubjeciſſe nunc libet Mitylene in inſula Lesbo repertas, ut oſtendatur Aeolicam dialectum, quae Sapphus aetate ibi floruit, ſequioribus etiam temporibus uſurpatam fuiſſe:

ΑΓΑΘΑ ΤΥΧΑ
Α ΒΟΥΛΑ
ΚΑΙ Ο ΔΑΜΟΣ
Λ ΑΝΤΩΝΙΟΝ Λ ΑΝ
ΤΩΝΙΩ ΣΕΡΒΙΛΙΩ Υ
ΟΝ ΣΕΡΒΙΛΙΟΝ ΤΟΝ
ΕΙΡΑ ΚΑΙ ΑΡΧΕΙΡΕ
Α ΚΑΙ ΑΓΩΝΟΘΕΤΑΝ
ΚΑΙ ΠΑΝΗΓΥΡΙΑΡΧΑΝ
ΤΑΣ ΘΕΡΜΙΑ [2] ΚΑΙ
ΝΑΓΥΡΙΟ

Quod

1 *Geogr. lib.* x.
2 Legendum ΤΑΣ ΘΕΡΙΝΑΣ ΠΑΝΑΓΥΡΙΟΣ.

Quod fauſtum ſit

Senatus, & Populus Lucium Antonium, Lucii Antonii Servilii filium, Servilium Sacerdotem, & Pontificem Maximum, & Agonothetam, & Panegyriarcham aeſtivae Panegyris honorat.

ΑΓΑΘΑ ΤΥΧΑ
ΑΒΟΛΛΑ ΚΑΙ Ο
ΔΑΜΟΣ ΚΥΣΕ
ΝΟΝ ΤΟΝ ΑΓΩΝΟ
ΘΕΤΑΝ ΚΑΙ ΠΑΝΑ
ΓΥΡΙΑΡΧΑΝ ΠΑΙΝ
ΕΥΞΕΝΩ ΤΩ ΑΡ
ΧΕΙΡΕΟΣ ΑΠΥ
ΓΟΝΟΝ ΕΥΞΕ
ΝΩ Β ΤΩ ΓΥΜΝΑ
ΣΙΑΡΧΩ ΚΑΙ ΠΡ
ΩΤΩ ΣΤΡΟΤΑΓΩ

Quod fauſtum ſit

Senatus, & Populus Cyſenum Agonothetam, & Panegyriarcham filium Euxeni Pontificis Maximi, nepotem Euxeni iterum Gymnaſiarchae, & primi Praetoris honorat.

Ceterum, quod ad Marmoris hujuſce noſtri antiquitatem attinet, hoc ante Olympiadem C. exaratum eſſe tum ex characterum forma, tum ex indiciis aliis apparet; ideoque Nanio Marmore, quod tribus ab hinc annis legendum, explicandum, ac illuſtrandum ſuſcepi, recentius eſſe debet, quamvis maxima inter utrumque affinitas obſervetur; praeſertim quod utrobique verſus inter columnae ſtrias ita exarati, inſculptique fuerint, ut voces perpendiculariter a ſummo ad imum deſcendere videantur, quod ſcribendi genus nonniſi in duabus hiſce Columnis hactenus obſervatur. Illud etiam in hac Inſcriptione noſtra novum, ac inuſitatum conſpicitur, quod illa duobus hexametris, ac unico ſolum pentametro componatur, cum plerumque ceterae vel diſtichis, vel ſolis hexametris conſtare ſoleant; quod hic etiam facile fieri potuiſſet, novuſque pentameter verſus in pro-

proxima columnae faſcia exarari. Nihil eſt tamen cur novam hanc, inſuetamque ſcribendi formam miremur, cum in vetuſtiſſimis ejuſmodi monimentis major aliquando varietas, Poetarumque licentia obſervetur. Sic, ut exemplum aliquod afferatur, Pauſanias [1] Olympiae monumenta deſcribens ait in Phormidis donario primam inſcriptionis partem metro haud adſtrictam eſſe: **Φόρμις ἀνέθηκεν Ἀρκὰς Μαινάλιος, νῦν δὲ Συρακόσιος**. Sic Pauſanias ipſe memorat [2] quod in Cypſelidarum Arca **Ἐπίγραμμα ἐπ' αὐτοῖς ἔπος τὸ ἑξάμετρον καὶ ὀνόματός ἐστι ἑνὸς ἐπὶ τῷ ἑξαμέτρῳ προσθήκη**

> **Τυνδαρίδα Ἑλέναν φέρετον, Αἴθραν δ' Ἀθέναθεν**
> **Ἕλκεθον.**
>
> *Appoſita eſt Inſcriptio verſu heroico una voce longiore:*
> *Tyndaridae fratres Helenam, atque Aethram Athenis*
> *Aſportant.*

Itaque, ſi licenter adeo hae, aliaeque id genus Inſcriptiones a veteribus uſurpatae ſunt, quid mirum ſi in noſtro Epigrammate pentameter alius, qui adjungi facile poterat, omittatur? Ita propemodum, ut exemplis aliis abſtineam, in alio Epigrammate, quod a Cl. Maffeio [3] exhibetur, duo hexametri verſus, ac pentameter unicus obſervatur, qui non medium, ut in noſtro Marmore, ſed tertium, poſtremumque locum occupat.

> **Τύμβον μὴ ποεἰδῃς, παροδεῖτα, τῆς Ἀφροδίτης.**
> **Τοῦτον ἐμοὶ, Αἰνείᾳ τε τέκνῳ ἐποίησεν ὁ χρηστός**
> **Σύμβιος Ἑρμαγόρας μνημοσύνης ἕνεκεν.**
> *Tumbam ne deſpicias, viator, Aphrodites.*
> *Hanc mihi, & Aeneae filio fecit bonus*
> *Conjux Hermagoras memoriae cauſſa.*

Quod ſi veteribus his exemplis recentius aliud addidiſſe liceat, hoc facile ex eo Marmore deſumi poterit, quod in Tuſculano Cardinalis Passionei Muſeo reperitur. Siquidem primum in illo poſtremae ſolum trium hexametrorum partes occur-

1 *Eliac.* I. *pag.* 34. 2 *Ib. pag.* 323. 3 *Muſ. Veron. pag.* 57.

occurrunt; deinde vero quatuor hexametri conſequuntur, in quibus voces aliquot redundant: ut in iis non inelegans quidem, ſed indiligens tamen Poetae ingenium appareat.

Μ. CΕΜΠΡΩΝΙΟC . ΝΕΙΚΟΚΡΑΤΗC
ΗΜΗΝ ΠΟΤΕ . ΜΟΥCΙΚΟC . ΑΝΗΡ
ΠΟΙΗΤΗC . ΚΑΙ ΚΙΘΑΡΙCΤΗC .
ΜΑΛΙCΤΑ ΔΕ ΚΑΙ CΥΝΟΔΕΙΤΗC·
ΠΟΛΛΑ ΒΥΘΟΙCΙ . ΚΑΜΩΝ·
ΟΔΗΠΟΡΙΕC . ΔΑΤΟΝΗCΑC·
ΕΝΠΟΡΟC · ΕΥΜΟΡΦΩΝ ΓΕΝΟΜΗΝ
ΦΙΛΟΙ ΜΕΤΕΠΕΙΤΑ . ΓΥΝΑΙΚΩΝ .
ΠΝΕΥΜΑ ΛΑΒΩΝ ΔΑΝΟC ΟΥΡΑΝΟΘΕΝ
ΤΕΛΕCΑC ΧΡΟΝΟΝ ΑΥΤΑΠΕΔΩΚΑ
ΚΑΙ ΜΕΤΑ ΤΟΝ ΘΑΝΑΤΟΝ
ΜΟΥCΑΙ ΜΟΥ ΤΟ CΩΜΑ ΚΡΑΤΟΥCΙΝ

Μ. Σεμπρώνιος Νεικοκράτης

Ἡμὴν ποτὲ μουσικὸς ἀνὴρ
Ποιητὴς καὶ κιθαριςὴς
Μάλιςα δὲ καὶ συνοδείτης
Πολλὰ βυθοῖσι καμὼν ὁδοιποριάις δ᾽ ἀτονήσας
Ἔμπορος εὐμόρφων γενόμην, φίλοι, μετέπειτα γυναικῶν
Πνεῦμα λαβὼν δανος οὐρανόθεν τελέσας χρόνον αὐτ᾽ ἀπέδωκα
Καὶ μετὰ τὸν θάνατον Μοῦσαί μου τὸ σῶμα κρατοῦσιν.

Marcus Sempronius Nicocrates

Eram olim muſicus vir,
Poeta, & citharoedus,
Maxime vero etiam ſynodorum particeps,
Multum in maris profundis defatigatus, atq; itineribus fractus,
Deinde mercator fui, amici, pulcrarum mulierum.
Spiritum ſumens veluti foenus e caelo, cum vitæ *tempus abſolviſſem, ipſum reddidi,*
Et poſt mortem corpus meum Muſae poſſident.

Eximiam Inſcriptionem hanc, quae a Fabretto [1] jam edita fuerat, Montfauconius [2] accuratius exhibuit, ac illuſtravit;

P I. M prae-

1 *Cap. x. num. 248. pag. 704.* 2 *Palaeogr. Grae. lib. II. c. 7. pag. 170.*

praeſertim vero plura de characterum forma, de voce συνοδείτης, & obſcurioribus locis aliis obſervavit.

Haec ſunt, Oliveri doctiſſime, quae de eximio tuo monumento, ſive *Oliveriana* Columna proferre nunc libuit, ut imperanti, ſive, quae tua humanitas eſt, petenti Tibi morem gererem. Quod ſi rem acu minime tetigerim, aut etiam liberiori conjecturae, vel divinationis genere aliquando aberraverim, veniam roganti dabis, ac errores ipſos diligentia, miraque perſpicacia, & eruditione tua emendare poteris. Illud autem ſemper mihi & honori, & voluptati eſt futurum, quod quandiu pretioſum hoc eruditae antiquitatis cimelium in ornatiſſimis aedibus tuis extabit, tandiu tenuiſſimum quoque obſervantiae in Te meae, gratique animi mei pignus extare debeat.

§. V.



ſ. V.

Υ . . ΟΔΙΑΚΟΝΟΥΝΕϹ ΕΠΗΕΡΕΙΑϹ ΚΛΑΥΔΙΑϹ ϹΩΙ . . ΟϹ

Ὑποδιακονούσης ἐπὶ Ἱερείας Κλαυδίας Σώγιος.

NVllvs in univerſo marmore locus exſiſtit, qui me diutius ancipitem fecerit; etenim qua temporis voracitate oblitteratus, qua lapicidae ignorantia mire depravatus tanta involvitur obſcuritate, ut niſi totus propemodum refingatur, commodum integrumque explicatum habere nequeat. Quid monſtri eſt ea vox Υ .. ΟΔΙΑΚΟΝΟΥΝΕΣ, aut quae umquam illi notio poteſt ineſſe? Mihi vero facili, nativoque ſenſu reſcribendum videtur, Ὑποδιακονούσης. Luſcitioſus quiſque ſimiliter perſpicit, vocem ΕΠΗΕΡΙΑΣ, eſſe biſecandam, expungendamque a littera Η lineolam tranſverſam, ut geminum *Iota* habeatur; quo facto, planiſſima erit ſententia, ἐπὶ Ἱερείας. Tandem Graecae orationis textura flagitat, ut vox, quae nomen Κλαυδίας excipit, gignendi caſu afficiatur; quare non dubitaverim ineptum illud ΣΩΙ..ΩΣ ex marmore extrudere, & ΣΩΤΙΟΣ, aut etiam rectius ΣΩΓΙΟΣ reſtituere; Σῶτις quippe, & Σώγις uſitata feminarum nomina ſunt, quae vetera monumenta legenti non ſemel occurrunt. His ita emendatis, duo ab inſcriptione proponuntur expendenda officia, pro ſacris Dianae rite, accurateque faciundis in Peloponneſo inſtituta, quorum alterum obtinebat *Claudia Sacerdos*, altero fungebatur *Sogis Subminiſtra*.

Dearum ſacerdotium olim feminis fuiſſe tributum exemplis ab ultima uſque antiquitate repetitis facile evinci, oſtendique poteſt. Apud Argivos mos primum invaluit, ubi, ſi Euſebio fides, annis ante Trojam captam CCCCLIX. Junonis ſacerdotio decorata fuit Καλλιθύα *pulchra Sacrificula*

 co-

cognominata [1]. Tanta exinde fuit harum ſacerdotum in Argeis dignitas, ut ea natio illarum nominibus annos civiles, tamquam certis, receptiſque temporum notis ſignare, ac diſtinguere conſueverit [2]. Memorat autem THVCYDIDES integram hiſtoriam περὶ ἱερειῶν Ἥρας τῶν ἐν Ἄργει, *de ſacerdotibus Junonis Argivae*, ab HELLANICO deſcriptam [3], ex qua, niſi tota intercidiſſet, multa in hanc rem depromere liceret. Verum ejuſmodi ſanctos thuris honores, quos primum Junoni a feminis exhiberi effuſa in ſuperos voluntas, vel potius ſuperſtitio indulſerat, caeteris deinde DEABVS affatim tributos legimus. Suas habuere antiſtitas, flaminicas, ſacrificulas, ſacerdotes Venus [4], Minerva [5], Magna Deum Mater [6], Ceres [7], Proſerpina [8]. Poſtquam vero eo proceſſit Senatus, populique ſive impia credulitas, ſive caeca aſſentatio, ut Imperatorum uxores, etſi nonnunquam flagitiorum, vitiorumque omnium participes, fato functas in ſydereas, beataſque coeli ſedes receptas crederet,

---

1 *In Chronico lib. poſter.* Vide SCALIGERVM *Animadverſ. ad Chron. ad an.* CCCLXXVII. Callithoen vocat HYGINVS *Fab.* CXLV. Hoc ſacerdotio fungebatur, teſte APOLLODORO, quum a Jove fuit vitiata. *Bibliothec. ſive de origine Deorum lib.* II.

2 DODWELLVS *Annales Thucydidei. In apparat.* FRERETTVS *Novelles Obſervations ſur la Chronologie de Newton, Part.* I. Celebris inter Junonis Argivae ſacerdotes Admeta Euryſthei filia. Illam porro Herculis expiationi vacantem refert marmor Farneſianum ab incomparabili CORSINO explicatum. *Herculis Quies, & expiatio &c.*

3 *De Bello Peloponnes. lib.* I.

4 Praeclarum imprimis eſt monumentum Smyrna Venetias advectum, poſitumque in memoriam ΟΥΛΠΙΑΣ ΜΑΡΚΕΛΛΕΙΝΑΣ ΑΡΧΙΕΡΕΙΑΣ ΤΗΣ ΑΦΡΟΔΙΤΗΣ, quod peculiari libello explicavit CAROLVS PATINVS a. 1688. In numero Sacerdotum Veneris fuit MINYRA ARTEMORIS F. (MVRATORIVS *Nov. Theſaur.* CLXIV.) Vide praeterea REINESIVM *claſs.* V. 12. DONIVM *claſs.* IV. 8.

5 MVRAT. N. T. CLXIV. 5. CLXV. 1.

6 MAFFEJVS Muſ. Veronen. LXXXIII. 1. CCLXXI. 14.

7 GVALTHERIVS *Antiqu. Siciliae Tabul.* 445. REINES. V. 9. *Nov. Theſaur.* CLXIV. 1.

8 REINES. CCXXXIV. 1.

deret, eum ipſum cultum, qui Diis debitus cenſebatur, publice illis decrevit, ac ſacrificulas deputavit, quae Divis populi ſuffragio conſecratis ſtato tempore litarent [1]. Cujus novi ſacerdotii teſtificatio alte deſcripta manet his marmoribus, quibus nomina conſignata ſunt mulierum, quae vel generatim DIVAE AVGVSTAE, [2] vel ſpeciatim *Divae Plotinae* [3], *Divae Marcianae*, [4] *Divae Matidiae* [5], *Divae Fauſtinae* [6] ſacerdotio functae fuerant.

Dum in haec incumberem, NOBILISSIMVS NANIVS, cujus amore, munificentia, petituque excitatus hoc qualecumque opus conſcribendum ſuſcepi, exemplar ad me miſit baſis marmoreae, qua pridem familiare ipſius muſeum auctum eſt. Nihil revera poterat incidere commodius, quandoquidem nova haec inſcriptio cum ipſo, in quo verſamur, argumento mire cohaeret. Aeri inſculptam, qualis in cippo obſervatur, praeponere juverit, ut ea inſpecta, facile quiſque poſſit aeſtimare, num ego αἰσίοις οἰωνοῖς loca marmoris lacera, aut perplexa refinxerim; melioremque, ſi libeat, interpretationem quaerere poſſit, atque conari.

Adeo

1 Hujuſmodi conſecrationis ritus nemini ſunt obſcuri, atque incomperti, poſtquam hoc obtritiſſimum argumentum plerique ſcriptores diligentiſſime verſarunt, ut BVSSEVS *de Apotheoſi Imperatorum Roman.* VANDALEVS *de Conſecrationibus Ethnicis*, MENKENIVS *de Auguſtorum, Auguſtarumque conſecrationibus*, SCHOEPFLINVS *de Apotheoſi, ſeu conſecrat. Imperator.* HAVSOTER *de conſecrationis origine, cauſis, & ritu*, MVLLERVS *de Apotheoſ. veter. Gentilium*, LICHTNERVS *hiſtoria Apotheoſeos &c.* CNORRIVS *de Numiſmatibus conſecrationem illuſtrantibus &c.*


2 GRVTERVS CCCXX. CCCXX. FABRETTVS *Inſcript. Domeſt. c.* V. 307.

3 GRVT. GCCXXII. I. 2.

4 Ibidem *num.* 3.

5 GRVT. MLXXXVIII.

6 Idem CCCXXII. 3. De harum Auguſtarum conſecratione plura SCHOEPFLINVS *cap.* II.



e Cephalenia Ins. 1758 alt Palm R 5

Adeo vero edacitate temporis vitiata eſt epigraphe, ut ex his, qui in duobus prioribus verſibus ſuperſunt, characteribus nullus omnino ſenſus exculpi queat. Vereor etiam, ne alicubi evanidi literarum ductus exſcriptori fucum fecerint, ut alias ſufficere neceſſe ſit. Ac nemini dubium poteſt eſſe, in reſtituenda inſcriptione *Honoraria* exemplis caeterarum ejus generis inſiſtere oportere. Eſt autem conſtans horum lapidum diſpoſitio, atque ordo, ut primum perſonae, quam Senatus, populuſque cenſuit honorandam, tum illius patris, deinde ſi matrimonio juncta fuerit, conjugis nomen deſcribatur; poſtea vero, officia, dignitateſ-

cateſque, quas *πρωτόγονος* obtinuit, poſtremo loco cauſſae enuncientur, ob quas honor illi decretus fuit. Tria poſteriora partim in marmore adhuc perſpicue expreſſa conſpiciuntur, partim aliquot tantum litterarum additione conjici poſſunt. Reſtat ergo, ut duo priora ominando redintegremus. In quo illud prae oculis potiſſimum habendum, ne litterarum, quae inſeruntur, numerus deletarum ſpatium excedat, ſed his adamuſſim reſpondeat; novaque inducta nomina in aliis deprehendantur marmoribus, ſuperſtites characteres apte concludant, ejuſdemque pene ſint inflexionis, ingenii, aetatis, quam adhuc reliqua praeſeferunt. Hoc itaque modo fortaſſe concipienda, ut reſarciatur.

*φλαβί*ΑΝΑ*ν*. *ἐυτύχην*
πιθοδΏρου. *γλαύκ*-
ΟΥ. ΓΥΝΑΙΚΑ. ΒΙ*ωνος*
ΑΡΙCΤΟΜΑΝΤΙΔΟC
Α*ρχ*ΙΕΡΑCΑΜΕΝΗΝ. ΤΗC. CΕ*βαστῆς*
Η. ΒΟΥΛΗ. ΚΑΙ. Ο. ΔΗΜΟC. ΠΑΛΕΙ-
ΩΝ (*τιμᾷ*) ΕΥΓΕΝΕΙΑC. ΕΙΝΕΚΕΝ
ΚΑΙ. ΤΗC. ΠΕΡΙ. ΤΟΝ. ΒΙΟΝ
CΩΦΡΟCΥΝΗC. *Ψηφίσματι Βουλῆς*.

Flavianam. Eutychen
Pithodori. Glau-
ci. (Filiam) *Vxorem. Bionis*
Ariſtomantidis
Summo. Sacerdotio. functam. Auguſtae
Senatus. & . populus. Palenſi-
um (ſtatua honorat) *ob. nobilitatem*
Vitamque. pudicam. Decreto Senatus.

Primo ad orthographiam quod attinet, etſi maxima pars vocum continuata ſcriptura, atque etiam vario litterarum nexu exarata ſit; attamen videas in voce ΑΡΙCΤΟΜΑΝΤΙΑ ΟC, rurſum in CΩ ΦΡΟCΥΝΗC, itemque in

ΔΗΜΟ

ΔΗΜΟ C nonnullos characteres, ex quibus vox ipſa coaleſcit, perperam injecto ſpatio disjungi. Quare uſitatam hic ſcribendi rationem ſequutus, nihil dubitavi in voce γλαύκΟΥ duo ultima elementa poſſe ad caetera in ſuperiori linea deſcripta pertinere; eo vel maxime, quod ante ΟΥ ne veſtigium unum exeſi characteris compareat, ſed terſum, levigatumque ſe prodat marmor. Illud potius moleſtiam ingerit, quod Flaviana *Eutyche* (quam ſi aptiore nomine nuncupandam compereris, non adverſabor) princeps Auguſtae antiſtita Bioni Ariſtomantidi nupta, ſacerdotii aucta eſſet honore. An non veteri Athenienſium lege cautum, τὴν ἱέρειαν παρθένον εἶναι, *ſacerdotem* (feminam) *virginem eſſe* [1] debere? Re quidem vera nonniſi virgines ad ſacra Dearum peragenda a Patrenſibus, ab Aegiraeis, a Mantinenſibus [2], a Tegeatis [3] admiſſae. Quod ita ſanctum, receptumque putabat TERTVLLIANVS, ut in exhortatione caſtitatis dixerit: *novimus VIRGINES Veſtae, Junonis, Apollinis, & Minervae* [4], & rurſus de monogamia: *de continentia judicent nos virgines Veſtae, Junonis, Dianae &c.* [5] Atque haec una procul dubio cauſſa fecit, ut doctiſſimus interpres Graecorum marmorum Regiae Pariſienſis Bibliothecae vocem ΤΑΣ ΣΥΝΤΕΛΟΥΣΑΣ Matris Placianae, & Dianae Munychiae, *virgines* vertere minime dubitaverit [6]. Verum de hac lege non ſemel relaxatum eſt. Nam primo de pulcherrima Antenoris uxore Theano cecinit HOMERVS *Iliad* ζ. v.300.

Τὴν γὰρ Τρῶες ἔθηκαν Ἀθηναίης ἱέρειαν.

Illam quippe Trojani fecerant Minervae Sacerdotem.

Athe-

1 MARCELLINVS *in Hermogen.* 65.
2 PAVSANIAS *Achaic. ſive lib.* VII. *cap.* XIX.
3 Idem *Arcad. lib.* VIII. *cap.* XLVII.
4 *Cap.* XI.
5 *Cap.* XVII.
6 Conſuleſis perilluſtrem, & eruditiſſimum COMITEM DE CAYLVS *Recueil d'antiquites volum.* II. *Marbres de la Bibliotheque du Roy. Planche* LIX.

Athenis inſuper, & Delphis igni ſacro cuſtodiendo, referente PLVTARCHO, οὐ παρθένοι ἀλλὰ γυναῖκες deputabantur [1]. Proditum etiam a PAVSANIA quando Arcades Dianae Hymniae Sacerdotium, quod Virgini attribui conſueverat, ad nuptam mulierem tranſtulerint [2]. Quia tamen nihil adeo ſuperis placet, quam animus pudore integer, omniſque expers libidinis, optimo conſilio ſancitum fuerat, ut feminae, quae ſacris peragendis admoverentur, *Vnivirae* eſſent, & poſt adeptum Sacerdotium, reliquum aetatis tempus coelibes tranſigerent; aut quemadmodum de Cereris ſacerdotibus ſcriptum reliquit TERTVLLIANVS: *viventibus etiam viris, & conſentientibus amica ſeparatione viduarentur* [3]. Non ergo ab antiquorum moribus, inſtitutiſque diſſidet, Fl. Eutychen licet a Pithodoro patre nuptui datam, ſacerdotio functam fuiſſe. Huic propterea a ſuis Palenſibus decreta ſtatua fuit non tam εὐγενείας ἕνεκεν, quam περὶ τὸν βίον σωφροσύνης, videlicet, ut interpretor, quod praeſcriptum ſacerdotibus pudorem ſervaverit, nullaque ſe pellici voluptate paſſa ſit. Quare σωφροσύνην, malui reddere *pudicitiam*, quam *moderationem*; ſiquidem moderate vivere communis quaedam laus eſſe poterat; ſed caſtimoniae ſtudere, proprium ſacerdotis encomium.

Initio quinti verſus poſt evanidum elementum A, aliis duobus percommodus eſt locus: quibus vero lacuna oppleri debeat, litterae ſuperſtites indicant, ut ſolita, conſtantique phraſi legatur, ΑΡΧΙΕΡΑΣΑΜΕΝΗΝ. At cujus nam ΤΗΣ ΣΕΒΑΣΤΗΣ ſummo Sacerdotio Fl. Eutychen functam fuiſſe dicemus? Non aliunde profecto, niſi ex loco, ubi lapis repertus fuit, conjecturam capere praeſtat. Cephallenia (unde marmor advectum) in Populi Romani poteſtatem venerat an. V. C. DLXV. & primum metu proſtrata Conſuli Marco Fulvio, qui *Samen* urbem principem circumſederat, ſeſe dedit.

1 *In Numma*.
2 *Lib.* VIII. *cap.* V.
3 *De Monogam. loc. cit.*

dit. At quum paullo poſt a pactionibus deſciviſſet, a Romanis, muro ſtrenue ſuperato, capta fuit [1]. Ex quatuor, quibus Inſula conſtabat oppidis, populiſque, primores fuerant Samaei; ſed Same ab hoſtibus diruta, tres ſuperfuere urbes, quae THVCYDIDI dicuntur **Παλλεῖς, Κράνιοι, Πρόναιοι** [2]. Pallenſes, vel Palenſes, totius Inſulae *πρῶτοι* tunc evaſerunt; idcirco penes ipſos quemadmodum Senatum, & Auguſtae ſacerdotes, ita monumentum, de quo ſcribimus, exſtitiſſe, non eſt, cur dubitetur. Diu quidem ſub triſti devictorum conditione manere coacti, vix ullum P. R. beneficium experti ſunt. Sed tandem fauſtiſſimus Pallenſibus affulſit dies, quo Imperator Hadrianus in Graeciam contendens, atque Jonii, Aegeique maris inſulas inviſens [3], Cephalleniam aut inobſervatam nequaquam dimiſit, aut quanti eſſet illa facienda, propius agnovit. Nam, teſtante DIONE, Athenienſibus, quos Imperator omni officiorum genere afficere, atque ornare ſtudebat, Cephalleniam dedit [4]. Atqui haec *donatio*, ea fuit, ut apud Pallenſes non vulgaris gratiae locum obtineret. Monumentum illi ſiquidem Athenis Hadriano poſuere, in quo integra libertate, & privilegio ſuis legibus vivendi ſe adhuc frui profitentur.

ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΑ . ΚΑΙΣΑΡΑ . ΤΡΑΙΑΝΟΝ . ΑΔΡΙΑΝΟΝ
ΣΕΒΑΣΤΟΝ . ΟΛΥΜΠΙΟΝ . Η . ΠΟΛΙΣ . ΠΑΛΕΩΝ . ΤΗΣ
ΚΕΦΑΛΗΝΙΑΣ · ΕΛΕΥΘΕΡΑ · ΚΑΙ . ΑΥΤΟΝΟΜΟΣ
ΔΙΑ . ΕΠΙΜΕΛΗΤΟΥ . ΦΙΛΟΥ . ΑΥΙΟΥ . [5]

Ergo,

---

1 LIVIVS H. R. *lib.* XXXVIII. *cap.* XXVII. & XXVIII.

2 *Lib.* II. POLYBIVS *lib.* V. *cap.* III. τὴν πόλιν τῶν Παλαιέων nominat. Praehabenda videtur THVCYDIHIS lectio Παλλεῖς, quae cum noſtro marmore conſentit.

3 V. TILLEMONTIVM *Hiſtoire des Empereurs Romains tom.* II. *Vie de l' Empereur Adrien Article* IX.

4 *Hiſtor. Rom. lib.* LXIX.

5 CYRIACI ANCONITANI *Inſcript. pag.* XII. Duo hic obſervat digna; ΟΛΥΜΠΙΟΥ agnomen, quod Hadriano ab Athenienſibus tributum fuit, poſtquam Jovis Olympii templum aedificaverat, omnibuſque donis perma-

Ergo, quod Caſſivs δόσιν appellat, honoraria potius fuiſſe adſcriptio, & συμπολιτεία cum Athenienſibus ab Imp. Cephalenis conceſſa videtur dicenda; ſecus enim Pallenſium urbs, inſulae caput, neque ἐλευθέρα, neque αὐτονόμος hic diceretur. Hoc itaque, aliiſque beneficiis quoniam Pallenſes ſe obligatos ſenſerant, gratumque animum Hadriano probare volebant, credibile omnino eſt uxori illius Sabinae coeleſtis religionis honores decreviſſe, quandoquidem Imperatoribus id pergratum eſſe, aliarum Civitatum exemplo edocebantur. Sabinam autem in Dearum numerum ſollemni ἀποθεώσει fuiſſe collocatam, aperte indicat nummus S. C. percuſſus, in quo velatum Auguſtae caput ambit inſcriptio: Diva Sabina Avgvsta; vorſum aquila viſitur animam Auguſtae in caelum vehens, cum epigraphe Consecratio [1]. Sed quia Auguſtis juſſu Senatus conſecratis, templa, arae, ſacrificia, ſacerdotum collegia decernebantur; facile adducor, ut exiſtimem Pallenſes, qui Hadrianum publico monumento Athenis honorarant, Sabinam conjugem in urbe patria ſacerdotibus, & ΑΡΧΙΕΡΕΙΑΙ [2] decoraſſe. Quae ſi ego non prorſus inepte conjeci, jam cui referendum ſit illud τῆς Σεβαστῆς, intelligitur, ipſaque pſephiſmatis aetas veroſimiliter explorata dici poterit.


magnifice ornaverat. (v. Dionem *loco mox adducto.*) De Pallenſium vero ἐλευθερίας & αὐτονομίας, quod eſt alterum, nihil ex antiquis Scriptoribus huc conferre poſſem, quod non ſit a conterraneo meo Octaviano Gvasco praeoccupatum, qui iſthaec Graecarum urbium jura, ac privilegia ita docte, copioſeque explicavit, ut vix quidpiam caeteris dicendum reliquerit. *Diſſertation ſur l'Autonomie des villes, & des peuples ſoumis a une puiſſance ètrangère. Oeuvres tom.* II.

1 Vaillant *Numiſmat. Imperator. tom.* I. *edit. Rom.*

2 Ex hac maxime praerogativa Pallenſium emicat dignitas, ac ſplendor. Nam, ut animadvertit Vandalevs *de Pontificatu Maximo Graecorum* ἀρχιερεῖαι erant in praeclaris civitatibus, in parvis vero ἱερεῖαι. Ergo Palle vel urbs fuerat populi frequentia, opibuſque valde florens, vel ab Hadriano hoc privilegium acceperat, quo cum ſummis urbibus aequipararetur.

Vt autem de Sabina potius, quam de alia quavis Auguſta hic cogitarem, illa etiam effecit ratio, quod non a Pallenſibus modo, ſed ab aliis Graecis Civitatibus huic imprimis Imperatrici publicas id genus obſequii, cultuſque ſignificationes fuiſſe contributas, animadverterem. Et vero, inter diverſa, eaque praeſtantiſſima monumenta vetuſtatis, quae jamdudum ſuis aedibus, more ſapientum perornandis, Antonivs, & Pavlvs Nanivs, alter ampliſſimi Bernardi Pater, Patruus alter, ex Peloponneſo miſerunt, quum in eo regno ſuprema cum poteſtate publicam rem adminiſtrarent, eſt inſignis lapis ab Hermionenſibus Sabinae dedicatus, quem hic ex archetypo accuratiſſime expreſſum edendum ſuſcepi, ut qui illum conſpexerit, certior fiat, vel ipſos Peloponnenſes, quorum potiſſimum conſectamur antiquitates, univerſae Hadriani familiae devotiſſimos exſtitiſſe, in Nania autem gente cum ſummas omnes Reip. dignitates, tum litterarum ſtudium, & tutelam eſſe plane domeſticam, atque hereditariam.

Ex



Ex Peloponneso 1537. Alt. pal. R. 3.8.

Ex tribus huic cippo inſculptis epigrammatis , non eſt ambigendum , illud principem marmoris faciem occupare , ideoque tempore , & auctoritate praeſtantius cenſeri debere, quod publico Civitatis nomine , non privato conſilio deſcriptum fuit , quandoque ſic habet :

Σαβεῖναν Σεβαστὴν	*Sabinam . Auguſtam*
Αὐτοκράτορος Τραϊανοῦ	*Imperatoris . Trajani*
Ἀδριανοῦ Καίσαρος Σεβα-	*Hadriani . Caeſaris . Augu-*
στοῦ ἡ Πόλις ἡ τῶν	*ſti* (uxorem) *Civitas*
Ἑρμιονέων (τιμᾷ)	*Hermionenſium* . (honorat)

Nullam autem huic cippo Sabinae ſtatuam impoſitam fuiſſe, ex eo fortaſſe licet conjicere , quod nullum in ſuperficie foranem ad eam innectendam , nullaque fiſſura ad retinacula ferruminanda appareat . Certum aliunde , exploratumque eſt, quadratas haſce ſaxeas moles zophoro , & coronide ornatas non ſemper ad ſigna ſuſtentanda , verum ſaepenumero ad elogia tantummodo illic inſcribenda fuiſſe poſitas . Quod ſi ab hoc marmore abeſt nota divinitatis , & Auguſta illa nequaquam ΘΕΑ nuncupatur , fortaſſe colligere exinde fas erit , Hermionenſes hoc epigrammate Sabinam honoraſſe , antequam in Divorum cenſum adgregaretur . Quod tamen obſervatione paullo ſcrupuloſiore illos feciſſe dicendum eſt , quandoquidem a Graecis hic titulus , honoris gratia , vel potius aſſentatorie , cuivis ſuorum Regum , abſque ulla ἀποθεώσει largiſſime tribuebatur .

Huic eidem cippo Ariſtaeni duo , & Timarchus Hermonienſes optimi , fortiſque alicujus viri , qui egregiis factis, laudeque virtutis claruerat , nomen ſiniſtrorſum inſculpſerunt , quod temporis longinquitas , aut hominum invidia omnino detrivit , atque oblitteravit . Fruſtra hic omnis a me ſuſcipiatur labor , ſi ex paucis admodum , quae ſuperſunt , vocum laciniis duos priores inſcriptionis verſus coner redintegrare . Quis enim hominum nomina in marmoribus prorſus exeſa valeat tuto refingere , atque ſupplere ? Si quid tamen

tamen in tanta obſcuritate , perplexitateque audere , aut potius divinare liceat , dubitari poterit , tres illos Hermionenſes concives aliquam Hadriani gratiam privatim captare voluiſſe , quam certe ab eodem Imperatore iniverat Vrbs tota prioris epigrammatis dedicatione . Quoniamque videbant Arcades , Smyrnenſes , Bithynios , Corinthios, Mantinenſes omni ſtudio contendere , ut Antinoo qua ſacrificiis , qua templis , qua publicis ludis divinos tribuerent honores , illumque in numinis ſub Apollinis , Bacchi , Mercurii ſpecie repraeſentarent [1] , facile his tribus Hermionenſibns ea potuit menti injici cogitatio , ut reliquos Graecos aemulari , & Caeſari gratificari ſtuderent ; adeoque ubi Vrbs Sabinae nomen inſculpſerat , ibi ſuam erga Antinoum, multo cariſſimum Hadriano caput , obſervantiam teſtarentur . Quod ſi mihi concedatur , tum commodiſſimus ſenſus exſculpi poterit , qui non modo cum aliis inſcriptionibus , veterumque ſcriptorum ſententiis mirifice conſentiat [2] , ſed qui lacunam totidem ferme litteris , quot antea fuerant , aptiſſime expleat . Sic ergo reſtitui , exprimique poterit .

ἀντινόῳ . ἥρωϊ . νέῳ . ἀπόλλωΝι
συνέδρῳ . τῶν . ἐν . ἑλλάδι . θεῶν
*μνημεῖ*ΟΝ . ΑΡΙΣΤΑΙΝΟΣ
ΚΑΙ . ΤΕΙΜΑΡΧΟΣ . ΟΙ . ΤΕΙΜΑΡΧΟ
Υ . ΚΑΙ . ΑΡΙΣΤΑΙΝΟΣ . ΑΡΙΣΤΑΙΝΟΥ
ΕΡΜΙΟΝΕΙΣ . ΕΚ . ΤΩΝ . ΙΔΟΝ *. ΑΝΕ ** ἰδίων*
ΘΕΚΑΝ

Antinoo . Semideo . Novo . Appollini :
Contubernali . in . Graecia . Deorum ,
Monumentum . Ariſtaenus .

Et.

1 SPARTIANVS *in Hadr.* AVREL. VICTOR. *in Hiſtor. Compend.* c. XIV. XIPHILINVS *Hiſtor. excerpt.*

2 CASAVBONVS *ad Script. Hiſtor. Auguſt.* NICASIVS *de Num. Panth. cap.* V.

Et . Timarchus . Timarchi (Filii)
Et . Ariſtaenus . Ariſtaeni . (Filius)
Hermionenſes . de . ſua . pecunia . dedicaverunt .

Nec certe graviſſimam nobis creant moleſtiam duo illa, quae huic noſtrae divinationi opponi fortaſſe poterunt. Non ſum equidem neſcius, *τὸ μνημεῖον* a Graecis communiter pro *τάφῳ* accipi conſueviſſe [1], eamque vocem in ſepulcralibus marmoribus plerumque adinveniri ; cui proinde hoc in cippo, qui Antinoi oſſibus condendis nequaquam dedicatus fuerat, vix locus eſſe queat, niſi a conſueta loquendi ratione deſciſcamus. Verum ſi ISOCRATES, quod egregie, ſtrenueque factum fuerat, *τὸ μνημεῖον τῆς ἀρετῆς* dixit [2], cur non licuit Hermionenſibus epigramma, quod Antinoi memoriae celebrandae inſcripſerant, *τὸ μνημεῖον τῆς τιμῆς* appellare? Altera difficultas ex formula *ἐκ τῶν ἰδίων* enaſci poterit. Nam tantumne impenſae egerunt triumviri Hermionenſes pauciſſimis verſibus marmori inſculpendis, addendiſque, ut memoratu dignum id poſſet videri? Sed a probabili quadam veri ſpecie alienum minime eſt, Hermionenſes IIIviros quum inſcriptionem poſuere, in honorem Antinoi vel ludos populo dediſſe, vel epulum paraſſe, ut illud *ἐκ τῶν ἰδίων* ſi minus ad monumentum, ſaltem pecuniam in eam rem corrogatam referri queat. Haec tamen, ut ingenue, vereque ante denunciavi in mera, ac etiam liberiori conjectura ſunt poſita ; quam ſi doctioribus minime probari intellexero, me auſis excidiſſe libentiſſime fatebor.

Tertia in dextero cippi latere occurrit epigraphe, quam illitteratum, rudemque quadratarium marmori induxiſſe, duo maxime indicio ſunt. Nam licet Peloponnenſes a principio ea uterentur dialecto, quam a Dorienſibus accepe-

1 SVIDAS *in h. v.*
2 *In Areopagitic.*

ceperant, attamen poſtquam cultiora litterarum ſtudia, Atticaeque Muſae illuc ſe fuderant, nullus propemodum fuit ſcriptor, qui non atticiſſaret, ita ut Hadriano imperante, Doriſmus nonniſi in populari, plebejoque ſermone ſuperſtes fuerit. Hinc Attica orthographia ubique emicat in duobus prioribus inſcriptionibus. Ergo quum in poſtrema voces illae **τὰν αὐτᾶς ματέρα** Dorice efferantur, liquet, artificem locutionis genus de trivio hauſtum hic uſurpaſſe. Atque etiam illius imperitiam evincit error, qui in ultima voce **ΝΙΚΙΟΣ** irrepſit; nemini ſiquidem dubium eſſe poteſt, reſcribi debere, **Νικίου**, ut ipſe orationis contextus, uſitataque horum epigrammatum forma poſtulat. Itaque Filia, **μνημῆς χάριν** Matri dicat ad hunc modum.

Κλεοφάντα . Ὀλυμπιοδώρου . ταν . αὐτᾶς . Ματέρα . Ὀλυμπιάδαν. Νικίου . (τιμᾷ)	*Cleophanta . Olympiodori* (filia) *Matrem . ſuam . Olympiadem . Nicii* (filiam) (honorat .)

Ne minimam quidem inter Olympiadem, & Sabinam exiſtimo interceſſiſſe communionem, neque hanc feminam inter Auguſtae ſacrificas, famulas, aut Libertas reor eſſe adnumerandam; non enim Cleophanta indictum praetermiſiſſet, quod in matris honorem, laudemque mirifice cedebat. Sed Hermione accidiſſe putandum eſt, quod alibi ſaepe factum conſpicimus, ut baſi **πολυέδρῳ**, in cujus fronte inſcriptio aliqua longe antea exarata fuerat, nudo adhuc lateri novum epigramma ſcalpro inductum ſit, quod cum priori nulla temporum, perſonarum, officiorumque conjunctione colligatur. In quo alii impenſae parcere ſtudebant, alii loci, in quo lapis proſtabat, frequentia, & dignitate movebantur, alii cum illuſtribus viris ſaltem poſt fata conſociari affectabant. Quid horum praeſertim Cleophantam impulerit, ut matris memoriae perpetuandae hunc cippum delegerit, nec ſi Oedipus ſim, auſim augurari. Retexo jam abruptam paulliſper de Dianae ſacerdotibus,

ac

ac adminiſtris orationem, a qua caeteroquin non ſine praeclara rei litterariae uſura, deflexiſſe me puto. Ac vix fieri poſſe videtur, ut quum de Diana ſermo inſtituitur, continuo non ſuccurrat laudanda Epheſus, quae a Dea prae reliquis urbibus non ſolum diligi, ſed etiam incoli, cuſtodirique credebatur. Duo Epheſia marmora ex ſchedis DE LA CONDAMINE in novo Theſauro publicavit CL. MVRATORIVS, quibus edocemur, Civitatem publico monumento poſt fata honoraſſe **ΑΝΤΩΝΙΑΝ ΙΟΥΛΙΑΝΗΝ ΙΕΡΕΙΑΝ ΤΗΣ ΑΡΤΕΜΙΔΟΣ** [1], & **ΟΥΛΠΙΑΝ ΕΥΟΔΙΑΝ** eodem ſacerdotio defunctam [2]. At quae in Graecia urbs fuit, quae ſe, ſuaſque fortunas Dianae patrocinio, ac numini non commendaverit, proindeque a ſacerdotibus eam coli non ſtuduerit? Senatus, & populus Thyatirae inſignem titulum **ΟΥΛΠΙΑι ΜΑΡΚΕΛΛΑι ΤΗι ΙΕΡΕΙΑι ΤΗΣ ΑΡΤΕΜΙΔΟΣ** [3] decrevit: quo pariter honore Megarenſes affecerunt **ΦΑΥΣΤΕΙΝΑΝ ΙΕΡΕΙΑΝ ΑΡΤΕΜΙΔΟΣ ΣΩΤΕΙΡΑΣ** [4]. Si Graecis Latina ſunt conſocianda, adde marmor Campanum, in quo AVRELIAE T. F. BLOSIAE SACERD. DIANAE TIFAT. memoria conſignata eſt [5]. Atque haec differens, video non eſſe ſilentio praetermittendam eximiam PRIDEAVXII obſervationem de Dianae ſacerdotibus [6]; qui praeeunte ſibi PLVTARCHO adnotavit, feminas, quae Epheſi hujuſce Deae ſacris operabantur, in tres claſſes dividi conſueviſſe. Quae in priori numerabantur Μελλιεραὶ, quae in ſecunda Ἱεραὶ, quae denique in poſtrema Παριεραὶ dicebantur. Μελλιεραὶ alumnae erant, quae myſteria uſu, atque exercitatione religioſae diſciplinae addiſcebant, peractoqne tyrocinio in ἱερῶν cenſum referebantur. Sacerdotio per certum tempus quum vacaſſent, nova augebantur dignitate, & ad Παριερῶν ordinem

P. I. O

1 *Nov. Theſaur. claſs.* III. CLXIII.
2 *N. Theſ.* CLXIV.
3 MARMORA ARVNDELLIANA *Append.* CLXX. *edit. Maitaire.*
4 MVRAT. *N. T.* CLXIII. 5.
5 PRATIL. *Via App. lib.* III. *cap.* I.
6 *Not. ad* IV. *Marmor. Oxonien.*

nem promotae quamdam veluti ſacrorum praefecturam gerebant. Ne qua igitur ſit admiratio, ſi inter Dianae miniſtras, etiam **ΑΡΧΙΕΡΕΙΑΣ** extitiſſe legimus, qualis fuerat **ΑΥΡΕΛΙΑ ΦΑΥΣΤΑ** Smyrnaea, cui Pomponia Claudi Fauſta Luperciana ſtatuam Epheſi conſecravit [1]. Sua etiam laus Patrenſibus eſt concedenda, qui omnem divorum colendorum diſciplinam Dianae cognomento *Laphriae* devoverant, ejuſque antiſtitam in anniverſaria ſupplicatione ſplendidiſſime cohoneſtabant. Mutuanda a PAVSANIA feſti hujus deſcriptio: Ἄγουσι δὲ καὶ λαφεία ἑορτὴν τῇ Ἀρτέμιδι οἱ Πατρεῖς ἀνὰ πᾶν ἔτος, ἐν ᾗ τρόπος ἐπιχώριος θυσίας ἐστὶν αὐτοῖς ... πρῶτα μὲν δὴ πομπὴν μεγαλοπρεπεστάτην τῇ Ἀρτέμιδι πομπεύουσι, καὶ ἱερουμένη παρθένος ὀχεῖται τελευταία τῆς πομπῆς ἐπὶ ἐλάφων ὑπὸ τὸ ἅρμα ἐζευγμένων. *Dianae Laphriae Patrenſes ſingulis annis feſtum celebrant, in quo patrio more ſacrificium ad hunc modum peragunt .... primo pompam magnificentiſſimo apparatu ad Deam deducunt, & quae Virgo ſacerdotio fungitur, curru vecta cervis juncto, poſtrema omnium in pompa procedit* [2]. Sed quae hic ab hiſtorico narrantur, eadem dilucide expreſſa contueri licet in nummo a Patrenſibus in honorem M. Aurelii percuſſo; quem eo plus intererat proferre, quod in aliis ſimilibus hactenus editis plerumque virginis curru vectae effigies, ab indiligenti, typario indiſtincte adumbrata ſit, ut non pro antiſtitae, ſed pro ipſius Deae idolo accipiatur.



Quor-

1 MARM. ARVNDEL. *num.* IV.
2 *Achaic. ſive lib.* VII. *cap.* XVIII.

Quorſus tamen haec ſubtilior, atque etiam prolixior de feminarum Sacerdotiis a nobis hic ſuſcepta diſputatio eſt? Certe eo tota ſpectare debuit, ut aliquid exinde de Dianae Celcaeae adminiſtris probabilius a nobis elici, ſtatuique poſſit. Merito itaque licebit conjicere, *Claudiam*, cuius ſacerdotium, tamquam determinata epochae nota in marmore praefigitur, totius ſacerdotum collegii praeſidem, ac moderatricem, ſive Παριεράν exſtitiſſe, *Sogidem* vero, quae infimo miniſterio operam navabat, Μελλιεράν fuiſſe. Sed gravior hic alia, longeque obſcurior quaeſtio ſuboritur, quodnam revera eſſet ὑποδιακονούσης officium, cui Sogis vacabat. Num aliquid lucis quaeſtioni extricandae affundere poterunt, quae de Διακονίσσαις a Chriſtianis ſcriptoribus traduntur? Illud inter varia earumdem officia ab auctore ſubdititiae epiſtolae ab Antiochenos recenſetur, ut eſſent templi atrienſes, ideoque illas appellat φρουροὺς τῶν ἁγίων πυλώνων, *ſacrorum veſtibulorum cuſtodes* [1]. At tanti ne eſſe poterat hoc munus in aede Dianae, ut unum prae caeteris eſſet commemorandum? Quid etiam, quod non διακόνισσα, ſed ὑποδιακονοῦσα, quaſi inferioris miniſtra, nuncupetur? Ab integra epigrammatis lectione, verbiſque contextis, niſi ego plurimum fallor, petenda eſt germana hujus vocis, officiique ſignificatio, ſic enim inſcriptionis verſus interpretari fas eſt, ut alter cum altero conſpiret. Igitur Sogidi id muneris impoſitum fuiſſe reor, ut conſpecta in *Solario* ante aedem poſito gnomonis umbra, nunciaret quota eſſet diei hora caeteris ſacrificulis, Deaeque ſacerdotibus, quae tempus myſteriorum paragendorum opperiebantur.

Et ſane Graecis, aeque ac Latinis uſitatum fuerat, pueros, ac puellas in miniſterio habere, quae labentis temporis

 poris

1 De Diaconiſſarum officiis fuſe diſputarunt ex Heterodoxis CASPAR ZEIGLERVS, & JO. PHILIPPVS ODELEMIVS, editis de ea re libellis, quos ſuae ſectae erroribus referſerunt. Ex Catholicis ad manus eſt AGNELLVS HONORATVS *Diſſertazioni ſopra alcuni punti de' Sacri Riti, e della diſciplina della Chieſa*. *Diſſ.* III.

poris ſpatia heris referrent. Servus, qui ad id erat mercede conductus, λαβαργύρος ὡρολογητὴς ATHENAEO dicitur[1]; ancilla vero ἡ παραγέλλουσα τὴν ὥραν ταῖς κεκτημέναις *renuncians horam matronis*, memoratur ab HESYCHIO[2]. Quem autem latet, Romanos poſt Aſiam devictam in re familiarii tanto luxu diffluere occoepiſſe, ut non multitudo, ſed *grex*, *agmen*, *populus ſervorum*[3] urbem impleverit, nullumque fuerit tam minimum officium, cui obeundo aliquis ſervus non addiceretur? Certe de pueris ὡρολογηταῖς perfrequenter meminere Latini ſcriptores; ac ne omnia quae pene ſunt innumerabilia, conſecter, referam de multis pauca. Huc alludit MARTIALIS illud[4] in Caecilianum ad caenam praemature ventitantem.

Horas quinque, puer nondum tibi nunciat, & tu
jam conviva mihi Caeciliane venis.

Huc pertinet JUVENALIS σαρκασμός de ſenectae incommodis[5]:

.... *Clamore opus eſt, ut ſentiat auris*
Quem dicat veniſſe puer, quot nunciet horas.

Huc denique revolvuntur PLINII, SVETONII, SENECAE teſtimonia ab erudito ZVZZERI collecta[6]. Sed nihil luculentius, aut expreſſius ad id, quod quaerimus, afferri poteſt, quam ejuſdem MARTIALIS locus, quo aperte intelligi, demonſtrarique poteſt, a Cerycibus horas alte ſignificari conſueviſſe, non ſolum pro convivis in caenatorium adducendis, pro balneis ſtato tempore adeundis, pro cauſſarum judiciis indicendis, ſed etiam quum rei divinae danda eſſet opera; proindeque inter ſacrorum adminiſtros ὡρολογητὴν eſſe recenſendum. Verſus poetae hic eſt[7]:

Nun-

1 *Deipnoſoph. lib.* IX. *cap.* XVII.
2 *In Lex. h. v.*
3 V. PIGNORIVM *de Servis praefat.*
4 *Lib.* VIII. *epigr.* LXVII.
5 *Satyr.* X.
6 In eximio opere, quod ſaepenumero laudavimus.
7 *Lib.* X. *epigr.* XLVIII.

Nunciat octavam Phariae ſua turba juvencae.

Moris hujus teſtis oculatus fuit Apvleivs, qui quum intra conſeptum templi Iſidis noctem tranſegiſſet, expectaretque *matutinas apertiones*, adventantibus *incohatae lucisſalutationibus, ac valvis candentibus reductis*, miratus eſt, *Religioſos primam nuntiare horam* [1]. Atqui morem non ita Iſiacorum peculiare, ac proprium fuiſſe crediderim, ut etiam in Dianae fano obtinere is minime potuerit. Igitur non modo veriſimillimum, ſed prope certiſſimum, firmumque mihi videtur, Sogidem ὑποδιακονοῦσαν ibidem illud ipſum egiſſe, quod in Phariae delubro *Religioſi* praeſtabant. Quod vero non infeliciter, ut opinor, ex Graecis, Latiniſque ſcriptoribus hactenus demonſtravi, adhuc confirmari poſſe video conjectura, quae ex vocum analogia enaſcitur. Nullibi profecto, quod ego ſciam ὑποδιακονοῦσα occurrit, ſed Homervs *Iliad.* Π. v.235. nominat ὑποφήτας, quos a προφήταις rectiſſime diſtinguit Pollvx Sacrorum miniſtrorum percenſens nomina [2]. In hoc vero conſentiunt Graecus ὀνομακλήτωρ, & vetus Homeri Scholiaſtes, *Subvates* fuiſſe, qui accepta, auditaque oracula promerent, panderent, palamque referrent [3]. Ergo ſubminiſtris id muneris ſpeciatim demandatum fuiſſe videtur, ut res populo renunciarent, vixque a *Cerycibus myſticis* [4] differrent. Hoc ipſum officium in aede Dianae Sogidem obtinuiſſe, innuit munerum ὁμοίωσις. Ad horas tamen nunciandas, potius quam ad oracula pandenda fuiſſe deputatam, collecta, in unum coacervataque rerum dictarum ſeries ſatis evincit. Quod ſi cuipiam fortaſſe inſolens, & prorſus novum videbitur, me Dianae ancillis, ac puellis τῶν ὡρολογητῶν addidiſſe; duo velim animo reputet. Nulli prope numinum, ſicuti Dianae, a Graecis tot fuiſſe conceſſas honoris, cultuſque ſignificationes, nullamque


1 *Aſini Aurei lib.* XI.
2 *Onomaſt. lib.* I. *cap.* I. *ſeg.* 16.
3 *Schol. Vet. Homer. ad* XVI. *Iliad.*
4 Confer opus Henrici Avgvsti Zlibichii *de Cerycibus Myſticis*.

lamque Deam, quemadmodum Dianam, praeter antiſtitas, Sacrificas, myſteriorumque interpretes, *Servas* quoque ad omnia miniſteria habuiſſe. ACHILLEM TATIVM in ἐρωτικοῖς proderit teſtem excitare, ubi ait ancillis ab heris in jus vocatis ad Dianae delubrum confungere licuiſſe; quod ſi ab hero inique factum eſſet, τότε θεράπαινα ἔμενεν αὐτοῦ δούλη τῇ Θεῷ; *tunc ſerva Deae miniſteriis addicta illic remanebat* [1].

§. VI.

---

1 *De Clitophontis, & Leucippes amoribus lib.* VII.



§. VI.

ΕΠΙΜΕΛΗΤΟΥΔΕ ΙΟΥΛΙΟΥΘΕΑΓΕΝΟ . . .

ἐπιμελητοῦ δὲ Ἰουλίου Θεαγένου.

NEMINI dubium poteſt eſſe, diduci, ac diſſociari debere duo poſtrema primae vocis elementa a decem praecedentibus, & in penultimo pro Λ, reſcribendum Δ, lineola figurae angulatae ſubducta. Altera, quae ſequitur, vox in duas ſimiliter eſt ſecanda, & addendum in fine verſus Υ, ut duplex CVRATORIS nomen ſic reſtituatur: Ἰουλίου Θεαγένου. Varia apud Graecos fuerat politia in conſtituendis adminiſtris, qui ſacra procurarent. Quippe ait ARISTOTELES: *συμβαίνει δὲ τὴν ἐπιμέλειαν ταύτην ἐνιαχοῦ μὲν εἶναι μίαν· οἷον ἐν μικραῖς πόλεσιν. ἐνιαχοῦ δὲ πολλὰς καὶ κεχωρισμένας τῆς ἱερωσύνης· οἷον ἱεροποιοὺς καὶ ναοφύλακας καὶ ταμίας τῶν ἱερῶν χρημάτων, evenit autem, ut haec procuratio alicubi ſit uni data, ut in parvis civitatibus, alicubi multiplex ſit, & a ſacerdotio diviſa, videlicet in ſacrificos, aedituos, & ſacrarum pecuniarum cuſtodes* [1]. Ex quo teſtimonio illud ſponte veluti ſua emergit, templum *Dianae Celcaeae* non in obſcura, & parva Peloponneſi urbe exſtitiſſe, quandoquidem varia in marmore recenſentur officia, & ἐπιμέλεια diverſis attributa dicitur. Quoniamque praeter ſacerdotem, inferioremque adminiſtram ἐπιμελητὴς diſtincte nominatur, ſequitur profecto, Deae fanum auguſtum, inſigne, magnaque cultorum frequentia fuiſſe celebratum. Hoc autem munus Athenienſes primi videntur conſtituiſſe, apud quos curator ſacrorum inſigni titulo honeſtabatur, quod HARPOCRATION, his verbis tradit: *Ἐπιμελητὴς τῶν μυστηρίων παρ' Ἀθηναίοις ὁ λεγόμενος Βασιλεύς. Ἀριστοτέλης ἐν Ἀθηναίων πολιτείᾳ φησὶν οὕτως. Ὁ δὲ Βασιλεὺς πρῶτον μὲν τῶν μυστηρίων ἐπιμελεῖται. Curator myſteriorum apud Athenienſes Rex dicebatur. Ariſtoteles in Athenien-*

1 *Politic. lib.* VI. *cap.* VIII.

nienſium republica ſic ait. Rex primario curat myſteria [1]. Ritum ab Athenienſibus Romani mutuati ſunt, cui tamen *Regi* non tantum tribuere. Siquidem licet is e gente Patricia ſeligeretur [2], attamen inter *Pontifices minores* numerabatur [3]. Contra apud Athenienſes princeps ſacrorum curator, non ſacrificiis modo, ſed certaminibus praeerat, atque etiam judicia, ſi quod impietatis facinus intercidiſſet, exercebat, quemadmodum ex DEMOSTHENE contra Lacritum colligitur.

Verum praeter ſupremum Hierarcham, moderatoremque, cui omnis rerum ſacrarum cura erat demandata, fuerant non modo in parvis urbibus, ſed ipſis Athenis, atque etiam Romae minores CVRATORES templis Deorum praepoſiti, qui caeremonias, religioneſque ex majorum inſtituto, ſtatiſque diebus conſervari, peragique ſtuderent; excubarentque, ne quid contra fas eveniret. Mitto Latiales lapides, Neapoli [4], Tarracone [5], ad lacum Verbanum [6], Mazariae [7], Tibure [8], Romae [9] effoſſos, in quibus *Curatores templi*, *Curatores ſacrorum*, *Curatores fani Minervae*, *Herculis &c.* recenſentur; ad Graeca potius juverit monumenta provocaſſe. Eſt Venetiis apud nobiliſſimos MEMIOS marmor, quod *aedis Bacchi curatorem* memorat [10]:

ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ ΑΝΑΦΛΙΣΤΙΟΥ
ΕΠΙΜΕΛΗΤΟΥ ΔΕ ΤΗΣ
ΝΕΟΥ * ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ.

* Ναῦ

Rurſus

1 *In Lexic. v.* ἐπιμελητής.
2 CICERO *pro Domo ſua* XIV.
3 V. GVTHERVM *de Jure Pontif.*
4 GRVTER. CCCXXIII. 1.
5 Idem CCCLXXXII. 7.
6 Idem CCCXCIII. 7.
7 MVRAT. *Nov. Theſ.* CLXXVI. 3.
8 GRVT. CDXXIV. 8.
9 *Nov. Theſ.* CLXXVI. 4.
10 *Ibi.* CLXXXI.

Rurſus *templi Curator Tiberius Claudius Papirius* ex altero innotuit lapide [1]:

ΔΙΑ . ΤΙΒ. ΚΛ. ΠΑΠΕΙΡΙΟΥ
ΕΠΙΜΕΛΗΤΟΥ . ΤΟΥ . ΙΕΡΟΥ

Horum de numero ſane exſtitit Julius Theagenus, fuitque is ſine ulla controverſia *ὁ ἐπιμελητὴς τοῦ ναοῦ, καὶ τῶν ἱερῶν τῆς Ἀρτέμιδος Κελκαίας*, templi ſcilicet illius Peloponneſiaci Curator peculiaris, ſacerdotibus praepoſitus; prioreſque partes in his, quae ad Deae cultum ſpectabant, obtinens, omnia fide, ac prudentia gubernare, moderarique debuerat. Inditum autem huic officio nomen ab eo, in quo omnis illius diligentia, operaque expectabatur, quemadmodum *Curatores* appellabantur, qui *aerario* cuſtodiendo, qui *viis* ſternendis, qui *operibus publicis* inſtaurandis praeficiebantur [2]. Neque mihi eſt dubium, ejuſmodi ſacrorum curatores aliquando *νεωκόρους* fuiſſe nuncupatos; ſcilicet antequam *νεωκορεία* ad tantam celſitudinem, dignitatemque veniſſet, ut eum titulum Graecae urbes avidiſſime affectarent [3]. Tunc enim ad ambiguitatem omnem ab inſcriptionibus ſummovendam, curatores *ἐπιμεληταὶ* dicti ſunt. Quo tamen nihil omnino noſtri marmoris antiquitati erit detra-

P. I. P

1 *Ibidem* MXLVIII. 5.

2 De operum publicorum curatoribus largiſſime in antiquis legibus proviſum: verbi cauſſa, ut nemini id muneris liceret recuſare, ut operum redemptores, locatoreſve curator vi cogere poſſet ad ſarta tecta praeſtanda, ut ad vitia operum, quae irrepſerant, ſuo ſumptu tenerentur emendare &c. Diſputata haec ubertim, explicataque ab *Ictis*, quos inter honoris cauſſa nomino M. AVGVSTINVM CAMPIANVM Privernatem in noſtro Regio Taurinenſi Athenaeo olim Juris Pontificii interpretem, *De Officio, & Poteſtate Magiſtratuum Romanor. Ad leg. ſeptim. & octav. de Off. Proconſulis*.

3 Conſule, ſi quid eſt opus, VANDALEVM *de Neocoris Sacerdotibus*, CVPERI epiſtolam de eodem argumento, RVBENIVM, VALESIVM, VAILLANTIVM, *Act. Academ. Pariſien. tom.* I. & II. SYLINGIVM *Diſſert. philologic. de* Νεωκόροις.

ctum, quandoquidem ante Romanum imperium Civitates Neocoras novimus exſtitiſſe. Quamquam apud ipſos Graecos tanta fuit varietas appellationum, ut a Troicis populis, neque νεωκόρος, neque ἐπιμελητὴς, ſed retento Latinae vocis ſono, **ΚΟΥΡΑΤΩΡ** fuerit nominatus [1].

§. VII.

---

1 MVSEVM VERON. XXXVI. 3. Noſtri Curatoris cognomen poterat etiam ſuppleri, ΘΕΑΓΕΝΟΥΣ, ita enim conſtanter effertur in gignendi caſu ab HELIODORO, qui in *Aethiopicorum libris* totius fabulae amatoriae actorem principem *Theagenem* finxit, ſed malui uſitatam retinere declinationem.



e Cythera Ins. 1758. *alt. p. 2. unc. 3.*

§. VII.

ΠΑΡΕΡΓΟΝ

QVO VETVS ANEMOSCOPIVM NVPERRIME INVENTVM ILLVSTRATVR.

ETſi nihil praeſtantius, nihilque jucundius ſit hiſce ſtudiis, quibus rerum a noſtra memoria quam longiſſime remotarum cognitionem indipiſcimur, & ea, quae immane tot ſaeculorum pondus in altiſſimas retruſit latebras, rurſus in auras, lucemque revocamus; attamen multo ampliorem commendationem habere illa debent, ſi cum his litteris jungi, copularique contingat, quae auctore CICERONE, animorum, ingeniorumque naturale quoddam quaſi pabulum ſunt; nimirum ſi cum naturae conſideratione, contemplationeque feliciter conſocientur. Hanc unam ſingularem laudem hac mantiſſa utcumque me poſſe colligere confido, in qua dum fidem quam oppigneraveram, [1] libens exſolvo, monumentum profero, in quo admiranda, & erudita vetuſtas cum graviſſima Coſmographiae doctrina miro quodam, ac naturali nexu devinciuntur. Scilicet praeclariſſimum hic exhibeo ANEMOSCOPIVM marmori inſculptum per hos ipſos dies in agro Rom. extra Portam Capenam ſecus viam Appiam, dum vinitor terram altius paſtinaret, inter rudera adinventum, quod mihi humaniſſime dono dedit FRANCISCVS ALFANVS, vir antiquitatis bene peritus, & harum elegantiarum ſolertiſſimus indagator, cui hoc nomine plurimum me debere profiteor. Atque eo fidentius marmor evulgo, quod communi eruditorum hominum ſententia, quos ad illud contuendum accivi, nullum fortaſſe in hoc genere, abſolutius,

1 In fine §. III. *pag.* 60. locum VARRONIS exſcribens de Anemometro in ipſius ΟΡΝΙΘΩΝΙ fabrefacto, deſponderam me in calce commentarii hoc praeclariſſimum marmor fore evulgaturum.


lutius, nullumque aeſtimabilius Latina tellus de ſinu ſuo, hactenus profuderit. Celebratur equidem omnium ſermone turris octogona ventorum, Andronici Cyrrheſtis opus, cujus reliquiae adhuc ſuperſtites Athenis viſuntur [1]. Cognitum etiam columnae duodecagonae fragmentum, Cajetae repertum, cujus lateribus varia ventorum nomina deſcripta leguntur [2]. Sed in illa merae ventorum imagines ſunt *contra ſuos cujuſque flatus deſignatae* [3]; in hoc autem characteres vel non aſpectabiles, vel magna parte detriti. At ſingularis, quem nunc explicandum aggredior, lapis etſi in duas partes diffractus, & ſparſim labefactatus, integram adhuc oſtentat operis perfectionem. Ad haec, quod praeter XII. ventorum nomina in ſuperficie verticali aptis interſtitiis circumquaque conſignata, in plana eiuſdem marmorei cylindri ſuperficie *Meridianus*, *Aequator*, uterque *Tropicus*, bini, ut videtur, *Polares circuli* inciſi apparent, ut exinde accuratum planiſphaerium cum anemometro copuletur. Fieri autem vix poterit, ut haec omnia ea, qua par eſt, doctrina exponam, quin ex una in alteram ſenſim digrediar facultatem: quo planius, apertiuſque conſtabit, pulcherrimum hoc eruditionis ſtudium nullis propemodum finibus circumſcribi, atque in veteribus monimentis pro merito interpretandis novam interdum ſuboriri rerum ſegetem, in quam opportune, nec ſine maxima, honeſtiſſimaque utilitate, voluptateque expatiari liceat. Sed fidiſſimum ſchema explicatione juverit praepoſuiſſe.

Porro

1 Deſcripſit VITRVVIVS *lib.* I. *cap.* VI. Iconem innumeri pene ſcriptores ediderunt. SPONIVS, WELERVS, POTTERVS, MONTFAVCONIVS, LE ROY &c.

2 GRVTERVS CXXVII. I.

3 VITRVVIVS *ibi*.



Porro marmoris conformatio, ut in appoſito priori diagrammate videre eſt, in quo illud erectum, totumque adſpectabile pingi fecimus, ſolidam rotam, ſeu Cylindrum refert, cujus craſſities, ſive altitudo eſt unciarum $3\frac{1}{4}$. menſuare Romanae Architectonicae: diameter vero palmorum $2\frac{1}{2}$. *EVTROPIVS*, qui opus *FECIT*, nomenque ſuum in ipſo planiſphaerio inciſum ad poſterorum notitiam tranſmiſit, ut ſingulas orbis plagas, unde conſtanter aſpirant venti, in faſcia Cylindri accurrate notaret, & veram ac nativam unicuique aſſignaret poſitionem, ab analemmate, ſive a quinque *Circulorum* ſphaerae deſcriptione operis initium ſumendum eſſe intellexerat. Quemadmodum

dum vero in ea deſcriptione Graecos Aſtronomos potiſſimum ſequutum videtur, ita in duodecim ventorum plagis quaerendis SENECA imprimis auctore eſt uſus. Praeſtat L. ANNAEI verba in anteceſſum recitare, ut Eutropii διαγραφὴ poſt intelligatur.

Placet autem duodecim ventos eſſe, non quia ubique tot ſint (quaſdam enim inclinatio terrarum excludit) ſed quoniam plures nuſquam ſunt .... Qui duodecim ventos eſſe dixerunt, hoc ſequuti ſunt, totidem ventorum eſſe, quot coeli diſcrimina. Coelum enim dividunt in circulos quinque, qui per mundi cardines eunt. Eſt Septentrionalis, eſt Solſtitialis, & Aequinoctialis, eſt Brumalis, eſt contrarius Septentrionali. His ſextus accedit, qui ſuperiorem partem mundi ab inferiori ſecernit ... Hanc lineam, quae inter aperta, & occulta eſt, Graeci ὁρίζοντα, *noſtri finitorem dixere. Adjiciendus eſt ad hunc meridianus circulus, qui horizonta rectis angulis ſecat .... Neceſſe eſt autem tot aeris diſcrimina eſſe quot partes. Ergo horizon, ſive finiens circulus quinque illos orbes, quos modo dixi fieri, ſecat, & efficit decem partes, quinque ab ortu, & quinque ab occaſu. Meridianus circulus, qui in horizonta incurret, regiones duas adjicit. Sic duodecim aer diſcrimina accipit, & totidem facit ventos*[1]. Jam vero quinque parallelos circulos ab Eutropio deſignatos conſideremus. AEQVINOCTIALIS ὁ ἰσημερινὸς, qui a GEMINO in elementis Aſtronomiae κύκλος ὁ μέγιστος τῶν πέντε παραλλήλων κύκλων, *circulus maximus inter circulos parallelos*[2]; ab ERATOSTHENE autem ὁ κύκλος ἶσον ἔχει τὸ ὑπὲρ γῆν τὸ ὑπὸ γῆν, *ex aequo ſupra, infraque terram ſitus*[3] dicitur, per centrum ſphaerae, ſeu rotae procurrit, eamque biſecat. SOLSTITIALIS ὁ θερινὸς τροπικὸς, qui, adnotante ACHILLE TATIO in Iſagoge ad Arati Phaenomena, ἐστὶ τῦ ἀρκτικῦ μείζων, τῦ δὲ ἰσημερινῦ βραχύτερος *eſt arctico (circulo) major, ſed minor aequinoctia-*

1 *Naturalium Quaeſtionum lib. v. cap.* XVII.
2 *Cap. iv.* περὶ τῶν ἐν τῇ σφαίρᾳ κύκλων.
3 *Apud* HIPPARCHVS *ad Aratum initio libri*.

ſtitiali, infra aequatorem conſpicitur [1]. Brvmalis ὁ χειμερινὸς τροπικὸς, κεῖται μεταξὺ τῦ ἀνταρκτικῦ, ϗ τῦ ἰσημερινῦ, ἐναντίος τῷ θερινῷ τροπικῷ, ἶσος ἀυτῦ ὑπάρχων; *qui inter antarcticum circulum, & aequinoctialem poſitus eſt, contra atque tropicus aeſtivus, cui eſt aequalis* [2], ſolſtitiali reſpondet. Atque in his eadem eſt omnium Aſtronomorum ſine ulla varietate ſententia. Sed quid ſibi volunt duo minores circuli, quibus novo plane titulo ſuperſcriptum eſt:

TOTVS SVPRA TERRAm
TOTVS INFRA TERRAm?

Quid ſentiam, enunciabo. Poſtremos hoſce ſphaerae circulos non alios, niſi *Polares*, ſive ut Seneca dixit, *Septentrionalem, & Septentrionali contrarium* cenſeri, putarique oportere, certiſſimum videtur. Qui *Solſtitiali* adjacet, ὁ ἀρκτικὸς (ἀπὸ τῦ ἄρκτυ) eſt; ἀνταρκτικὸς, qui ſupra *Brumalem* deſcriptus. Aptiſſimam autem utriuſque appellationem Eutropius a Gemino deſumpſit. De arctico ſiquidem circulo ſcriptum reliquit: ϗ ὅλος ὑπὲρ γῆν ἀπολαμβάνομενος, *totuſque ſupra terram deſumitur*; contra vero de antarctico, ϗ ὅλος ὑπὸ γῆν ἀπολαμβάνομενος, *totuſque infra terram deſumitur* [3]. Quo quid, poteſt illuſtrius, expreſſiuſque afferri ad eam confirmandam appellationem? Hanc revera fuiſſe Eutropii mentem, ex eo etiam emicat, quod a Graecis Aſtronomis Proclo, Cleomede, aliiſque duo polares *circuli ſemper Apparentium, ſemperve Latentium* nuncupentur [4]. Lineam praeterea adjecit, quae aequatorem a μεσημβρίᾳ ad ἄρκτον orthogonaliter, bifariamque ſecat, & *Meridianus* circulus dici conſuevit. Finitor vero, ſeu ὁριζὼν ipſa circulari marmoris figura rectiſſime exprimitur.

His de Graecorum ſententia peractis, Senecae theoriam

1 Περὶ τῶν παραλλήλων.
2 *Ibi.*
3 *Vbi ſupra.*
4 Ricciolivs *in Almageſto Novo tom. I. lib. I. Scholio ad cap. xvi.*

riam ſequutus, ut duodecim puncta in orbe reperiret, in quibus ventos congruenter collocaret, a centro rotae, ad peripheriam *octo* duxit lineas, quae apte incurrerent, ubi deſinunt duo tropici, biniique polares. Duo rurſus puncta in aequatoris terminis fixit: captoque utrinque aequo ſpatio, & alterum ab altero lineola dirimens, nactus eſt *decem partes*, *quinque ab ortu*, *& quinque ab occaſu*, in quibus decem ventorum nomina inſcripſit. Tandem in duobus Meridiani extremis duas reliquas ventorum plagas probe poſuit. Atque ſic, tot *aeris coelique diſcrimina*, invenit, *quot partes*, & quod erat ab Eutropio quaerendum, *totidem ventos*. In eo tamen non auſim Eutropium a vituperatione liberare, quod duobus ventis Cardinalibus, *Noto*, & *Aparctiae*, intervallum omnino inconveniens aſſignaverit. Nam neuter a ventis conterminis adeo ingenti diſtat tractu, neuter ita ſe large, effuſeque ſupra caeteros explicat. Sed quum id ſibi primum propoſuiſſet, ut quinque inter ſe ſimilia ſpatia hinc inde reperiret, quibus decem ventos conſignaret, in orbitae diviſione errore lapſus eſt. Quare nec Polares circulos (quos breviore linea, & arcui certe minori ſubtenſa notare debuiſſet) a Tropicis non ſatis removit. Quod neſcio inſcitiae ne, an indiligentiae artificis tribuendum ſit. Romani porro non admodum in iis ſtudiis excelluere, quin imo omnis Aſtronomiae doctrina ab eorum ſcriptoribus leviter, obſcure, ſaepe etiam falſo tradita fuit. Eo magis abſoluta illa accuratio, quae non tam exercitatione, quam ſcientia efficitur, fruſtra requireretur in opere, in quo ipſi litterarum ductus inconſtantes, abnormes, incorrecti, vitiataque orthographia quadratarium rudem hominem oſtendunt, atque evincunt,

Caeterum inſunt marmori notae, ex quibus certum anemoſcopii uſum deprehendi poſſe animadverti; quod antequam demonſtrem, illud tamquam firmum, ratumque praepono, anemoſcopium ad finitorem, ſive horizontaliter collocari debuiſſe, atque a tellure modice elatum, ut acce-

accedenti, perquirentique perflantis venti indicium, litterae in orbem deſcriptae facile fierent conſpicuae. Eſt in rotae centro foramen orbiculare totam marmoris craſſitiem pervadens, quod tamen ſuperne latius patulum eſt, inferne vero annulo ipſo in lapide exciſo ſic conſtringitur, ut confixus ibi bacillus ferreus tenaciter haereret, nec a recta uſquam aberraret, neve nutaret. In ſuperiori bacilli parte aliquid procul dubio immiſſum, colligatumque fuerat, ad modum vexilli, aut mobilis laminae, quod ventorum flatu, aërisque fluitantis impulſu propelli, agitari, & quaquaverſum converti poſſet. In anemoſcopio Athenienſi Triton erat [1], qui dum circumagebatur, virga ſubjectam venti imaginem indigitabat. At tantam, & tam exquiſitam elegantiam noſtro operi admodum impolito haud poſſe convenire exiſtimavi. Quapropter bacillo *Caduceum* verſatilem potius aptavi; arbitratuſque ſum, cum loco, ubi marmor eruderatum fuit, mirifice conſentire poſſe ſymbolum Mercurii, quem ἐνόδιον, Deumque VIACVM [2] tota cenſuit antiquitas. Draconum capita, alaeque late explicatae, quibus Caducei capulus perornatur, vexilli, ſive agitabilis ſigni vices commodiſſime praeſtant, Cuſpidatus autem, gracilisque virgae apex rotatione alterius partis, quae ventum excipit, in oppoſitam plagam ſemper rejectus, ideoque contrario motu circumcurſans, adſpirantem ventum tutiſſime denotat. Verbi cauſſa, ſi ZEPHYRVS afflat, commotus aër alatum Caducei capulum in APELIOTAM, qui e regione eſt, trudit; qua converſione cuſpis in illam orbis plagam regeritur, a qua ZEPHYRVS ipſe conſurgit. Duodecim etiam ſuperſunt in rotae

1 VITRVVIVS *ubi ſupra*. Alia quaevis figura modo ita ſit conformata, ut venti impetu poſſit libere verſari, ſuffici poterit. CL. VITALIS *in Lexico Mathematico v. Anemoſcop.* pro Tritone Angelum venerando Crucis ſigno obarmatum cippo octogono ventorum imaginibus inſignito impoſuit.

2 OTTO *de tutela Viarum Part. I. cap. IX.*

margine anguſtiora, ac parvula foramina, quibus metallicum aliquod ornamentum erat inſertum, quod veroſimiliter barbararum gentium voraciſſima avarities pro nequiſſimo ſuo more hinc ſuſtulit, atque ſubripuit. Luxuriantibus, concinniſque ventorum imaginibus non hic, ut in anemometro Adronici, locum eſſe putavi: globulos ſubſtitui, qui quoniam ſingulis ventorum nominibns imminent, intuentium oculos evagari nequaquam ſinunt, ſed promptius admonent, cuinam vento cuſpis caducei vere reſpondeat. Quae ut oculis exſtent ſubjecta fidelibus, anemoſcopium omnibus ſuis inſtructum partibus, abſolutumque altero in diagrammate accuratiſſime caelatum propoſui.

Accedo nunc ad ventorum ſeriem, qualis in ambitu marmoris ab Eutropio ſculpta deprehenditur. Sequor autem in his recenſendis non naturae ordinem, ſed ſchematis poſitionem, in qua primus ad oculos occurrit Aparcias.

A cardine arctico ad heſperium.

Aparcias, ἀπαρκτίας . . . . . Septentrio.
Trascvas, τρασκίας . . . . . . Circius.
Irgastes, ἀργέστης . . . . Caurus, ſeu Corus.

Ab heſperio ad meridianum.

Zephyrvs, ζέφυρος . . . . Favonius.
Libs, λίψ . . . . Africus.
Libonotvs, λιβόνοτος . . . . . Auſtroafricus.

A meridiano ad eoum.

Notvs, νότος . . . . Auſter.
Phoenix, φοινικίας . . . . Euroauſter, & Euronotus.
Evrvs, εὖρος . . . . Vulturnus.

Ab eoo ad arcticum.

Apheliota, ἀφηλιώτης . . . . . Solanus, & Subſolanus.
Caecias, καικίας . . . . Helleſpontius.
boreas, βορέας . . . . Aquilo.

Otio,

Otio, litteriſque plane abuterer ſi de ventorum cauſſis, partitione, diſtantia, varietateque ediſſerere, aut diſcrepantes ſcriptorum ſententias in concordiam adducere inſtituerem. Quaerant haec naturae ſpeculatores, quibus poſt ACHILLEM TATIVM [1], VARRONEM [2], VITRVVIVM [3], PLINIVM [4], A. GELLIVM [5], VEGETIVM [6] iter monſtrabunt VERVLAMIVS [7], KEPLERVS [8] GASSENDVS [9], VARENIVS [10], ALAMBERTVS [11] &c. Ego vero non ſuſcipiam oratione mea plus, quam mihi nunc imponitur.

Antiquam certe, & Graecis, ac Latinis ſcriptoribus probatiſſimam ſententiam Eutropius amplexatus eſt in hac *Duodecim* ventorum diſtributione. Porro quia nihil eſt in natura, ut ſapientiſſime a CICERONE eſt dictum, quod totum repente ſe evolvat, & ſe univerſum profundat, primum quidem veteres δύο τοὺς κυριωτάτους εἶναι ἀνέμους, *duos tantummodo principales ventos eſſe* [12] crediderunt. Quatuor deinde ab ipſis Troicis temporibus agnoverunt, unde HOMERI illud:

Σὺν δ' εὖρός τε, νότος τ' ἔπεσε ζέφυρός τε δυσαὴς,
Καὶ βορέης αἰθρηγενέτης . . . .

Simul Euruſque, Notuſque incidit, Zephyruſque vehemens
Et Boreas ſerenus . . . [13]

1 *In Arati Phoenomen. cap.* XXXIII.
2 *De R. R. lib.* III.
3 *Lib.* I. *cap.* XVI.
4 *H. N. lib.* II. *cap.* XLVII.
5 *Noct. Attic. lib.* II. *cap.* XII.
6 *De Re Milit. lib.* IV. *cap.* XXXVIII.
7 *Hiſtoria Ventorum.*
8 *Epitome Aſtronom.*
9 *Inſtitut. Aſtronom. lib.* I.
10 *Geograph. Univerſ. lib.* I. *cap* XX.
11 Adde ſi placet Poema *de Ventis* Caroli Malapertii.
12 STRABO *Geograph. lib.* I.
13 *Odyſſ.* E.

Sequuta aetas octo addidit [1] : atque haec duodenaria partitio non modo, VARRONI, AGATHEMERO, VEGETIO, ISIDORO arriſit, ſed caeteris diviſionibus, quas vel VITRVVIVS, vel alii excogitarant, anteponenda SENECAE viſa eſt, qui rem totam ſic digeſſit, atque expoſuit. *Quidam ventos duodecim faciunt. Quatuor enim coeli facies in ternas dividunt, & ſingulis ventis binos ſuffectos dant. Hac arte Varro, vir diligens illos ordinat. Qui ſurgit ab Oriente aequinoctiali, SVBSOLANVS apud nos dicitur. Graeci illum* ἀφηλιώτην *vocant. Ab Oriente hiberno EVRVS exit, quem noſtri vocavere VVLTVRNVM. Ab Oriente ſolſtitiali excitatum Graeci* καικίαν *appellant; apud nos ſine nomine eſt.* (Helleſpontium dicimus) *Aequinoctialis Occidens FAVONIVM mittit, quem ZEPHYRVM eſſe dicent tibi etiam, qui Graece neſciunt loqui: A ſolſtitiali Occidente CORVS venit, qui apud quoſdam ARGESTES dicitur..... Ab Occidente hiberno AFRICVS furibundus, & ruens, apud Graecos* λίψ *dicitur. A ſemptentrionali latere ſummus eſt AQVILO, medius SEPTENTRIO, imus THRASCIAS: huic deeſt apud nos vocabulum* (Circium ego puto fuiſſe), *A meridiano axe EVRONOTVS eſt; deinde NOTVS, Latine AVSTER; deinde LIBONOTVS, qui apud nos ſine nomine eſt* [2]. Nihil certe eſt, cur modo SENECAE periocham, & Eutropii deſcriptionem viciſſim conferam. Sic utraque conſpirat amice, ut anemoſcopii caelator, qui in perveſtigandis duodecim horizontis plagis rationem, doctrinamque ab illo hauſerat Philoſopho, rurſum in figendis ventorum ſedibus ab ejuſdem vix abſceſſerit opinione. Quamquam ea nominum, quae intercedit, differentia magno mihi argumento eſt, ut credam, Eutropium Graecorum potius, quam SENECAE, aut VARRONIS inſtitiſſe veſtigiis; Graecis enim ubique, non Latinis nominibus uſus eſt. Ex quo, niſi ego plurimum fallor, major quaedam

---

1 PLINIVS *loc. cit.*
2 *Quaeſt. Nat. lib.* V. *cap.* XVI.

dam operi accedit exiſtimatio. Vt ut de ea re ſit, quoniam non tantum mihi arrogo, ut omnia, quae in anemoſcopio cum optimis, certiſque Aſtronomiae legibus conſentiunt, aut ab iiſdem abludunt, diſſerendi ratione comprehenderem, harum rerum ſcientiſſimum, inſignemque noſtri aevi Geometram JOSEPHVM ROGERVM BOSCOVICH, cujus eſt Matheſeos cultoribus cognitiſſimum nomen, & ingenium, in conſilium adhibui. Is autem inſita ſibi urbanitate, & ſumma erga me propenſione incitatus, ſequentes ad me dedit litteras, quae novam veluti lucem huic eximio monumento uberrime affundent.

CELE-



E Sebenico 1759.

Celeberrimo, et Ervditissimo Viro
PAVLO M. PACIAVDIO

ROGERIVS JOSEPHVS BOSCOVICH S. J.
S. P. D.

P*Raeclarum monumentum, quod nuper apud te vidi, Vir celeberrime, & diligentiſſime eorum omnium, quae ad illuſtrandam antiquitatem pertinent, conquiſitor, eſt omnino, ut ipſe vidiſti ſtatim,* Anemometrum *quoddam, ſeu mavis* Aurologium *nominare; quod vocabulum Salmaſius ſuſpicatur fuiſſe olim apud Varronem* de re ruſtica *lib. 3. agentem de monumento ejuſdem generis erecto olim Athenis ab Adronico Cyrrheſte, corruptum deinde librariorum vitio, & commutatum in* Orologium, *abeunte, ut in aliis vocibus,* Au *in* O. *Id nimirum pertinebat ad dignoſcendam directionem venti ſpirantis, & omnia quaecumque in hoc marmore intueor, ad ventos ſpectant, nimirum vel ad determinandam methodum, qua ad eorum diviſionem, ac diſpoſitionem eſt uſus Eutropius ille, ſive is inſtrumentum delineaverit primus, ſive ab alio inventum deſcripſerit, vel ad ventorum, qui ſpirarent, directionem inveniendam.*

In verticali cylindrica faſcia videre eſt duodecim ventos eodem ordine, & iiſdem nominibus, quae habentur apud Plinium Hiſt. Nat. lib. 2. cap. 46. & vero etiam apud Senecam Natural. quaeſtionum lib. 5. cap. 16. qui hanc diviſionem, & Varroni tribuit. Alii autem alium ponebant numerum. Antiquiſſimi binos, quatuor Homero etiam notos, ſpirantes ex iis, quos cardines dicimus horizontis: tum alii 8, ut ille ipſe Adronicus Cyrrheſtes in ſuo octogono, alii etiam 24, ut Vitruvius poſuerunt. Seneca tamen Phoenicis nomini ſubſtituit Euronotum, & pro Borea Aquilonem ponit, quem Plinius Romana cum Graecis conjungens nomina ſimul uſurpat cum Borea. Bini occurrunt ſup-

ſupplendi parte ſui poſtrema, nimirum ex parte Orientali Apheliotes, & ipſi proximus Caecias. Idem Apheliotes hic ſcribitur per Φ, ut apud Senecam, & Ariſtotelem, qui apud Plinium per π. Libs, & Libonotus hic per i, *ut apud Senecam, qui apud Plinium per* y, *at apud Senecam dicitur* λίψ. *Aparcias autem apud omnes, quos viderim, dicitur* Aparctias, *nimirum ab Arcto, omiſſo hic* t. *ab inſculptore. Porro hic ordo, & nomenclatura tuetur fidem Plinianorum Codicum, & impreſſorum exemplarium cum Harduino contra importunas correctiones, quas in margine ſuae editionis perperam oggeſſit Dalecampius, ut & contra aliam Longolii correctionem, quae habetur apud Harduinum in eum locum.*

Rectas lineas, quae habentur in eadem faſcia, arbitror appoſitas ad definiendos arcus Horizontis, qui ſingulis ventis tribuuntur; ita ut foramella ad ſuperficiem horizontalem pertinentia reſpondeant mediis ipſis arcubus, & mediam venti ſedem determinent; ſed id aliquando laxius obſervatum video, potiſſimum ubi longiora nomina ampliore ſpatio indigebant. Rectae, quae habentur in plano horizontali, pertinent ad ipſam diviſionem ventorum, & deſumptae ſunt ex Sphaera Mundana, ex qua ipſas & Seneca deſumpſit, ſed bini hic circuli commutati, & reliqui adhibiti una cum iis paullo aliter. En ipſius Senecae verba loco citato. Qui 12. ventos eſſe dixerunt, hoc ſecuti ſunt, totidem ventorum eſſe, quot Coeli diſcrimina. Coelum enim dividitur in circulos 5. qui per mundi cardines eunt &c. *A quibus Seneca, & a Meridiano, ac Horizonte, quos addit, deſumptam ventorum diviſionem arbitratur.*

Tres illos Senecae circulos Solſtitialem, Aequinoctialem, Brumalem *in tuo agnoſcis marmore, Vir praeſtantiſſime, iiſdem vocibus expreſſos. Reliqui bini ſunt apud Senecam Circuli Polares (ut communiter appellantur a Graecis) Arcticus, & Antarcticus, ut patet ex ipſa illa voce* contrarius ſeptentrionali, *derivata ab* Antarctico. *In tuo marmore commutantur iidem, credo, in alios duos, qui ad ſphaeram itidem pertinent; & ſunt ii, qui dicuntur* circulus ſemper apparen-

parentium, & circulus numquam apparentium; *qui ſunt maximi omnium extantium penitus ſupra horizontem, & depreſſorum penitus infra ipſum, & qui ſoli cum Polaribus binis, inter infinitos eadem proprietate praeditos delineari ſolent in analemmate, ut videre eſt in analemmatis delineatione in ipſo ingreſſu Gnomonicae apud Clavium; ex quo analemmate apud veteres notiſſimo, & adhibito in primis ad Horologiorum Solariorum delineationem ab ipſo Vitruvio, videtur, omiſſis nonnullis, delineatum hoc ipſum hujuſce marmoris ſchema.*

Caeterum illos extremos hic etiam eſſe binos ſphaerae circulos, quorum alter ſit totus ſupra, totus alter infra Horizontem, evidentiſſime patet ex eo, quod cum in caeteris tribus ſubintelligatur vox circulus, *ut ſint* circulus Solſtitialis, circulus Aequinoctialis, circulus Brumalis; *in reliquis itidem ſupplenda ſit eadem vox, & legendum* circulus totus ſupra terram, circulus totus infra terram; *nec dubium eſt* ſupra, & infra terram *idem valere, ac* ſupra, & infra Horizontem. *Porro ne Polares ipſos hic intelligam, facit ipſa diſtantia a puncto medio Aparctiae, & Noti, quae hic iis debitae diſtantiae eſt pluſquam dupla, errore majore multo, quam ut in Inciſorem rejici queat. Bene autem* circulus totus ſupra terram *ponitur ad partes Aparctiae, nimirum ad Septentrionem; nam ad eam partem Polus elevatur ſupra Horizontem.*

Diſcrimen adhibendi hoſce circulos inter Senecam, & hujuſce inſtrumenti Auctorem eſt illud, quod Seneca adhibet eorumdem circulorum interſectionem cum Horizonte ad ipſas ventorum plagas deſignandas, in hoc autem marmore adhibetur ea ipſorum projectio, quae adhibetur in analemmate facta ſecundum planum ipſorum in ipſum Meridiani planum per lineas perpendiculares eidem, quo nimirum pacto ii circuli in rectas abeunt. Seneca ſic habet. „ Ergo Horizon, ſive finiens circu„ lus, quinque illos orbes, quos modo dixi fieri, ſecat, & effi„ cit decem partes, quinque ab Occaſu. Meridianus circulus, „ qui in Horizontem incurrit, duas adjicit „. Et quidem eo pacto bene definiri poſſunt plagae ventorum octo, quorum bini ad Septemtrionem pertinent, & Meridiem, reliqui ſex ad Ortus, & Occa-

Occaſus Brumales, & Solſtitiales, per quos Ortus, & Occaſus eos definiunt Plinius etiam, & Ariſtoteles, & veterum plerique paſſim. At reliqui quatuor ea ratione definiri non poſſunt, cum Polares circuli in Horizontem locorum extra Zonam Torridam poſitorum non incurrant, ut nec ulli alii extantes ſupra Horizontem, & depreſſi infra. Quamobrem ipſe Seneca, qui id ſane vidit, ita orditur id caput: „ Placet autem 12. ventos eſſe, non quia ubi„ que tot ſint (quoſdam enim inclinatio terrarum excludit), ſed „ quoniam plures nuſquam ſunt „. At Plinius, qui viderat partitionem ventorum in 12. in ipſa Graecia adhibitam pertinere ad Zonam etiam Temperatam, nullos adhibuit ſpherae circulos ad eorum plagas deſignandas, ſed 4. illos, quos Seneca a Polaribus repetit, ponit medios inter eos, qui pertinent ad cardinem Septemtrionalem, & Meridionalem, ac eos, qui pertinent ad Ortus, & Occaſus Tropicos.

Vt id incommodum vitaret hujuſce monumenti auctor projectionem illam in Meridianum circulum ex analemmate aſſumptam adhibuit; nam ipſi illi extremi ejus duo circuli, ut innui, Horizontem non ſecant, quem deinde Meridianum circulum Horizonti rite applicavit. In ea delineatione habentur quidem errores hic aliqui, qui mihi indicant hujuſce inſtrumenti deſcriptionem eſſe minus accuratam. Diſtantia binorum Tropicorum ab aequatore deberet eſſe graduum 23 $\frac{1}{2}$, at in exemplo ad me tranſmiſſo eſt graduum circiter 20. errore graduum 3 $\frac{1}{2}$., non ingenti illo quidem, ſed adhuc notabili. Diſtantia in methodo Senecae, & apud eos omnes, qui Ortu, & Occaſu utuntur Brumali, & Solſtitiali, debet eſſe adhuc multo major, quam graduum 23 $\frac{1}{2}$, aequalis nimirum, non declinationi Tropicorum, ſed amplitudini Ortivae, & Occiduae, quae ubique in ſphaera obliqua eſt major declinatione ipſa, & hic Romae eſt graduum proxime 32. quam ipſam ob rem miror ſane, Riciolium diligentem caeteroquin veterum ſententiarum indagatorem, ac relatorem ponere lib. 2. cap. 17. Almageſti pro Plinii, & Varronis ſententia (quem poſteriorem Seneca ſequitur, qui ejus ſententiam conſervavit, nam apud Auctorem ſuum periit) diſtantiam ventorum lateralium hinc, & inde ab Apeliote, & Ze-

phyro graduum 23 ½ , quae debet eſse tanto major ; & multo magis miror , pro ventis lateralibus hinc , & inde ab Aparctia , & Noto ponere diſtantiam itidem graduum 23 ½ , cum ii apud Senecam pro Zona Temperata ſint nulli , apud Plinium vero longe aliter definiantur .

In hiſce , qui adjacent Aparctiae , & Noto error eſt duplo circiter major in eorum diſtantia ab Aequatore circiter duplo majore . Deberet eorum diſtantia ab Aequatore eſſe aequalis complemento Polaris altitudinis ; nam circuli ſemper apparentium, & numquam apparentium *diſtant a Polis quantum ii ab Horizonte , nimirum per ipſam Poli altitudinem , adeoque ab Aequatore deberent diſtare per ejus complementum . Id hic Romae eſt graduum 48 . cum Poli altitudo ſit proxime 42 . Eſt autem diſtantia in hoc marmore juxta exemplum ad me miſſum graduum 41 . , ſed & in ipſo marmore , ubi primum id apud Te inſpexi , animadverteram aliquot gradibus minorem eſſe eam diſtantiam angulo ſemirecto .*

Suſpicabar initio marmor delineatum fuiſſe pro aliqua regione aliam habentem Polarem altitudinem , tum Romam tranſlatum , quod & aliis monumentis accidiſſe novimus ; at altitudo Poli tanto major , nimirum 49 . , cui haec reſpondet diſtantia , longe ultra omnem Graeciam , & cultas antiquitus regiones protenditur . Ex alia parte error graduum 7 . in diſtantia graduum 48 . ſatis belle reſpondet errori graduum 3 ½ , in diſtantia 23 ½ . ; & idcirco ſuſpicari licet etiam , Fabrum adhibuiſſe ad eruendas ejuſmodi diſtantias ſcalam *aliquanto breviorem juſto ; niſi & illud quis velit , erraſſe Artificem ſubſtituendo complemento Polaris altitudinis altitudinem ipſam , quem errorem & nunc Tyrones committunt ſaepe in Horologiis Solaribus delineandis potiſſimum .*

Verum ii errores pretium praeclari monumenti tui non minuunt , quo non ad determinandam ventorum nunc ſpirantium directionem , ſed ad cognoſcenda Antiquorum placita debemus uti . Id autem ſingulare ſane , quod ſciam , in ſuo genere eſt , quod mortuam jam olim & conſepultam de ventorum plagis ſententiam exſuſcitat , ab iis , quas apud Auctores , quos ego viderim ,

derim, vidi autem plures, plurimum diverſam, quam ob ipſam rem tam pretioſi monumenti adeptionem tibi etiam atque etiam gratulor. Supereſſet inquirendum in aetatem monumenti; verum id quidem ſi ulla ratione illuſtrari poteſt, Tu id unus optime totius antiquitatis peritiſſimus praeſtare poteris. Fruere interea praeclariſſimo tui Muſei ornamento, & cultiora ſtudia perge in dies magis exercere, ac fovere, ut facis. Vale.

ROMAE in Collegio Romano pridie Idus Julias anno 1759.



Vaſculum Vitreum *ex Dalmatia*

Physicis hiſce diſquiſitionibus jam exactis ad ſuſceptam tractationem omni ex parte abſolvendam, liceat antiquariae doctrinae aliquid rurſum concedere. Porro quod Anemoſcopium ejuſmodi ſecus viam Appiam repertum fuerit, indicio mihi eſt, peregrinantium commodo illuc fuiſſe collocatum. Majores ſiquidem noſtri de Conſularibus, publiciſque viis ſic erant ſolliciti, ut illas non modo lapide quadrato ſtratas, ubique rotabiles facerent, pontibus jungerent, lateribus pari faſtigio comparatis ubique munirent, milliaribus columnis diſtinguerent, ſed etiam aediculis, aris, Deorum vialium ſignis, omnique ornatu decorarent, & quacumque poſſent ratione, viatorum commoditati conſulerent [1]. Atque id affatim Romanos praeſtitiſſe in Appia, quae *regina viarum* [2] dicebatur, compertum eſt. Ex quibus, quantum ego intelligo, veroſimillimum fit, anemometrum ad pleniſſimum viae ornatum, commoditatemque peregrinorum in loco undique patulo ab aliquo Aedili, vel Curatore Viarum fuiſſe poſitum, ut qui ad mare potiſſimum properabant, flantem eo die ventum, hinc dignoſcerent, propitium etiam ab averſo, ſalubrem ab infeſto diſtinguerent. Quandoquidem vero eo progreſſa fuerat miſeranda Romanorum ſuperſtitio, ut ad Phoenicum, Graecorumque ſimilitudinem ventos ceu Deos colerent, ſacrificiis placarent, diviniſque afficerent honoribus, religioſus fortaſſe potuit etiam eſſe hujus marmoris uſus. De Phoenicum ἀνεμολατρεία teſtis eſt ex Sanchoniatone Evsebivs [3]. Apud Graecos nihil profecto uſitatius. Ex Oraculi Delphici monitu ventis ſacrificatum, refert Herodotvs [4]. *Orithyae*, qui Favonio proximus, ſanum ab Athenienſibus dedicatum memorant Xeno-

1 Bergier *Hiſtoire des grands Chemins de l'Empire Part.* I. Gavtier *Traitè des Chemins, ou il eſt parlè de ceux des Romains &c.*
2 Stativs *lib.* II. *Sylv.* II.
3 *Praeparat. Evangel. lib.* I.
4 *Lib.* VIII.

Xenophon [1], atque Nonnus [2]. Erat etiam Sicyone *Ara Ventorum*, ad quam Sacerdos ſingulis annis immolabat [3], notumque in Graecia Παυσάμενον, ſive ſacrificium ad ventos ſedandos. Ab exteris, ac barbaricis, ut ajebant, gentibus religio haec ad Romanos ſe fudit. Siquidem ventis templum ab Auguſto Caeſare, quum in Galliis moraretur, exſtructum fuiſſe, prodidit Seneca [4]; rurſum a Veſpaſiano Antiochiae, auctor eſt Joh. Malala [5]. Nonne & Romae extra ipſam Portam Capenam, ubi noſtrum anemoſcopium bonis avibus in apricum venit, L. Cornelius Scipio Barbati Filius aedem tempeſtatibus dedit [6]? Huc etiam facit columna ad Portum Antii inventa, cui inſcriptum legitur: *ARA VENTORVM* [7]. Praetereo exempla id genus plura, quae facile ex *Otiis Litterariis* I. G. Bidermanni [8] exſcribere poſſem, quibus cultus, ventorum perſpicue demonſtratur; atque a Bentleio jure optimo Dacierum reprehendi, caſtigarique evincitur qui quamvis ventis ſacrificatum concederet, nihil tamen illis dedicatum fuiſſe opinabatur [9]. Nemo ergo noſtrum, ut puto, vituperabit judicium, ſi eam animo imbibimus ſententiam, cylindrum illum marmoreum ventorum nominibus inſignitum, cippo ſuperpoſitum, & juxta viam publicam locatum forte etiam pro *Ara* accipi poſſe, ut qui exire peregre, maximeque pelago ſe committere aggrediebantur, ante illam ſupplicabundi votis, precibuſque ventos

---

1 *Lib.* IV.
2 *In Dionyſiac. lib.* XXXIX.
3 Pausanias *in Corinthiac. ſive lib.* II.
4 *Natural. Quaeſt. lib.* V. *cap.* 17.
5 Sive Johannes Antiochenus *in Hiſtoria Chronologica ad h. t.*
6 Monumentum L. Scipionis Barbati fuſius explicavit Sirmondus: *Explanatio antiquae inſcriptionis &c.* Symbolam alii contulere. Vid. Graevii *Theſaur. Antiquit. tom.* IV.
7 Vulpius *Vetus latium de Antiatibus tab.* XVII.
8 *Diſs.* XX. *De cultu Ventorum divino.*
9 Ad Horatium *lib.* I. *Carm.* XXV.

tos exorarent, ut ſibi propitii eſſe vellent, numquam conſurgerent injurioſi, ſed ira poſita, ſecundi, placidique perflarent. Nihil certe hac in re affirmamus, quod non cum antiquorum θεολογουμένοις, inſtitutiſque apprime, vereque conſentiat.

Qua tandem aetate, (id enim inveſtigandum relinquitur) anemoſcopium marmori inciſum veroſimilius putari debeat, non ea res eſt, quae tam facile, certoque poſſit definiri; dubiaque prorſus cogitatione in deliberando fluctuat animus. Nam primo incertum plane eſt, num Evtropivs, operis inventor, & architectus exſtiterit, an vero, purus putus ſcalptor, infimaeque conditionis homo, qui vel oblatam ſibi graphidem marmori induxerit, aut ex altero meliori apographo hocce indiligens, incorrectumque exemplar deformaverit. Ne tamen rem omnem tacitus dimittam, periclitemur, ſed quam breviſſime, an aliquid conjectando ſaltem conſequi poſſimus. Inter varios eruditos homines, quibus antiqua memoria Eutropii nomen fuerat, conſtat ingenii, & doctrinae famam, laudemque imprimis fuiſſe adeptum Eutropium *Hiſtoricum*, qui longam rerum Romanarum ſeriem breviario conſtrinxit, ſequutuſque partes Juliani Imp. ejus militaribus interfuit expeditionibus [1]. Quamvis poſtera aetas nonniſi mox laudatum compendium, a Capitone Lycio deinde Graece redditum, hactenus ſuſpexerit; nihilominus plura alia Eutropium mandaſſe litteris, perhibet Svidas [2]: ἔγραψε καὶ ἄλλα. Atque iſthaec diverſa prorſus fuiſſe a rebus hiſtoricis, putari poterunt, ſi duobus clariſſimis ſcriptoribus credimus. Eutropium enim illum, quem Marcellvs Empiricvs [3] arte ſalutari, & naturae doctrina claruiſſe ſcribit, ipſiſſi-

---

1 Codinvs *Origin. Conſtantinop. Select.*
2 *Lexic. h. v.*
3 *In Praefat. ad librum de Medicamentis inter Artis Medicae principes tom.* II.

ipſiſſimum hiſtoricum fuiſſe, Jano Cornario [1], & Vossio [2] admodum veroſimile viſum fuit. Si ergo unus idemque Eutropius, non tam in anteacti temporis ſcientia, quam in naturae contemplatione verſatus eſt, & univerſi admirabilia ſtudioſe inveſtigavit, fieri perquam facile potuit, ut ventorum doctrinam apprime teneret, quam in medicina facienda prae oculis haberi oportere, duo hujus artis principes Hippocrates [3], & Galenus [4] tradiderunt. Illum proinde ad anemometri, & climatum deſcriptionem conficiendam ſatis inſtructum fuiſſe, exiſtimare licebit; atque adeo monumentum hujuſmodi, licet a quadratario impolite deſcriptum, Eutropio non tam hiſtorico, quam phyſico adjudicari, aſſerique non immerito poterit. Praeterea maximam, quam haec praeſeferunt, veri ſpeciem plurimum augent characterum ductus, atque configuratio, quae cum uſitatis Eutropii aetate oppido concordant, atque inclinatam, ac prope jacentem artium fortunam oſtendunt. Illa ipſa litterarum inconcinnitas, varietas, inconſtantia, verborumque diſſentanea pronunciatio, quae ſub id tempus in omnia pene litterata marmora ingruerat, ita heic ſe ſe prodit, ut etiamſi a marmore abeſſet artificis nomen, attamen ex hiſce notis, atque indiciis peritus quiſvis ejus aetatis opus eſſe, prudenter conjectaret. Denique ſi quid judico, praeclarum ad conjecturam faciendam illud etiam videtur, quod in vetuſtis Eutropii libris manu ſcribarum diverſis temporibus exaratis, hoc uno tantummodo nomine Eutropii auctor Breviarii conſtanter appelletur. Nec quod eidem a recentiſſimo ſcriptore additum eſt, ab antiquo monumento, optimaeque fidei teſte fuit petitum [5]. Ergo quum anemometri deſcriptor, vel inventor (illud quippe *feciſſe*

---

1 *Praef. ad* Marcellum.

2 *De Hiſtoricis Latinis lib.* II. *cap.* VIII.


3 *Aphoriſmorum ſect.* III.

4 *De methodo medendi: de morbis vulgaribus: de aere: de compoſit. Medicamentorum &c.*

5 V. Fabritium *Biblioth. Latin. R.* 2.

feciſſe dicitur,qua voce Latini, Graecique artifices quandoque uſi ſunt, ut ſe tamquam operum auctores apud poſteros commendarent) nomen ſuum heic prodiderit ad eum plane modum, quo in codicibus offenditur, quovis alio adjuncto excluſo; quis neget ex inſcriptionis ſimilitudine indicium aliquod poſſe accerſiri, quo ſaltem ſuſpicari queat, Eutropium hiſtoricae, aeque ac phyſiace doctrinae, multarumque rerum gnarum, ac peritum hujus ventorum tabulae conficiendae rationem excogitaſſe, alioſque perdocuiſſe? Italus is erat origine, diuque Romae commoratus eſt; quo tempore credi poterit, tabulae ſchema quadratario tradidiſſe inſculpendum.,

EXPLICIT PARS PRIMA.



1754 ex Ins. Melos alt palm. Rom. n° 1.

LEX SACRATA
ITHACENSIVM



LEX SACRATA
ITHACENSIVM

GRAVES, mirifici, diuturnique Vlyſſis caſus, & errores ſic omnium ſcriptorum celebrantur libris, ut neminem profecto in litteris tam hoſpitem, ac peregrinum putem, qui illos aliquando non legerit. Sed qui hujus Graecorum omnium callidiſſimi genus, factaque pernoſcunt, praedicari, laudarique a poëtis, & chorographis ſciunt inſulam ITHACAM, in Jonio mari, inter Caphaleniam, & Echinadas, non procul a Peloponneſo, in qua heroicis aetatibus Vlyſſes Siſypho, aut Laerta patre, Anticlea matre in lucem editus, ſummam rerum poteſtatem perhibetur obtinuiſſe. Quid autem de Ithaca commendari hactenus conſuevit, niſi aſſurgens umbriferus mons, frondeſcentia continenter nemora, commodiſſimus ſitus, coëlique temperies? Vlyſſes ipſe, quamvis blando patriae amore retineretur, nihil praeterea illi attribuit initio libri IX. **ΟΔΥΣ.**

Ναιετάω δ' Ἰθάκην ἐυδείελον, ἐν δ' ὄρος αὐτῇ
Νήριτον εἰνοσίφυλλον ἀριπρεπὲς ἀμφὶ δὲ νῆσοι
Πολλαὶ ναιετάουσι μάλα σχεδὸν ἀλλήλῃσι
Δουλίχιόν τε, Σάμη τε, καὶ ὑλήεσσα Ζάκυνθος.

Habito autem Ithacam clariſſimam : in ipſo vero mons eſt
Neritus, multis arboribus decorus, circa inſulae
Plures inhabitantur, admodum vicinae invicem,
Dulichium, & Samus, & nemoroſa Zacynthus [1].

Quodnam vero exſtiterit ſoſpitale Inſulae numen, in cujus praeſidio, ac cuſtodia populi ſalus, atque incolumitas poſita praecipue crederetur, cuinam Deorum major pietas,

1 Primam hujus alterius commentarii paginam quum eruditae vetuſtatis emblematis perornare deliberaſſem, factu optimum, & ἀρχαιοφίλοις jucundiſſimum futurum duxi, ſi quoniam de Vlyſſis patria agebatur, Vlyſſeum aliquod monumentum e ſcriniis, cimeliiſque educerem antiquariorum. Erant forte fortuna ad manus Gemmarum ectypa, quae mihi olim miſerat amicorum deſideratiſſimus A. F. GORIVS, ὁ πάνυ ἐν ἁγίοις, quum Homericas antiquitates corrogarem, eaſque edere haberem in animo. Has porro *Carneolas* commodiſſimam hic nactas eſſe ſedem exiſtimavi. At officio functus non ſim, niſi pauca de ſingulis ſcripto prodiderim. Prima itaque Carneola egregium Vlyſſis facinus refert, quod ab HOMERO deſcribitur *Odyſſ.* M. Quum ex inferis revertereur, ventuſque navim prope ad Inſulam *Sirenum* juxta Pelorum propuliſſet, ne lethali illarum cantu in fraudem illiceretur, juſſit ſe ὀρθὸν ἐν ἱστοπέδῃ *erectum ad malum* manibus, pedibuſque a ſociis ligari ; ipſos vero, collectis velis, ἑζομένους *ſedentes*, crebris, validiſque remorum ictibus mare verberare, ac proſcindere, ut formidandam Inſulam praetervolaret ; nam

.... vox blanda carinas
Alligat, audito frenantur carmine remi.

Etſi varia de Sirenibus tradi ſciam a NICASIO *Diſcours ſur la forme, & figure des Sirenes*, STORIO *Diſſert. de fabula Sirenum*, DOPPERTO *de Sirenum commento*, MVHLEO *Diſſert.* III. *Hiſtorico Critic. de Siren.*, atque eos compererim, non in unam ſemper concinere opinionem, hic certe Sirenes a Gemmae caelatore ex fabularis hiſtoriae praeceptis apte, congruenterque expreſſae apparent. Tres omnino ſtant in Inſulae littore ſatis concinne adumbrato, alis, cruribus, pedibuſque

tas, ſanctitas, religio ab Ithacenſibus tribueretur; quibus legibus ſacrorum perpetuitati, majeſtatique ab illis proviſum

---

que aviariis inſtructae; quandoquidem partim virgines, partim aves eſſe fingebantur. Quarum una, quae media eſt, volumine notis muſicis inſigni explicato, ad certos modos canit; quae dextrorſum adſtat, lyram pulſat; quae ſiniſtrorſum autem, tibias inflat, ut exinde, ſuaviſſimus ille ad aures mulcendas enaſceretur concentus, cui tantam vim tribuerunt fabulatores. Monumentum certe haud ego primus e latebris effero inexploratum, ac novum. Similem admodum gemmam novi jamdiu vulgaſſe BEGERVM: *Vlyſſes Sirenes praetervectus ex delineatione Pighiana*. Rurſus hanc ipſam Odyſſeae hiſtoriae partem inſculptam vidimus in Dactyliotheca STOSCHIANA, cujus magnae opes ex erudita illius deſcriptione, quam accuratiſſime perſequitur CL. WINKELMANNVS, apprime cognoſcentur. Verum nec BEGERI libellus ille apud noſtrates ſic obvius, ac protritus, nec STOSCHII gemmae omnes una cum Catalogo prodibunt inciſae. Addo, ab illis nihil huic noſtrae poſſe detrahi, cui fortaſſe plus ineſt elegantiae, concinnitatis, atque nitoris. Confer etiam BELLORIVM; *Lucern. ant. T.* III. *fig.* II. GORIVM *Muſ. Etruſc. Tom.* I. *Tab.* CXLVII. In Gemma *num.* II. Vlyſſes ſine ulla dubitatione is eſt, qui Victoriae curru vectae obſiſtere, aut eam detinere videtur. Oris, vultus, totiuſque corporis lineamenta Vliſſea ſunt. Graecum Heroam cum Diomede colloquentem facie, habitu, geſtuque omnino ſimili effigiatum refert Gemma Muſei Stoſchiani, cui inſculptum: ΚΑΛΠΟΥΡΝΙΟΥ CΕΟΥΗΡΟΥ. ΦΗΛΙΞ ΕΠΟΙΕΙ. *Gem. Antiqu. caelatae ſcalptorum nominibus inſignitae Tab.* XXXV. Sed quemnam Vlyſſis laborem haec noſtra carneola repraeſentet, neque ipſe EPISCOPIVS, qui alteram huic gemellam, ac germanam edidit, auſus eſt definire: *Pierres Gravées de M. Leveſque de Gravelle Part.* II. *tab.* XCIII. Quid ſi dixero inſuperabile, invictumque robur 'αινιγματώδῶς hic proponi, quo

Sanguine Siſyphio generatus magnus Vlyſſes

Achillem, Rheſum, Cicones, Orſilochum, Aſtyanactem, Phaeacas devicit, feroces hoſtium aggreſſiones repreſſit, cruentamque victoriam moratus eſt?


Longe facilius intelligitur quid portendat Gemma *num.* III. Nempe Vlyſſes hic viſitur, qui poſt tot errores Ithacam repetit, patrioſque adit lares. Quum in limine domus nulli cognitus ſubſtitiſſet, Canis domeſticus, cui nomen Argus, inquit, HOMERVS.

Δὴ τότε γ' ὡς ἐνόησεν 'Οδυσσέα ἐγγὺς ἐόντα.

Jam tunc ſtatim agnovit Vlyſſem prope eſſe.

Petita omnis carneolae affiguratio ex *Odyſſ. P.* Vlyſſes in patriam reverſus, cui adblanditur canis, monetali typo excuſus conſpicitur in nummis

ſum fuerit, nunc primo ex hoc inſigni lapide cognoſcitur, atque detegitur. Ex quo monemur, in honorem DIANAE, quam finitimos Peloponnenſes tanta cultura eſſe proſequutos mox diximus, delubrum auguſtum, ſacerrimum Ithacae fuiſſe dedicatum, certoſque illi reditus, ac cenſus lege lata conſtitutos, quibus Sacrificia continenter peragi, & templum perpetuo reparari, renovarique liceret. Praeſtantiſſimum ejuſmodi marmor, hoc ipſo, quo ſcribimus, anno egregius, ſtrenuuſque claſſis Venetae ductor JACOBVS NANIVS littoralem Graeciae oram, Joniique inſulas percutrens, Ithacae comparavit, Fratrique Senatori BERNARDO actutum tranſmiſit.



ex Ithaca 1758 *alt Palm Rom ...*

Quod

mis Familiae MAMILIAE; niſi quod λιθογλύπτης longe exquiſitiorem prae monetario operi contulit elegantiam, additoque e regione Vlyſſis aedi-

Quod ſi hi lapides, quorum invento, intuituque Graeca hiſtoria illuſtratur, & augeſcit, atque veteribus populorum legibus, ſcitis, decretis novus ſplendor affunditur, in praeclariſſimis numerantur, his procul dubio copulanda *LEX SACRATA* Ithacenſium; quippe quae non modo populi illius religionem prodit, cujus aſpera, & ſcopuloſa tellus ab omnivaga Dea incoli, diligi, cuſtodirique putabatur, ſed ſacra praedia, agros Decumanos, frugum vectigalia templo impartienda commemorat, ac diras, poenaſque denuntiat poſſeſſori, aut conductori indictas, qui conventum, legemve ſancitam violaſſet: quae quamvis in antiquorum libris disjuncta, diſſipataque reperiantur, in hoc tamen Conſulto collecta, conceptiſque formulis, & ἐννόμως expreſſa leguntur. Quandoquidem vero tabula haec continuitate quadam verborum, varioque litterarum nexu deſcripta, alicubi etiam hiulca eſt, pro ſuſcepto interpretandi conſilio, primum ad fidem autographi reddam, deinde verbum a verbo diſpeſcam, ut mox Latinam verſionem legentium oculis exhibeam. Habes illam.

ῚΕΡΟΣΟΧΩΡΟΣΗΣ
ΑΡΤΕΜΙΔΟΣΤΟΝΕ
ΧΟΝΤΑΚΑΙΚΑΡΠΟΥ
ΜΕΝΟ..ΙΤΙΝΜΕΝΔΕ
ΚΑΗΝΚΑΤΑΘΥΕΙΝΕ

KA-

---

aedificio, totius rei informationem multo vividius ob oculos propoſuit, ac declaravit. Ad Vlyſſem ſimiliter pertinet ſculptus lapillus, quem littera majuſcula concluſimus. Quum in Aeoliam Inſulam perveniſſet, Aeolus Hippotades Rex, cuſtoſque ventorum amice illum excepit, muneratuſque eſt pro felici navigatione, procelloſos ventos in utre coactos, uno Zephyro immiſſo, qui placidus flaret. *Odyſſ. K.* Cernis hic Vlyſſem ipſum, qui acceptum utrem, ut HOMERVS ait, μέρμιθι 'αγυρέη *funiculo argenteo* ligavit, ne quid perflaret. Eſt in Gaza Stoichiana Sardius lapis, cui inſculptus Graecus Heros utrem jam ligatum manu tenens, neque ut in noſtro, genuflexus, ſed ſtans, palliolo in humeros injecto. Feci, ut arbitror, quod erat in hoc ſermone faciendum, ſcilicet, ne quatuor haec cimelia brevi deſtituerentur explicatione.

ΚΑΣΤΟΥΕΤΟΥΣΕΚΔΕΤΟΥ
ΠΕΡΙΤΤΟΥΤΟΙΙΝΑΟΝΕ
ΠΙΣΚΕΥΑ.. ΕΙΝΕΑΝΔΕΤΙΣ
ΜΗΠΟΙΗΤΑΥΤΑΤΗΙ
ΘΕΩΙΜΕΛΗΣΕΙ

Id eſt

ἱερὸς ὁ χῶρος τῆς
Ἀρτέμιδος· Τὸν
ἔχοντα, καὶ καρπού-
μενον τὴν μεν δε-
κάτην καταθύειν
ἑκάστου ἔτους· ἐκ δὲ τοῦ
περιττοῦ τὸν ναὸν
ἐπισκευάζειν. ἐὰν δέ τις
μὴ ποιῇ ταῦτα τῇ
Θεῷ μελήσει.

Quae uſitato priſcis Juriſconſultis ſtylo ſic reddere lubet.

Sacer. fundus. Dianae.
Quiſquis. poſſeſſor. ſiet. &
fructus. capſit. anni. decumas
dato. ſi. ſuperfluum. fuat
templum. ſarcito.
ni. faxit. Deae
curae. eſcit.

AD

Fictile



E Sebenico. 1750. Long. Pal. R. 3. 3.

AD EAM LEGEM ΠΡΟΘΕΩΡΙΑ.

Antequam, de ipſa lege dicere incipio, removenda, propulſandaque eſt ſuſpicio, cui ſi forte ſit locus, de noſtri marmoris αὐθεντίᾳ plurimum dubitaretur, atque in ipſo orationis ingreſſu id maxime avertendum, quo eruditus lector in diverſa diſtrahi poſſet. Celebris ille Grylli filius Xenophon Socraticus, cujus voce Muſas eſſe loquutas, ajebat Cicero, in ea, quam de Cyri expeditionibus ſcripſit, hiſtoria, multa etiam a ſe, dum Cyrum comitaretur, ſtrenue, aut magnifice facta memoriae prodidit. Inter haec quum ex praelio ad Coroneam evaſiſſet incolumis, Sciluntem oppidum, quo olim Lacedaemonii Coloniam deduxerant perrexit; quumque illic Dianae religionem, cultumque plurimum vigere reperiſſet, eumdem pro virili parte, ſummaque liberalitate amplificare curavit. Agrum mercatus eſt, in quo pecunia ſua templum, & aram Dianae erexit, dedicavitque, ſignumque Deae cupreſſinum poſuit. Erat autem ager arboribus conſitus, opimis paſcuis abundans, & paſtiones eorum, qui ad ſacra vehebantur, largiſſime ſuppeditans. Haec poſtquam narravit Xenophon, ita ad extremum concludit: καὶ στήλη ἕστηκε παρὰ τὸν ναὸν, γράμματα ἔχουσα· ἱερὸς ὁ χῶρος τῆς ἀρτέμιδος. τὸν δὲ ἔχοντα καὶ καρπούμενον, τὴν μὲν δεκάτην καταθύειν ἑκάστου ἔτους· ἐκ δὲ τοῦ περιττοῦ τὸν ναὸν ἐπισκευάζειν. ἐὰν δέ τις μὴ ποιῇ ταῦτα, τῇ θεῷ μελήσει; *juxta fanum columna erecta eſt, in qua inciſa inſcriptio. Sacrum eſſe Dianae agrum. Qui poſſideat, atque ex eo fructus capiat, annonae decimam illum Deae ſolvere, reliquum in ſarta tecta conferre oportere: Deam ipſam, qui ſe fraudarit, vindicaturam* [1]. Jam vero quoniam haec elegantiſſima ſanctio totidem, iiſdemque prorſus verbis reddita legitur in Ithacenſium tabula, quibus in columna Sciluntis exprimebatur, forte ea dubitatio animis irrepere poterit,

1 *De rebus Graecorum lib.* V.

ſycophantam aliquem, callidumve ſcrutarium Xenophonteam inſcriptionem in noſtrum lapidem tranſmiſiſſe, ut ſemidoctos circumveniret, inſigniterque illuſos, ad illum permagni faciendum, & multo aere redimendum adduceret.

Verum levi negotio omnis haec vaniſſima ſuſpicatio depellitur, marmoriſque aſſeritur antiquitas. Primo ſiquidem peritorum omnium aſſenſu, & approbatione, optimae, & genuinae vetuſtatis notae ubique emicant, nec minimum novitii ſcalpri indicium perſentiſcitur. Male etiam ſuis rebus conſulere, & uſuram ex operoſo labore quaerere inſtituiſſet falſarius, qui noſtris temporibus aut Ithacam contendiſſet, ut illic nudo marmori Xenophontis verba inſculperet, aut tabulam jam a ſe alibi inciſam de induſtria Ithacam deportaſſet. Quid fructi, utilitatiſque praeſtolari poterat in Inſula, noſtra aetate ſin minus ſolitaria, paucis admodum, ac humilibus incolis culta? Num augurabatur, animoque praeſentiebat, futurum, ut eruditus aliquis vetuſtatis reliquiis conquirendis illuc aliquando appelleret? Tantum ne laboris, operiſque libens conſumpſit, ut de pretio, atque mercede ſuſpenſus, & incertus obſcura ſpe diutiſſime penderet? Ineptius dictu nihil eſt; ſtupiduſque plane ſit, qui tam ridicula, & abſurda concoquat. Contra vero probabilis, expeditaque cauſſa cogitanti illico ſuccurrit, cur eadem epigraphe Scilunte, & Ithacae reperta ſit, illic columnae, iſtic tabulae deſcripta. Namque eadem prorſus de re utrobique fuerat lege lata providendum; quid ergo vetabat, quominus Ithacenſes formulas a Lacedaemoniis, quorum ſapientia magnopere apud omnes commendabatur, mutuarentur? Imo vero templi, agrique ſacri Sciluntini celebritas majorem quamdam dignitatem conciliabat rebus omnibus, quae ad illius ſimilitudinem efficerentur. Quare non poterant in concipienda ſanctione, uti verbis gravioribus, quam his, quae jam erant uſu recepta, ac veluti conſecrata. Erat praeterea Xenophontis nomen in ore omnium praeclariſſimum, ſcriptaque ab illo avidiſſime arripiebantur, quod nihil doctius, nihilque politius fieri poſ-

ſe

ſe crederetur. Quoniamque non eſt ambigendum, ipſum Xenophontem, qui aedem Dianae exſtrui, ornarique fecerat, hujus quoque nitidiſſimi epigrammatis auctorem exſtitiſſe, proclive fuerat Ithacenſibus, ad quos facile hujuſce legis notitia pervenerat, eamdem exſcribere, inque rem ſuam transferre.

Sentio equidem alterum inſuper argumentum eſſe, quod ex perpeti Graecorum conſuetudine huc fortaſſe torqueri poſſet, quodque accuratam ſaltem veterum ſcriptorum interpretationem a nobis requirit. Illa quippe natio ſic ſemper fuit *αὐτονομίας* retinendae ſtudioſa, ut una quaeque urbs ab alterius legibus, ritibuſque amplexandis vehementer abhorreret. Cujus obfirmatiſſimi apud illos moris teſtimonium exhibet Philo Judaeus [2], his verbis: *τῶν κατὰ τὴν ἑλλάδα καὶ Βάρβαρον ὡς ἔπος εἰπεῖν, οὐδεμία πόλις ἐστιν, ἣ τὰ ἑτέρας νόμιμα τιμᾷ ... Ἀθηναῖοι τὰ Λακεδαιμονίων ἔθη καὶ νόμιμα προβάλλονται, καὶ Λακεδαιμόνιοι τὰ Ἀθηναίων ..... Πᾶσα χώρα, καὶ ἔθνος, καὶ πόλις τῶν ξενικῶν νομίμων ἀλλοτριοῦται.* *Inter Graecas, Barbaraſque civitates nulla propemodum eſt, quae alterius leges ſervet ... Athenienſes Laconicas leges contemnunt, viciſſimque Atticas Lacedaemonii ... Omnis regio, & gens, & urbs externas leges averſantur.* Duae tantummodo res legum communionem apud Graecos inducere poterant. Si nempe populus in alterius dominatum, poteſtatemque jure belli veniſſet, victorum legibus parere adigebatur. Quare ſummi beneficii loco habuerunt Phocis, & Aſianae urbes, quod illi, referente Polybio [2], a Romano Praetore P. Aemilio, iſtis vero, Plutarcho teſte [3], ab Artaxerſe, & Tiſſapherne Longimani Satrapa indultum fuerit, ut licet devictae, ſuis legibus agerent. Altera cauſſa erat, ut a Thucydide edocemur [4], ſi mutuae ſocietatis pacta interceſſiſſent. At nullibi legimus, vel Lacones Ithacam ſuo ſubjeciſſe imperio, vel

 Itha-

1 *De Vita Moyſi lib.* II. 2 *Exc. Legat.* XXXVI. 3 *In Ageſilao.*
4 *Lib.* VII.

Ithacenſes foedus cum Lacedaemoniis iniviſſe. Ithacae ergo incolae rem a Graecorum moribus, inſtitutiſque prorſus alienam feciſſent, ſi leges aliunde fuiſſent mutuati.

Atqui nihil habet haec ratiocinatio operoſum, & explicatu difficile; tota quippe illius vis in ambiguitate conſiſtit. Nam Graecorum de αὐτονομίᾳ retinenda ſollicitudo, atque induſtria nonniſi eas leges reſpicere poterat, quae ad inſtitutam πολιτείαν ſervandam, ad militiae diſciplinam, ad libertatem, dignitatemque tuendam faciebant. Sed erant praeterea leges, quae ad religionis incrementum, ad vitiorum coërcitionem, ad populi tranquillitatem, ad veri, rectique obſervantiam pertinebant, quas omnibus nationibus, cultiſque civitatibus, iiſdem naturae principiis imbutis neceſſario communes fuiſſe opportebat. Permulta occurrunt ſive in LEVNCLAVII, & FREERI collectaneis [1], ſive in BASILICIS [2] Graecorum legum praeſcripta, ex vetuſtiorum gentium ſcitis petita, atque ad Reipubl. bonum in univerſum conſtituta, in quae concordi plane ſenſu conſpirare debuerant Civitates ipſae, inter quas magna, & vetus intercedebat ſimultas. Nam quoniam lex a TVLLIO definitur recta, & a numine Deorum tracta ratio imperans honeſta, prohibenſque contraria; niſi religio, & aequitas funditus tolleretur, neceſſe profecto erat, nonnullas leges publico bono rogatas a populis inter ſe ſe inimicis, atque infenſis pari tamen voluntate retineri, atque ſervari. Sed quid ego plura conquiram, quum irrefragabile in hac ipſa, in qua verſamur, cauſſa ſuppetat teſtimonium? Diximus Athenienſes, ac Lacaedemonios mutua exarſiſſe invidia, externaſque leges viciſſim eſſe aſpernatos. Verum lex illa a Triptolemo Athenienſibus data, cujus meminit PORPHYRIVS περὶ ἀποχῆ ἐμψύχων, quaeque omnium prima legitur in PETITI collectione [3]: Θεὺς καρποῖς ἀγάλλειν, *Deos frugibus*

---

1 *Jus Graeco Roman.* 2 *Baſilicorum libri.*

3 *Leges Atticae. Tit. 1. de Deor. cultu.*

frugibus venerantor, nonne Scilunte, atque adeo apud ipſos Lacones obtinuit? Quid enim eſt XENOPHONTIS inſcriptio, niſi Atticae legis promulgatio? Fuerant ergo quaedam leges, maximeque ad Deorum cultum pertinentes, quae communi naturae inſtinctu, ſuſceptaque ab omnibus religione ubique diligenter, ſancteque cuſtodiebantur. Non illas bellum, aut finitimorum invidentia repudiabat, non varia Reip. conditio excludebat, non diſſitarum regionum longinquitas removebat. Quae quum ita ſint, mirum nemini eſſe debet, religioſum illud Xenophonteum Decretum in Ithacam uſque fuiſſe propagatum: tantumque abeſt, ut id noſtri marmoris antiquitatem, praeſtantiamque diminuat, ut imo utramque plurimum commendet. Si quid vero litterarum forma, nexuſque valent ad auctoritatem faciendam, valere autem permultum debent; marmor ante aeram Chriſtianam exaratum fuiſſe, non dubitaverim. Caeterum etſi illius aetas inſequuto mox ſaeculo eſſet conſignanda, volupe erit viris eruditis locum celeberrimi Graeci hiſtorici marmori redditum intueri: neſcio enim an alia umquam prodierit inſcriptio, cujus exemplar in antiquis ſcriptoribus totidem verbis expreſſum reperiatur. Quare ad epigraphen ipſam partite illuſtrandam libentius accedimus.

COM-



COMMENTARIVS

§. I.

ΙΕΡΟΣΟΧΩΡΟΣΤΗΣ ΑΡΤΕΜΙΔΟΣ

ἱερὸς ὁ χῶρος τῆς Ἀρτέμιδος.

QVOD ab Ithacenſibus in honorem Dianae factum ex hoc marmore condiſcimus, id optimis quibuſvis urbium conditoribus in religionem venit, qui graviſſimum ſe piaculum admiſſuros credebant, niſi in agris populo aſſignandis ſuam Diis, Deabuſque partem liberam, feracem, & immunem reſervaſſent. Quod imprimis DIONYSIVS HALICARNASSEVS Romulo laudi vertit, quem in re publica conſtituenda, legibuſque ad populi tutamentum ferendis prudentiſſimum appellat. De eo igitur ſic ſcriptum reliquit: διελὼν τὴν γῆν εἰς τριάκοντα κλήρους ἴσους, φρατρίᾳ κλῆρον ἀπέδωκεν ἕνα, ἐξελὼν τὴν ἀρκοῦσαν εἰς ἱερὰ καὶ τεμένη καί τινα, *diſtributo agro in triginta partes aequales, ſuam cuique phratriae partem diviſit, detracta quadam agri parte in ſacrorum, templorumque uſum* [1]. Atque haec fuere latifundia, quae a CICERONE *agri Deorum immortalium excepti lege cenſoria* [2] appellabantur. Sed Graecam inſcriptionem interpretanti mihi a Graecis fontibus omnis doctrina haurienda eſt, atque a nationis illius geſtis exempla hac in re ſunt repetenda. Exordior ab omnium liberalium diſciplinarum, & antiquitatis parente HOMERO, qui in utroque poemate latifundia Diis conſecrata commemorat. Tale τέμενος Δήμητρος [3], τέμενος Διὸς [4], in

---

1 *Hiſtor. Roman. lib.* II.
2 *De natura Deorum* III.
3 *Iliad. B. v.* 696.
4 Il. Θ *v.* 48.

in Ida, tum *τέμενος Ἀφρόδιτης* in inſula Paphos [1]. Non ſum equidem neſcius, hujus vocis ſignificationem latius patere, ac pro quovis loco, quaſi a conterminis reſecto, & Diis reſervato, uti ſunt, montes, nemora, fana, delubra, accipi quandoque poſſe [2]; quemadmodum expreſſe monuit HESYCHIVS his verbis: *τέμενος πᾶς ὁ μεμερισμένος τόπος τινὶ εἰς τιμὴν, ἢ ἱερὸν, καὶ βωμὸς, ἢ ἀπονεμηθὲν θεῷ, ἢ Βασιλεῖ*. *Τέμενος* *omnis locus dicitur, qui in honorem alicui eſt peculiariter dicatus, aut templum, & altare, aut quicquid Deo, vel Regi alicui ſeparatum eſt* [3]. Quamobrem ſunt qui mox producta HOMERI loca non pro latifundiis, agriſque, ſed pro aris, ac fanis interpretentur. At divini hujuſce vatis mentem facilius crediderim fuiſſe aſſequutum antiquum illius enarratorem DIDYMVM ALEXANDR., ut pote qui Homericarum vocum ſignificationem, ac proprietatem diligentius quaeſivit. Is itaque, qui ad unum HOMERVM tantam contulerat operam, ſic vertit; *τέμενος ἱερὸν χωρίον ἀφωρισμένον θεῷ εἰς τιμήν*. *Τεμενος* *ager eſt conſecratus Deo, inque illius honorem ſeparatus* [4]. Ab Homericis ergo temporibus mos invaluerat, quem Ithacenſes amplexatos fuiſſe, primo noſtri marmoris verſu erudimur.

Attamen, ut omnis de medio tollatur ambiguitas, teſtis prodeat Lexicographus alter, quem in his rebus multo acutius vidiſſe, nemo dubitat. HARPOCRATION videlicet is eſt, qui non modo agros frumentarios, conſitos, cultoſque Diis dedicari, conſecrarique conſueviſſe prodidit, verum etiam, qui eſſet fructuum, ac proventuum uſus in voce *ἀπὸ μισθωμάτων* patefacit ad hunc modum: *ἑκάστῳ γὰρ θεῷ πλέθρα*

---

1 Odyſſ. Θ. v. 363.

2 Non hic ego recudam, quae huic argumento explicando congeſſit JOH. PHILIPPVS CASSELIVS in *Exercitatione philologico - antiquaria de locis in uſum ſacrum deſtinatis*, *Graece τὰ τεμένη* Magdeburgi edita. Hanc adeat, qui plura velit.

3 *In lexic. h. v.*

4 ***Scholia brevia ad Iliad. B.***

πλέθρα γῆς ἀπένεμον ἐξ ὧν μισθουμένων αἱ εἰς τὰς θυσίας ἐγίνοντο δαπάναι ; *arpendia enim unicuique Deo aſſignabant, ex quorum locationibus proveniebant impenſae, quae in ſacrificiis fiebant* [1]. Non alio ſane conſilio optimi illi religionum tuendarum magiſtri Athenienſes, devictis Lesbiis, in diviſione agrorum, quos hoſtilibus armis occuparant, ampliſſimam illorum partem divino cultui addixerunt, quemadmodum eſt apud THVCYDIDEM: *ὕστερον δὲ φόρον μὲν οὐκ ἔταξαν λεσβίοις, κλήρους δὲ ποιήσαντες τῆς γῆς δισχιλίους, τριακοσίους μὲν τοῖς θεοῖς ἱεροὺς ἐξεῖλον*; *nec tributa poſtea Lesbiis impoſuerunt, ſed diviſa terra in tria millia partium, tercentas Diis devotas dedicaverunt* [2]. Non alia quoque mens fuit decem Romanis Legatis, quum teſtante, POLYBIO in excerptis, poſt juratum, conſcriptumque inter Cn. Manlium, & Antiochum foedus, Civitatum Graecarum conditionem definientes, *Μιλησίοις δὲ τὴν ἱερὰν χώραν ἀπεκατέστησαν, ἧς διὰ τοὺς πολεμίους πρότερον ἐξεχώρησαν*, *Milleſiis vero ſacrum agrum reddiderunt, unde antea ab hoſtibus pulſi fuerant* [3], ut Diis poſſent pinguius litare. Non aliud demum ſpectarunt Heracleenſes ad Sirim, quum *τὴν ἱερὰν γῆν* a privata ſuis terminis diſtinctam, inviolandiſque limitibus diſpertitam libero Patri devoverunt, eamque in celeberrimis ſuis tabulis *τῆς χώρας τοῦ Διονύσου* appellarunt [4]. Sed qui tot Diis olim tributus fuit honos, Dianae profecto non denegatus. Nam etſi noſtrum marmor in apricum aetas non protuliſſet; quid illud, quod de Sulla ex VELLEIO jam retulimus [5], qui nobiles agros Campanos Deae Tifatinae addixit? In quo erit ne quiſpiam, qui forte ſuſpicetur, Athenien-

---

1 *Lexic. pag.* 55.

2 lib. III.

3 *Excerpta* FVLVII VRSINI XXXVI.

4 Tabulas illas auro contra aeſtimandas Regii Herculanenſis Muſei hic appello, quas ingens, & fulgentiſſimum rei litterariae lumen A. S. MAZOCHIVS perpetuis, tantoque auctore dignis commentariis adornavit. V. *Fragment. Britann. verſ.* 8.

5 In prima hujus operis parte *pag.* 23.

nienſes, Romanos, Heracleenſes, quum agros Diis devoverent, dedicarent, addicerent, id ſolummodo propoſitum animo habuiſſe, ut latifundia Divorum tutelae commendarent, qui praeſentiſſima ope ſua ab illis infauſta omnia averruncarent? Quam leve id ſit, vix attendenti patebit. Nam ejuſmodi agrorum uſus, quem nuper demonſtravi, ineluctabili argumento eſt, arpendia fuiſſe, campoſque ſativos, ex quorum anniverſario quaeſtu templi, ac ſacrorum neceſſitatibus conſuleretur. Et quoniam in lege interpretanda verſamur, non hic mihi ſilentio praetereundae Imperatorum ſanctiones, qui quum ſuperſtitionem funditus delere omni ope, ſtudioque contenderent, tum in his edictis, reſcriptiſque de ſacris agris, deque eorum reditibus ſaepe, & multum diſſeruerunt, ut nemo ſit, qui non continuo, clareque intelligat, praedia illa, inclinato jam Rom. Imperii ſtatu, adhuc multa, eaque uberrima exſtitiſſe. Quid lex *de jure Fiſci §. de locis templorum venditis olim, vel donatis* a Valentiniano, & Valente lata [1]? Quid altera *de collatione donatarum*, Theodoſio III. & Valentiniano III. Coſs. promulgata, in qua *forum jugorum, ſive capitum privati juris, vel patrimonialis, vel templorum* [2] memoratur? Annon Honorius Baſſo, & Philippo Coſs. juſſit *detrahi templorum annonas* [3], ſcilicet vectigalia, fructuſque ſacrorum praediorum [4]? An non Honorio X., & Theodoſio VI. Coſs. *praedia, fundos, poſſeſſiones gentilitias, fructuſque earum*, Diis olim conſecratos, Fiſco addictos legimus [5]? Finis nullus propemodum ſit, ſi omnia huc pertinentia ex probatiſſimis, antiquiſque ſcriptoribus velim decerpere, atque referre. Sed mihi ipſi imperare haud poſſum, ut ſilentio praetermittam, quod de Nicia perhibet PLVTARCHVS: adeo enim cum his, quae a me ſcribuntur, congruit, ut geſta ab

1 COD. THEODOS. *lib.* X. *Tit.* I.
2 *Ibi lib.* XI. *Tit.* XX. *l.* 6.
3 *Lib.* XVI. *Tit.* X. *de ſacrificiis & templis l.* 19.
4 GOTHOFREDVS ad eam legem.
5 *Ibidem l.* 20.

Ithacenſibus mirifice commendet, agrorumque ſacrorum uſum apertiſſime demonſtret.

Quum a Civitatibus Graecis chori in honorem Apollinis in Delum carmina quaedam cantaturi quotannis mitterentur, Nicias, qui tum Athenis auctoritate, & gratia plurimum valebat, hoc ſibi ſumpſit, ut electam juvenum manum cantibus mire inſtructam cum lautiſſimo apparatu illuc deduceret, atque in annua illa totius Graeciae pompa Athenienſium chorus ſumma virtute eniteret, caeteriſque palmam praeriperet. Tandem peractis in Delo ſacrificiis, certaminibus, conviviis, ne putaretur ad inanem quamdam laudem captandam ſe illuc cum ſuis conceſſiſſe, perenne, magnumque apud Delios ſuae in Apollinem pietatis monumentum conſtituit. **Χωρίον μυρίων δραχμῶν** *πριάμενος καθιέρωσεν, οὗ τὰς προσόδους ἔδει Δηλίους καταθύοντας ἑστιᾶσθαι, πολλὰ καὶ ἀγαθὰ Νικίᾳ παρὰ τῶν θεῶν αἰτουμένους. καὶ γὰρ τοῦτο τῇ στήλῃ ἐνέγραψεν, ἣν ὥσπερ φύλακα τῆς δωρεᾶς ἐν Δήλῳ κατέλιπεν. Agrum decem millibus drachmis emptum ſacravit, cujus proventus Delii capientes annua ſacra facerent, multamque a Diis felicitatem Niciae aprecarentur. Id autem in columna inciſum voluit, quam largitionis teſtem in Delo reliquit* [1]. Haec quam gravia ſint, quam diſputationi accommoda, & ad noſtram inſcriptionem uberrime declarandam praeclara, credo equidem neminem eſſe, qui ſtatim non ſentiat, atque percipiat. Nicias cultum, pinguemque agrum aere redemit, Deoque ſacrum, devotumque eſſe voluit? Idem praeſtitere Ithacenſes. Delios, ille agro frui, proventuſque capere permiſit, hac tamen lege, ut quotannis partem ſacris faciundis impenderent? Hac ipſa conditione Ithacenſes Dianae fundum conductoribus elocaverunt. Magnanimae largitionis, adjectaeque latifundio obligationis memoriam marmoreo cippo inſcriptam Nicias juſſit exſtare? Ithacae ſimiliter agri dedicatio, decumarum ſolutio, pecuniaeque uſus ad perennitatem, atque cautelam lapideae tabulae conſignatus. Maximam ergo lucem noſtro

1 PLVTARCH. *in Vita Niciae*.

noſtro marmori Deliacum affundit, Niciaeque geſta Ithacenſis populi conſilia comprobant, planeque confirmant.

Altera inſuper inter utramque Inſulam interceſſit ſoli, agrique ſimilitudo, ut ſi in Delo uber, fertiliſque eſſet poterat campus, cujus proventus ad anniverſaria ſacrificia ſufficerent, non ſit dubitandum, in Ithaca quoque ejus generis latifundium exſtitiſſe. *Ithacam in aſperrimis ſcopulis tamquam nidum affixam* dicit TVLLIVS [1]; HORATIVS vero ſoli naturam deſcribens [2]:

Non eſt aptus equis Ithacae locus, ut neque planis
Porrectus ſpatiis, neque multus prodigus herbae.

Quod ſine dubio ex HOMERO deſumpſit, apud quem Vlyſſes ſic fatur [3]:

Ἐν δ' ἐν Ἰθάκῃ οὔτ' ἄρ δρόμοι εὐρέες, οὔτέ τι λειμὼν
Αἰγίβοτος, καὶ μᾶλλον ἐπήρατος ἱπποβότοιο

In Ithaca vero nec ſane lata curricula, neque pratum ullum.
Capris paſcendis apta, & mihi *optabilior equorum paſcuo.*

Qui igitur fructus ex adeo ingrata tellure expectari poterant? quae decumae inde percipi? Vereor, ne quis ſit, qui hinc novum ſuſpicionis argumentum arripiat, ut de Ithacenſis tabulae αὐθεντίᾳ, iterum addubitet. Verum enim vero, nonne & ipſa Latonia Delos, licet a M. TVLLIO *referta divitiis* appelletur [4], & a STRABONE dicatur τὸ ἐμπόρειον παντελῶς μέγα, καὶ πολυχρήματον, *emporium prorſus ingens, & opulentum* [5], attamen ab ORPHEO, ſeu verius ab

 ONO-

1 *De Oratore lib.* I.
2 *Epiſt.* I. VII.
3 *Odyſſ.* Δ.
4 *Pro lege Manilia cap.* XVIII.
5 *Geograph. lib.* XIV. SPONIVS in *Miſcell.* p. 344. Deliaca refert marmora, in quibus legitur Mercatores, atque imprimis bene nummatos Tyrios ſuum Conlegium illic habuiſſe. Η. ΣΥΝΟΔΟΣ. ΤΩΝ. ΤΥΡΙΩΝ. ΕΜΠΟΡΩΝ. ΚΑΙ. ΝΑΥΚΛΗΡΩΝ. &c.

ONOMACRITO in Argonauticis [1] τραχεῖα, καὶ πετρώδης ἡ νῆσος, *aſpera, & ſaxoſa Inſula* nuncupatur? Nonne a PINDARO Dorica dialecto κραναὰ Δᾶλος, [2] totaque Inſula ab AESCHYLO δηλία χοιράς [3] vocatur? Tandem accinit auctor ctor hymnorum Homericorum, qui Delo ſic affatur [4]:

Χειρὸς ἀπ᾽ ἀλλοτρίης, ἐπεὶ οὔ τοι πῖαρ ὑπ᾽ οὖδας

Manu ab aliena (colendus es) *quoniam non eſt tibi fertile ſolum.*

Nihilominus ſicuti haec petricoſae, aſperaeque telluris conditio impedimento minime fuit in Delo, quin Nicias agrum reperiret utcumque frugiferum, ex quo proventus percipi poſſent ſacrificio quotannis apparando; ita conjicere merito licet, neque etiam in Ithaca adeo exile, & macrum fuiſſe ſolum, ut ſacer ille fundus Dianae nullos ederet fructus. Imo vero, ſi talis fuerat Deliacius; ſoli ſimilitudo, ita ea favet Ithacenſibus, ut ambigi nequeat aut de agri *exiſtentia*, aut de marmoris antiquitate. Adde huc, Vlyſſem ipſum patriam ſuam, quam certe bene cognitam habebat, etſi inter ſcopulos, atque inter aſpreas rupes poſitam, nihiloſecius *pinguem* appellaſſe [5],

Ὅππως νοστήσῃ Ἰθάκης ἐς πίονα δῆμον.

Quomodo rediret Ithacae in pinguem populum.

Quo loco δῆμον figurate dixit pro χώρῳ, proque regione incolas, more poetico, nominavit. Re etenim vera ſunt regiones aſperae, praeruptae, ſaxoſae, quae etſi laetis, ac luxurioſis paſcuis careant, ut Ithaca, alios tamen affatim ferunt terrae fructus, qui quoniam plurimi veneunt, popula-

1 Confer HADRIANI HERINGA libellum ſingularem *Obſervationum Criticarum cap.* XI.
2 *Iſthm. Ode* I.
3 *Eumenid. v.* 9.
4 *Hymn. in Apollinem. v.* 60. Vid. RVNKENIVM *in Homerid. Hymn.*
5 *Odyſſ.* Ξ.

pularibus largas opes, adeoque decimas opimas Diis ſolvendas ſuppeditant.

His ita, niſi me fallo, haud omnino infeliciter explicatis, caetera nunc ordine perſequar, quae huc facere videntur. Plerique Graecorum antiquitatum ſcriptores, hanc ſuſceperunt opinionem, vetuſtiſſimos populos tantam his agris adhibuiſſe reverentiam, ut ab illis excollendis abſtinerent, & ligonem, batillum, raſtrum, vomerem ab eiſdem procul eſſe juberent. Adducuntur autem THYCYDIDIS verbis quibuſdam non ſatis, ut reor, perſpicuis. Dicam quod res eſt. Quum duriſſimum inter Lacedaemones, & Athenienſes exardeſceret bellum, illi quidem Polyarcem cum aliis legatis Athenas miſerunt, qui de pace agerent, deſponderentque, Lacedaemones arma impoſterum non illaturos, ſi Senatus decretum reſcinderet contra Megarenſes latum, quo inter caetera ab omnibus prohibebantur Athenienſium portubus. Obſtitit, acriterque adverſatus eſt Pericles, cujus partibus ſuffragatores magno numero ſe ſe adjunxerunt, & decretum concordi plane animo non eſſe revocandum ſanxerunt; **ἐπικαλοῦντες ἐπ' ἐργασίαν Μεγαρεῦσι τῆς γῆς τῆς ἱερᾶς**, quae ita verti ſolent: *crimini dantes Magarenſibus, quod exercerent terram ſacram* [1]. At tantumne, tamque nefarium piaculum putari poterat agrorum ſacrorum **ἐργασία**, & cultura, ut ob id unum Athenienſes nollent in Megarenſium amicitiam redire? Ego equidem THVCYDIDEM Athenienſem, etſi rerum patriarum ſcientiſſimum, hoc tamen loco aut fama deceptum putaverim, aut verbis minus accommodis (quod alibi quandoque fecit [2]) rem expoſuiſſe. Vt autem ab hujus inſignis hiſtorici ſententia prorſus abſcedam, facit conditio, atque natura ipſius regionis, quam Megarenſes excoluiſſe tradit. PLVTARCHVS eam ipſam Lacedaemonum legationem, Athenienſium repulſam, culpamque, quam hi in Megarenſes conferebant, memorans, terram-

1 *De Bello Pelopon. lib. 1. p. m. 93.*
2 V. NAVMANNVM *de lectione Thucydidis.*

ram illam appellat τὴν ἱερὰν ὀργάδα [1]. Quo loco exſtiterit a nullo ſic definite accepimus, quam ab Helladio, qui illam in Chreſtomathia his verbis deſcripſit: ὅτι ὀργὰς μὲν κοινῶς πᾶσα ἡ γῆ, ὅση ἐπιτηδεία πρὸς καρπῶν γονάς. ὀργάδα δὲ ἰδίως ἐκάλουν οἱ ἀθηναῖοι τὴν ταῖν θεαῖν ἀνειμένην τῆς ἀττικῆς μεταξὺ καὶ τῆς μεγαρίδος. *Orgas quidem communiter dicitur omnis tellus, quae eſt apta ad fructus producendos. Orgada proprie Athenienſes vocaverun terram, quae eſt inter Atticam, & Megaridem, duabus Deabus* (Cereri, & Proſerpinae) *ſacratam* [2]. Atqui eos potiſſimum fructus Orgas egerminabat, qui ex locis nemoroſis, multiplicique plantarum genere refertis percipi ſolent. Regio nempe, quae ὀργάδας nomine donabatur, non campus frumentarius, aut pinguis paſtio fuerat, ſed potius vernans, umbroſaque ſylva; quemadmodum myſteriorum illic peragendorum inſtitutio, atque indoles poſcebat. Hinc ſapienter dixit Magnus Etymologvs: ὀργάδες δὲ οἱ σύμφυτοι τόποι, *orgades ſunt loca arboribus conſita* [3]: ut proinde vox illa ὀργὰς, non *ager*, aut *terra* verti debeat, ſed rectius *lucus*. Viderat id probe laudatus Plvtarchvs, qui eapropter conſiderate, proprieque dixit, Athenienſes crimini Megarenſibus dediſſe non τὴν ἐργασίαν τῆς ἱερᾶς γῆς, ſed τὴν ἀπότμησιν τῆς ἱερᾶς ὀργάδας: & Periclem cum Areopagitico Senatu repudiaſſe amicitiam Megarenſium, eo quod ſciviſſet, eoſdem **ΑΠΟΤΕΜΝΕΣΘΑΙ** τὴν ἱερὰν ὀργάδα, *caecidiſſe ſacrum lucum* [4]. Jam vero nemini dubium eſſe poteſt, hanc lectionem Thucydideae narrationi eſſe anteponendam. Tanta ſiquidem fuerat Ethnicorum erga τὰς ἱερὰς ὀργάδας *ſacros lucos* obſervantia, tantaque religio, ut nihil ex his depravare, excidere, temerare auderent. Cujus inveteratae, omniumque gentium doctrina obfirmatae ſuperſtitionis cum infinitae in antiquorum libris

1 *In Pericle*.
2 Apud Photivm *Biblioth. p.* 1591.
3 *H. v.*
4 *Loc. cit.* Sunt qui ἀποτέμνεσθαι reddunt *intervertiſſe*, ſed perperam, ineptequе.

libris ſuccurrant teſtificationes, tum illud maxime memorandum, quod eſt apud LVCANVM in III. *Pharſaliae* de Luco ſacro Maſſilienſium. Hunc ſiquidem quum a ſuis excidi, deiicique juſſiſſet Caeſar, tantus continuo in animos militum horror inſiliit, ut ad unum omnes vererentur ſaevam vibrare bipennem, eamque inviolandis arboribus admovere: ſcilicet mentibus firmiter conceptum, ac defixum habebant, tantum nefas ſe non impune laturos.

Hanc jubet immiſſo ſylvam procumbere ferro.
Sed forte tremuere manus, motique verenda
Majeſtate loci, ſi robora ſacra ferirent,
In ſua credebant redituras membra ſecures.

Ac ne in re certiſſima, multumque explorata documenta accumulem non neceſſaria, lectorem, adire jubebo PETRITZIVM [1], ESCHENBACHIVM [2], MAGNVM [3], DRESLERVM [4], NEVFELDTVM [5], & HAVPTMANNVM [6], a quibus magna exemplorum, teſtiumque copia demonſtratum eſt, quam ſuperſtitioſo cultu veteres populi lucos Deorum, ac ſacras, & incaeduas illorum arbores revererentur. Quibus ex rebus intelligi poteſt, Megarenſes ſacri nemoris exciſione vero ſe contaminaſſe flagitio, veramque admiſiſſe noxam, ob quam ab Athenienſibus a foedere repellebantur. Falſum igitur in culpam, odiumque Cecropidum illos veniſſe, quod agros ſacros excoluiſſent; quos imo coli, & exerceri conſueviſſe novimus, (non ſecus atque Ithacae factum, tabula docet) ut opes exinde ſuppeterent ſive ſacrificiis cum pompa peragendis, ſive aedibus inſtaurandis.

Alia

---

1 *Diſſert. de Lucis, ſacriſve nemoribus.*
2 *Diſſert. de conſecratis Gentilium Lucis.*
3 *Diſſert. de Lucis Gentilium.*
4 *Diſſert. de Lucis religioni Gentilium conſecratis.*
5 *Commentatio de Idololatria Gentilium ſylveſtri, & Lucis religioſis.*
6 *De origine lucorum Commentatio.*

Alia demum fuit ſacrorum agrorum proprietas, ſcilicet ut tamquam loca Divino jure munita, ac vallata cenſerentur, & tutum, ſanctumque perfugium hominibus praeberent. Multa jam de *Gentilium Aſylis* docte, eruditeque commentati ſunt OISANDER [1], GOEZIVS [2], LIEBNERVS [3], GVASCHVS [4], & SIMONIVS [5]; ſed ne ab aliis occupata iterare, atque recudere videamur, nihil de jure aſyli templis, aris, lucis, urbibus [6] attributo inquiram, ea tantummodo, quae ad ſacra attinent latifundia, delibabo. Nihil ferme Graecis olim ſic religione, uſuque perſuaſum, quam homini, qui alterum fortuito exanimaſſet, eique lucis, & vitae uſuram eripuiſſet, hoc patere perfugium, ſi ſe in *agrum ſacrum* recepiſſet, quod hic putaretur **γῆ ἀνεκβίαστος**, *inviolabile ſolum* [7]. Id tamen nemo praeſtantius, ac diſertius explicavit, quam STRABO, cujus narrationem diligenter juverit ponderare. Fuerat prope Antiochiam amplum, *& ambitioſum ſuburbium*

---

1 *De Aſylis Gentilium.*

2 *Diſſert. de Aſylis.*

3 *Diſſert. de Aſylis.*

4 *Diſſertation ſur les Aſyles tant ſacrès, que Politiques. Diſſertation. Tom.* II.

5 *Hiſtoire de l' Academie des Inſcript. Tom.* III.

6 Eſt nummus Tiberii Sicyone cuſus, in quo legitur, ΣΙΚΥΩΝΩΝ ΤΗΣ ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΣΙΛΟΥ. HARDVINVS *in num. Pop. & Vrb.* verebatur GOLTZIVM fuiſſe hallucinatum, ac fortaſſe nummo inſcriptum, ΣΙΔΩΝΙΩΝ. Vidimus hoc ipſum numiſma typi nitidiſſimi, perſpicuiſque characteribus exaratum, ex quo certo certius deprehendimus, ad Sicyonios, nequaquam vero ad Sidonios illum pertinere. Neque cogitando aſſequi poſſum, quid HARDVINO dubitationem, ac faſtidium crearet. Num Sicyon ab ea praerogativa excluſa, quam Samoſatae, Nicomediae, Caeſareae, Tyro, Antiochiae, Laodiceae, Apameae, Lappae, aliiſque civitatibus tributam eorum nummi demonſtrant? Adiſis immortalem NORISIVM, *De Epoch. Syro-Macedon. Diſſert.* IV. VAILLANTIVM *Nummi Graece loquent.* SPANHEMIVM *de uſu, & praeſt. Num. Diſſert.* IX.

7 SCHOLIASTES HOMERI *in Iliad. O.* Negatum quandoque aſyli privilegium, facinoroſis, & ſceleſtiſſimis hominibus, ut illorum pervicax audacia, quae fidentiae finitima eſt, coerceretur. Ita Calliſtrato capitis damnato, etſi aram XII. Deorum tenuiſſet, Athenis quondam accidit, quemadmodum tradit LYCVRGVS in oratione contra Leocratem. *Inter Orator. Graecos* HENR. STEPHANI.

bium [1], quod ex lauris, & cypariſſis ibi frequentiſſimis *Daphnes* nomen acceperat [2]. In eo Antiochus IV. dictus **Θεὸς Ἐπιφανὴς** nobiliſſimum templum Apollini, & Dianae ſacrum excitarat. Aſylum quoque illic erat, quo Onias III. Pontifex Judaeorum iniquiſſimis Menelai artibus loco, & officio deturbatus, gravioreſque in dies metuens inſidias, quamvis falſam inanium Deorum religionem averſaretur, ſe ſe recepit, ut ultimum ſibi impendens malum devitaret [3]. Ad perfugium autem eo in loco non ſolum ſanum, & nemus, ſed etiam intrapoſitos campos patuiſſe contendo, quod ipſa Geographi verba non perſuadent modo, ſed prorſus evincunt. Inquit ille: **ὑπέρκειται δὲ τετταράκοντα ϛαδίοις ἡ Δάφνη κατοικία μετρία, μέγα δὲ καὶ συνηρεφὲς ἄλσος διαῤῥεόμενον πηγαίοις ὕδασιν· ἐν μέσῳ δὲ ἄσυλον τέμενος, καὶ νεώς.** *Superius eſt ad XL. ſtadia Daphne: Ibi mediocris abitatio; ingens autem ſylva opaca, & praeterlabentibus fontalibus aquis irrigua. In medio ſeparatum aſylum, & templum* [4]. Tria hic perſpicue, vereque diſtinguit Strabo, videlicet primo **ἄλσος**, deinde **ἄσυλον**, poſtremo **νεών**. Igitur licet unumquodque iſtorum a Daphnenſibus peraeque ſanctum, inviolabile, nulloque auſu temerandum putaretur; attamen aliquid diverſum a luco, & templo fuerat locus aſyli, qui **ἐν μέσῳ** luci ſtatuitur. Ex quo neceſſario conſequitur, certam, determinatamque Daphniticae terrae partem in medio exſtitiſſe, quae non eſſet ſylvoſa, proindeque ab ipſo luco diſſimilis, jure aſyli donata. Quid vero toto illo *octoginta ſtadiorum* ſpatio (ejuſmodi quippe erat loci amplitudo) continere, complectique ea poterat, praeter **Ἱππόδρομον**, & **ϛάδιον ἀγωνιϛικὸν** [5], niſi hortos, vineas, ſata, verbo dicam, agros vecti-

P. II. X gales

1 Ammianus Marcellinus *lib.* xix.

2 S. Hyeronimus *in Ezechielem. Cap.* xlvii.

3 Liquet ex Divina, & Canonica hiſtoria Macchabaeorum *lib.* i I. *c.* iv.

4 *Lib.* xvi.

5 Latiſſimum illic exſtitiſſe campum, qui ſe in patentem planiciem porrigeret, teſtantur ipſi Antiochi ΘΕΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥ nummi, in quibus ſae-

giles [1] , ex quibus vel Antiocheni , vel Daphnenſes decumas , primitiaſque perciperent , Apollinis , & Dianae templo deferenda , ac penſitanda ? Haec ita in promptu ſunt, ut diſputatione profecto non egeant . At quandoquidem Ithacenſis lapis , quem interpretamur , uni Dianae inſcriptus, dedicatuſque fuerat , binos , agros , qui vetere memoria ob aſyli privilegium in ſummam venerant celebritatem, ſuſceptae diſputationi conſentaneum erit , recensere . Alter Epheſi fuerat , alter Hierocaeſareae : utriuſque expreſſa mentio eſt in nummis Otaciliae , & Plautillae , qui ea epigraphe inſigniuntur : **ΑΡΤΕΜΙC ΕΦΕCΙΑ ΑCΥΛΟC . ΑΡΤΕΜΙΔΟC ΠΕΡΓΑΙΑC ΑCΙΛΟΥ** . Poſtquam duo illa templa in mox memoratis urbibus ob ſingularem Deae religionem *ἀσυλίας* honorem , dignitatemque fuerant adepta , additus utrique eſt circumquaque campus , qui eadem ſanctitate gauderet . Ac licet mutari , imminui , augeri interdum contigerit ejuſmodi camporum limites ; fuit tempus , quum ager templi Epheſini ad integrum ſpatium procurreret , [2] Hierocaeſarenſis vero ad duo millia paſſuum [3] . Quum autem

ſaepenumero viſitur vel *biga* concitato Equorum curſu , vel *tripus* , vel *Jupiter Olympius* coronam portendens , cum lemmate ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΠΡΟΣ ΔΑΦΝΗΝ . Quid , imquam , praeſeferunt , ipſiſque oculis objiciunt haec ſymbola , niſi *Ludos Olympios* in Daphne ab Antiocho inſtitutos , & praemia certaminum ? Sane non poterat illic hippodromo , innumeriſque ſpectatoribus eſſe locus , niſi laxus , omnique ſtirpe vacuus , & liber patuiſſet campus . Ideoque hoc etiam nomine falli mihi videntur , qui Daphneum aſylum totum arboribus conſitum crediderunt . De mox recenſitis nummis conſule aureum vere opus P. ERASMI FROELICHII *Annales Rerum* , *&* *Regum Syriae* . *Antioch.* IV. *Tab.* VII.

1 Pompejum M. loci amoenitate captum Camporum Daphnenſium pomoerium novis additis agris amplificaſſe , auctor eſt EVTROPIVS *lib.* VI. *cap.* XI.

2 STRABO *lib.* XIV.

3 TACITVS *Annal. lib.* III. §. 62. Praeter urbes , campoſque his adjectos , integrae quandoque regiones Deorum ſanctitatis , & juris confugii participes cenſebantur , ut de Samothracia perhibet LIVIVS *lib.* XLV. *c.* V. Atqui ita creverat Graecas per urbes licentia , atque impunitas ſta-

tem civitatum illarum incolae id ſine dubitatione retinerent, quod erat a caeteris Graeciae populis conſtanti more uſurpatum, credibile omnino eſt, fructum aliquem ex hiſce agris illos quaeſiviſſe, non autem neglectos, incultoſque dimiſiſſe. Sed qua ratione ſacrorum agrorum cultioni Graeci proſpicerent, videamus.

ſtatuendi aſyla, inquit TACITVS *l. c.* ut nullum pene imperium jam ſufficeret ad flagitia coercenda. Quare decretum a Tiberio, ut unaquaeque urbs ſuos legatos Romam mitteret, qui palam docerent, demonſtrarentque, unde Civitates eorum auguſti, & inviolati ſoli praerogativam repeterent. Nulli Deorum in hac controverſia plus tributum, quam uni Dianae fuit; quatuor quippe urbes ex vetuſtiſſima hereditaria, tralatitia hujus Numinis religione ἀσυλίαν in Senatu tutari conati ſunt. Epheſii Dianam Polymammiam appellarunt, Magnetes Leucophrynen, Hierocaeſarienſes Perſicam, Sardiani Geloenem. TACIT. *ibi*.



§. II.

TONEXONTA KAI KAPΠOYMENO..

τὸν ἔχοντα, ϗ καρȣ́μενον.

NE itaque id genus latifundia ſilveſcerent, ſed fructum quaeſtumque exoptatum praeberent, **ὁ ταμίας τῶν ἱερῶν χρημάτων**, Curatorve aerarii ſacri illa certis pactionibus Colonis elocabat, qui terram jugi cultura exercerent. Intelligi id quidem, deprehendique facile poteſt ex Harpocratione, quem paullo antea adduximus. Similium porro locationum exemplum luculentiſſimum ſuppeditat Marmor Sandvicenſe; hujus quippe tabulae, quam Taylorus rationarium P. Athenienſis merito nuncupavit, [1] titulus ſextus, ac ſeptimus ejuſmodi ſunt: **Μισθώσεις τεμένων ἐξ Ρηνείας**, *locationes agrorum ſacrorum ex Rhenea* - **Μισθώσεις τεμένων ἐκ Δήλω**, *locationes agrorum ſacrorum ex Delo*, Sed duo multo ſplendidiora ex variis, in quae incidimus, ſcriptorum Graecorum teſtimonia addidiſſe praeſtabit. Primus itaque eſto graviſſimus orator Isocrates, qui eam conſuetudinem ſuorum popularium mentibus alte inſitam fuiſſe demonſtrat. Siquidem optimum, atque ordinatiſſimum Athenienſis Reip. ſtatum deſcribens, inter caetera civium pietatem, religionemque commendat, propterea quod **ἐν δὲ τοῖς ἁγιωτάτοις τῶν ἱερῶν, ἀπὸ μισθωμάτων ἔθυον**; *in templis autem religioſiſſimis de locationis reditibus ſacrificabant* [2]. Mirum etiam in modum ad id, quod propoſuimus, proficit Platonis ſcitum, qui agrorum ſacrorum locationem, conductionemve conceptis verbis decernit, adminiſtrum vectigalibus, & proventibus exigendis aſſignat, & qua ratione redditus impendi, dividique fas ſit, apte praeſcribit. Eſt haec igitur ejus oratio.

τα-

1 *Comment. & not. ad Marm. Sandvicenſ. n. 2.*

2 *In Oratione Areopagitica.*

ταμίας τῶν τε ἱερῶν χρημάτων ἑκάστοις τοῖς ἱεροῖς, ϗ τεμένων, ϗ καρπῶν τούτων ϗ μισθώσεων κυρίους, ἐκ τῶν μεγίστων τιμημάτων, τρεῖς εἰς τὰ μέγιστα ἱερὰ, δύο δ' εἰς τὰ μικρότερα πρὸς δὲ τὰ ἐμμελέστατα ἕνα; *Quaeſtores ſacrae pecuniae in templis ſingulis conſtituuntor, qui agrorum Diis dedicatorum, & fructuum ex iis, conductionumque, & locationum habeant poteſtatem. Illi vero ex maximi cenſus ordine ad majora templa tres; ad minora duo; ad ea, quae anguſta, & minima ſunt, unus eligitor* [1]. Neque tamen ea agrorum ſacrorum locatio verae, propriaeque poſſeſſionis titulum excludebat, aut labefactabat. Nam quemadmodum ad Gaii Inſtitutiones adnotavit Schvltingivs, *locatio, & conductio proxima eſt emptioni, & venditioni, iiſdemque regulis juris conſiſtit, ut ait ipſe Gaius lib.* II. *Rer. quotidianar. l.* 2. *D. locat; quod Theophilus reddit:* ἔοικε τῇ πράσει ϗ τῇ ἀγορασίᾳ, ϗ διὰ τῶν αὐτῶν πρόεισι κανόνων. [2] Quiſquis ergo Ithacenſem agrum Dianae ſacrum conduxiſſet, atque ex eo hoc nomine fructus coepiſſet, jure optimo, & ad ipſam legum normam *poſſeſſor* appellabatur, uti in hoc elegantiſſimo marmore factum conſpicimus. Quum tamen verbo ἔχω multiplex ſubſit ſignificatio, illudque etiam reddi commodiſſime queat, *habeo*, *retineo*, *adminiſtro*; auctor inſcriptionis duo illa ἔχοντα, ϗ καρπούμενον de induſtria videtur conjunxiſſe, ut omnia pactionum, & conventionum genera complecteretur, quibus agri concedi, elocarive poſſunt, eaque particula ἔχοντα de perpetua decimarum penſitatione provideret, quoquomodo agri dominium, uſumve quis nanciſceretur. Caeterum quiſquis id genus agros conducebat, utendi, fruendique illi jus erat, quod apertiſſime conductoribus agrorum Bacchi attribuunt Tabulae Heracleoticae *Tab.* I. *v.* 52. μισθωσάμενοι καρπεύσονται. Ac ſi quid Romanis legibus concedendum, eodem pertinet *l.* 4. *de locatione fundorum juris Emphyteutici*, & *Reip.*

---

1 *De legibus lib.* VI.

2 *Juriſprudentia Anti-Juſtinianea Caii Inſtit. lib.* II. *tit.* IX.

Reip. & Templorum a Gratiano lata Merobaude, & Saturino Coſſ. - *Vt quiſque conductor, fuerit inventus poſſeſſor fundi, qui ex templo deſcendit*.

Sed, quae mox recitavimus PLATONIS verba eo me vocant, ut de magiſtratu, qui ſacris agris praeficiebatur, aliquanto fuſius inquiram. Si enim perſpicue, nitideque conſtituatur, quis antiquitus fuerit **Ταμίας τῶν ἱερῶν χρημάτων**, quae illi a Graecis tributa auctoritas, quae illius extiterint partes, decimarum ſolutio, exactio, errogatioque, quae in lapide conciſa oratione indicantur, pleniſſime indidem intelligentur. Itaque **ταμίου** *Quaeſtoris* munus quemadmodum apud Romanos, ita penes Graecos omnium prope Magiſtratuum, officiorumque vetuſtiſſimum fuit. Nam ſi Quaeſtores, TACITO [1], & VLPIANO [2] auctoribus, Romae creati ſunt, Regibus adhuc imperantibus, eoſdem Athenis, quum adhuc rerum ſumma Reges potirentur, fuiſſe inſtitutos, animadvertit SIGONIVS [3]. In eo praeterea mutuo conſpiraſſe videtur utraque natio, ut Quaeſtoribus eadem prorſus munia imponeret obeunda. Siquidem quamvis varia in Vrbe principe fuerit hujus magiſtratus forma [4], attamen liquet Quaeſtoribus P. R. demandatum fuiſſe, ut monetam publicam cuſtodirent, pecuniam ex manubiis, ſeu praeda divendita in aerarium importarent, vectigalia Provinciarum in tabulas referrent, multas irrogatas, decimas portorii, vel ex agris, ſylvis, paſcuiſque publicis debitas exigerent, belli apparationem, militumque ſtipendia curarent, epiſtolas Principum in Senatu legerent [5] &c. Atqui

1 *Quaeſtores regibus etiam imperantibus inſtituti ſunt: quod lex Curiata oſtendit a L. Bruto repetita*. Annalium lib. XI. num. 22. *edit*. ERNESTI.

2 *Lib. ſingul. de Officio Quaeſtoris*.

3 In opere *de Repub. Athenienſium lib.* I. *cap.* III.

4 CAMPIANVS *de Offic. & Poteſt. Magiſtrat. Romanor. ad tit. de Offic. Quaeſt.*

5 Excuſſa haec omnia diligentiſſime ſunt ab ERARDO REVSCHIO *de Populi Rom. Quaeſtoribus, ac potiſſimum de eorum ortu, numero, & muniis,*

qui eadem novimus, τὺς Ἑλληνοταμίας praeſtitiſſe. Hinc ſicuti in Latinis ſcriptoribus, monumentiſque ſaepe eos titulos offendimus: QVAESTORES *ab Aerario*, *Arkae publicae*, *Pecuniae*, *Alimentorum*, *Collegii Centonariorum*, *Litium dijudicandarum*, *Vrbani*, *Provinciales*, *Canditati Principis &c.* ſic in Graecis, praeter varia nomina, quibus ob officii varietatem ταμίαι donabantur (nimirum ἀποδεκταὶ, ἀποδεκτῆρες, χρεωςαὶ, κυβερνῆται, λογιςαὶ, κολακρέται) legere eſt: Ταμίας τῆς πόλεως, τῆς διοικήσεως, τῶν ςρατιωτικῶν, τῶν τριηρῶν, τῶν θεωρικῶν &c. [1] Verum id peculiare, propriumque Graecorum fuerat, ut Quaeſtorem quemdam deputarent, qui praeſertim ſacrarum aedium proventus, cenſuſque adminiſtraret, frugum decimas, aut pecuniam, ſi qua Diis offerebatur, in quos oporteret, uſus prudens erogaret. Et quoniam nihil propemodum a Graecis religionis ſtudio praeclare peractum, cujus exemplum ab Athenienſium inſtitutis repeti non liceat; primo quidem vetuſtiſſimi, & elegantiſſimi gentis illius Oratoris ANDOCIDIS locum ſubjeciſſe juverit, qui primus videtur hujus praeclari officii meminiſſe, dum immunitates quaſdam attribuit: περὶ τῶν ἐπιγεγραμμένων εἰς τὺς πράκτορας ἢ τὺς Ταμίας τῆς Θεᾶ ϰ̀ τῶν ἄλλων Θεῶν; *illis, qui adſcripti fuerant inter exactores, aut inter Quaeſtores Minervae, & aliorum Deorum* [2]. Quemadmodum vero Athenis nutrix, & tutela publicae incolumitatis inde a rerum Atticarum primordiis Minerva habita fuerat, mirari minime omnium debemus, quod poſt AN-

---

riis, M. A. FERRATIO *epiſt. de Quaeſtore*; CHRIST. DONATO *Exercit. de Aerario Romano*; FRIDERICO FRANCKENSTEINIO *Diſſertationes de Aerario Pop. Rom.* BVRMANNO *de Vectigalibus Pop. Rom.* JOH. FRIDERIC. MAGERO *de Candidatis Principis*; tandemque ab eo, cujus pectori ſe tota infudit antiquorum ſapientia MAZOCHIO V. *Tabulas Herclaeenſes Comment. in Digeſt. leg. Rom. part.* II. *pag.* 341. *ſeq.*

1 SIGONIVS *de Rep. Athen. lib.* IV. *cap.* I. I. Loca exſcripſit EMMIVS *de Rep. Athen. Vid. Marmora Oxonienſia* edit. MAITTAIRE *Inſcript.* XXV.

2 *Orat.* περὶ μυςηρίων.

Andocidem Demosthenes [1], Aeschines [2], Pollvx [3], Quaeſtori τῆς Ἀθήνης, quae illic καθ' ὑπερβολὴν ἡ Θεὸς dicebatur, *primas* ſemper conceſſerint. Caeterum ubi hi memorant, ſive τὰ χρήματα πολλὰ τῆς Θεȣ̃ καὶ τῶν Θεῶν, *pecuniam multam Minervae, & Deorum*, ſive τὰ κτήματα τῆς Θεȣ̃ καὶ τῶν ἄλλων Θεῶν, *poſſeſſiones Minervae, & aliorum Deorum*, ſive denique τὰς δεκάτας τῆς Θεȣ̃, καὶ τὰς πεντηκοστὰς τῶν ἑτέρων Θεῶν *decimas Minervae, & quinquageſimas reliquorum Deorum*; continenter talium rerum quaeſitorem, exactoremque nominant τῆς Θεȣ̃, τῶν Θεῶν, ut ex universa orationis textura colligatur, pecuniam, poſſeſſiones, decimaſque ſacras in procuratione peculiaris cujuſdam Miniſtri fuiſſe.

Jam nihil in Latinis officiis invenio, quod cum hac ſacra Graecorum Quaeſtura revera conveniat, fortaſſe quia ſacrarum aedium Curatori apud Latinos totum hoc munus demandaretur. Nam quod efferunt vetera marmora - QVAESTOR AB AERARIO SATVRNI [4]. QVAESTOR AERARII SANCTI ET SATVRNI [5], nihil ad rem pertinet. Fuerat equidem in aede Saturni inſigne aerarium; ſed illud nequaquam in Dei honorem, ejuſque ſacra impendendum; totum enim ad Populum pertinebat, qui aedem illam ad publicam pecuniam condendam, cuſtodiendamque non alia de cauſſa delegerat, niſi quia in loco undique ſepto, & ab omni acceſſu munitiſſimo a Valerio Publicola fuerat extructa [6]. Quod ſi *Sanctum* quandoque appellatum legimus, facile Salmasio credam, id tum temporis inceptaſſe, quum Romani fortuna, opibus, triumphis, ampliſſimoque imperio ela-

1 *Orat. in Timocratem*.
2 *Orat. in Timarchum*.
3 *Lib.* VIII. *cap.* IX.
4 Gvdivs *Inſcript.* CXXXI. 3.
5 *Giornale de Letterati d' Italia tom.* VII. *Inſcript. Agri Patavini*.
6 PLVTARCHVS *in Publicola*. Macrobivs *Saturnal. lib.* I. *cap.* VIII. Confer paullo ſupra laudatos Scriptores *de Aerario P. R.*

elati, in eam venerant arrogantiam, ut quaecumque ad ſe pertinerent, ſancta, ac divina vocitarent [1]. Vel potius ſanctum in antiquis monumentis nuncupari aerarium exiſtimaverim, ea ratione, qua APPIANVS ALEX. τὰ ἱερὰ χρήματα dixit theſauros, a R. P. Nemis, & Tibure aliquando adſervatos [2], & ATHENAEVS τὸν ἱερὸν σῖτον appellavit frumentum, quod Paraſiti adnotabant, publiciſque epulis concelebrandis diſtribuebant [3]. Quia quae publicis uſibus ſunt deſtinata, ipſo jure Gentium ſancta, ideſt inviolanda, & a nullo privato temeranda evadunt. *l. bona civit. de verb. ſignif.* Vel ea nominis ſignificatio repeti poterit ex eo, quod reſcripſit conſultiſſimus MARCIANVS *l. ſanctum ff. de diviſione rerum. Sanctum proprie dici, quod ab injuria hominum defenſum, atque munitum eſt*; quemadmodum fuerant theſauri, & frumenta juris publici. Sed quantopere ſanctum P. R. aerarium diſtet a ſacra illa pecunia, quae ex decimis, primitiiſque colligebatur, totaque ſacris obeundis hauriebatur, nemo non videt. Proindeque οἱ ταμιαὶ τῶν ἱε-

1 In LAMPRIDIVM in *Diadum. cap.* IV.

2 *De Bello Civili lib.* V.

3 *Deipnoſoph. Lib.* VI. Paraſitis id officii maxime attribuit LAKEMACHERVS *in Antiquit. Graecor. ſacris Part.* II. *cap.* I., ut frumentum, quod ex arvipendiis, latifundiiſque coelitibus conſecratis proveniebat, colligerent, adſervarent, diſtribuerent. In quam ſententiam, ut credo, deſcendit permotus POLLVCIS, & ATHENAEI verbis, quorum prior *Onomaſt. lib.* VI. *cap.* VII. Paraſitorum officium τὴν ἱερὰν ὑπηρεσίαν, *ſacrum miniſterium* vocat, eoſque praepoſitos fuiſſe ſcribit, ἐπὶ τὴν τοῦ ἱεροῦ σίτου ἐκλογὴν, *ad ſacri frumenti collectionem*. Alter vero loco ſuperius citato dicit Paraſitorum nomen σεμνὸν, καὶ ἱερὸν, *venerabile, & ſanctum* olim exſtitiſſe. Sed adjunctum τὸ ἱερὸν, quod miniſterio, frumento, nominique Paraſitorum datur, minime efficit, quod LAKEMACHERVS contendit; accipique debet ea ratione, qua mox explicavimus: ſcitum quippe eſt, *Paraſitos* apud Graecos eadem obiiſſe munia, quae apud Romanos *VIIviros Epulones*, quorum erat ſacrificium epulare, conviviaque publica curare. Sacrum, ideſt *publicum* frumentum in his impendebatur, ſacrique, ideſt a populo colendi erant hujuſce celebritatis adminiſtri, quibus tamen nihil erat cum ſacrorum reddituum Quaeſtoribus commune.

ρῶν χρημάτων, quos Plato in templis conſtituit, atque pro cenſu nunc plures, nunc pauciores eſſe decernit; quibus nulla alia auctoritas, & praefectura erat commiſſa, niſi ut fructuum conductionum, locationumve poteſtatem haberent; qui denique non populi curabant commoda, ſed Diis famulabantur, nihil commune cum Quaeſtoribus aerarii ſancti Romanorum habuerunt. Graecorum idcirco proprium, & unicum officium cenſeri merito poterit. Atque horum unum ſaltem in Ithaca ſacris Dianae reditibus praefuiſſe veriſimillimum videtur.

§. III.



ex Peloponneso, Alt. pal. R. 4: 2.

ſ. III.

ΤΗΝΜΕΝΔΕΚΑΤΗΝΚΑ¯ ΑΘΥΕΙΝΕΚΑΣΤΟΥΕΤΟΥΣ
τὴν μὲν δεκάτην καταθύειν ἑκάςυ ἔτυς.

PISISTRATVS omni eloquentiae genere, & flexanimo ſermone potens, poſtquam Athenienſes ita ſibi devinxerat, ut Solone repudiato, omnium ſuarum rerum poteſtatem ei libenter contradiderint; animadvertens, publicae rei intereſſe, ſi ſapiens, optimuſque ille Legislator, qui partim rerum novitate offenſus, partim periculis, quae ſibi imminere putabat, perterritus, peregre profectus erat, in patriam revocaretur; litteras ad Solonem dare conſtituit officii plenas, quibus ad reditum induceretur. Et quo facilius hominem aequi, bonique amantiſſimum alliceret, Soloni ſignificavit, nihil eſſe immutatum veterem illum, ab eo fundatum, & ad omnem felicitatem inſtructum Reip. ſtatum, leges ab eo latas adhuc ſervari, conditionem, fortunam, ſplendorem civium feliciter vigere. Vt autem prudentem, probamque Athenienſium agendi rationem illi perſuaderet, ita perſcripſit: *ἀπάγει δ' ἕκαςος Ἀθηναίων τῦ αὐτῦ κλήρυ δεκάτην, ὐκ ἐμοί, ἀλλὰ ὁπόθεν ἔςαι ἀναλῦν εἴς τε θυσίας δημοτελεῖς, καὶ εἴτι ἄλλο τῶν κοινῶν. Athenienſium ſinguli decimas frugum ſuarum ſeparant, non in uſus noſtros conſumendas, verum Sacrificiis publicis, & communibus commodis impendendas* [1]. Itaque jam tunc ad ordinatam publicae rei adminiſtrationem pertinere credebatur ea Decumarum penſitatio cujus perpetuitati Ithacenſes lege ſacrata caverunt. In quo abjecta omni cunctatione affirmo, hic etiam mire comprobari, quod alibi, VOSSIO, BOCHARTO, HVETIO, SPENCERO praeeuntibus, demonſtravi, nihil propemodum in Ethnicorum religione ad ſuperos, divoſque colendos invectum,

Y 2 ſan-

1 LAERTIVS *in Solone*. V. GOTHOFR. SCHMIDIVM *de Solone Legiſlatore*. JOH. FRID. MENTZIVM *de Solonis legibus*.

ſanctumque, fuiſſe, quod non ab Hebraeis revera dimanarit [1]. Nam unde ad Graecos decimarum inſtitutum profluxit, niſi ex moribus, praeceptiſque Judaicae gentis, cui perſuaſum, alteque cordi ipſa naturae voce defixum merito fuerat, Deum, qui omnia creat, format, animat, alit, auget, quique nutu, conſilioque ſuo temperat curſus, exituſque cauſſarum, *Decimas* frugum omnium quodam ſuo ſibi jure vindicare [2]? Adeo vero haec religio Graecorum animos pervaſerat, ut cultus, grataeque mentis teſtificandae gratia non fruges modo, ſed alia etiam naturae, vel fortunae bona beneficiorum memores, lubenteſque defferrent ante pedes Deorum. Ad decimas *praediales* quod attinet, nihil poteſt eſſe exploratius, atque perſpectius; eò ſiquidem collimant omnia ferme graviſſimorum ſcriptorum teſtimonia, quae

1 *De Sacris Chriſtianor. Balneis cap.* XVIII.

2 Decimas juris naturae vi, Deoque id ab hominibus depoſcente, Graecos, ac Romanos penſitaſſe, faſſus eſt ipſe GROTIVS *de Jur. Belli, & Pacis lib.* III. *cap.* VI., quippe qui multo aequior rerum fuit aeſtimator, quam ipſius nuperus enarrator COCCEIVS. Qui inani quodam verborum peribolo, & futili, diſtinctiuncula a GROTIO abſcedit, ut exinde ἀσυλλογίςως concludat, in novo foedere Chriſtianos nulla lege teneri ad decimas in pios uſos ſeponendas. (*Diſſert. Proemial.* III. *ad* GROTIVM *ſect.* III. §. 46.) Caeterum non illud mihi nunc imponitur onus, ut qui Graecas antiquitates ſumpſi interpretandas, de jure, & natura decimarum apud Hebraeos, & Chriſtianos ſermonem faciam. Probe teneo, JOS. JVSTVM SCALIGERVM *Diatrib. de Decimis in lege Dei*, SIXTINVM AMAMA *Tractat. de Decim.*, JOH. SELDENVM *Hiſtoria Decimarum*, PRIDEAVXIVM *Orat. de Decim. inter opp. Theologica*, DAVIDEM CLERICVM *de Dec. inter ejus Quaeſtiones ſacr.*, SAM. BASNAGIVM, *tom.* II. *Annal. Polit.*, CONRAD. HOTTINGERVM *Exercit. de Decim.* multa de decimarum origine, antiquitateque ex veterum ſcriptorum poenu repetita eruditiſſime protuliſſe, ſed eo omnes conſpirare, non ut Graecorum inſtituta patefaciant, ſed Catholicos inſectentur, reprehendant, vituperent. Quos ego ſi hoc tempore refutare, ac refellere aggrederer, a propoſito tota ratione longiſſime aberrarem. Quid vero contra invidos ejuſmodi diſputatores afferrem, quod non fuerit dudum ingenioſe, pie, docteque occupatum ab illuſtri viro JOHANNE DE VITA, qui dum illos malevolentiae, obtrectationis, levitatiſque coarguit, nihil integri caeteris hac in re dicendum reliquit? Vid. ejuſdem opus mox vulgatum: *De Origine, & Jure Decimar. Eccleſiaſticarum*.

quae in duobus ſuperioribus paragraphis recitavimus. Quorſum enim agri illi opimi, paſcui, fructuoſi dedicati, atque a conductoribus diligenter culti, niſi ut certa frugum pars Diis ſarta tecta ſervaretur? Relinquitur ergo, ut alia decimarum genera dicendo exequamur. Ne autem in tam copioſa, tamque varia, quae hinc emergit, diſputatione, ipſa varietas, atque copia rerum lucidum ordinem detrahat orationi, eaque vagari, & errare videatur, haſce decimas publica auctoritate Diis oblatas ad tria genera commodiſſime revocari poſſe exiſtimo. Aliae itaque ſolvebantur ex rebus bello partis, aliae ex vectigalium, commerciique proventibus, aliae demum ex bonis Fiſco addictis, & publicatis. Singula quam breviſſime expendam.

Marti equidem, cui jam a puero totius rei bellicae cuſtodia tutela, ac procuratio data fuerat, Graeci homines conſenſerunt, *δεκάτην ἀεὶ τῶν ἐκ τοῦ πολέμου περιγιγνομένων, decimam partem ſpoliorum bello partorum* [1] conſtanter fore ſolvendam. Sed quoniam adverſariorum exercitus devincere, copias eorum fundere, & profligare, victoriamque adipiſci etſi a Marte dextero expectaretur, tamen aliis etiam Diis vel patriis, vel tutelaribus acceptum referebatur; iiſdem decimas ex bello partis delatas, conſecrataſque legimus. Atque inter varia, quae ex vetuſtiſſimis monimentis repeti queunt hujus moris teſtimonia, commemorandum imprimis, quod eſt apud DIODORUM. Commune Graecorum poſtquam Perſas, duceſque illorum Mardonium, & Artabazum ad Plataeas partim proſtraverat, partim fugarat, ſuperis ſe gratum probavit, oblato Apollini, cujus opem ſe eſſe expertum rebatur, ex decimis ſpoliorum anathemate, quod numini de ſe benemerito eſſet cariſſimum. *οἱ δ᾽ Ἕλληνες ἐκ τῶν λαφύρων δεκάτην ἐξελόμενοι, κατεσκεύασαν χρυσοῦν τρίποδα καὶ ἀνέθηκαν εἰς Δελφοὺς, ἐπιγράψαντες ἐλεγεῖον τόδε:*

ΕΛΛΑ-

1 LUCIANUS *in Dialog. de Saltatione*.

ΕΛΛΑΔΟΣ ΕΥΡΥΧΟΡΟΥ ΣΩΤΗΡΕΣ ΤΟΝ Δ' ΑΝΕΘΗΚΑΝ
ΔΟΥΛΟΣΥΝΗΣ ΣΤΥΓΕΡΑΣ ΡΥΣΑΜΕΝΟΙ ΠΟΛΙΑΣ.

Graeci autem decimam ex ſpoliis delegerunt, aureumque tripodem inde conflatum in templo Delphorum cum hoc elogio (Apollini) *dedicarunt*.

Tutores Grajae poſuere haec munera gentis,
Servitii a patria cum repulere jugum [1].

Simili religionis officio celebrandi ſunt Elei, qui Piſaeis bello ſuperatis, & Piſa direpta, ex manubiis templum, ſignumque Jovis Olympii fabricarunt, cauſſamque dedicationis Clypeo aureo, quem tholo infixerunt, inſcriptam his verſibus declararunt:

ΝΑΟΣ ΜΕΝ ΦΙΑΛΑΝ ΧΡΥΣΕΑΝ ΕΚΕΙ, ΕΚ ΔΕ ΤΑΝΑΓΡΑΣ
ΤΗΣ ΛΑΚΕΔΑΙΜΟΝΙΟΙΣ ΣΙΜΜΑΧΙΔΟΣ ΓΕ ΤΕΘΕΝ
ΔΩΡΟΝ ΑΠ ΑΡΓΕΙΩΝ ΚΑΙ ΑΘΗΝΑΙΩΝ ΚΑΙ ΙΩΝΩΝ,
ΤΑΝ ΔΕΚΑΤΑΝ ΝΙΚΑΣ ΕΙΝΕΚΑ ΤΩΙ ΠΟΛΕΜΩΙ.

Ex auro phialam capta poſuere Tanagra,
Juverat hoc bello, quod Lacedaemonios,
Cecropidae, Argivique Duces, & Jonica proles,
Victores partis de ſpoliis decimam [2].

Ipſo autem jure belli, quo ſpolia, eodem obveniebat Victoribus pecunia, quae captivis redimendis a devictis impendebatur [3]. At qui ex ea decimas Palladi obtuliſſe Athenienſes

1 DIODORVS SICVLVS *Biblioth. lib.* XI.
2 PAVSANIAS *in primo Eliacorum cap.* X.
3 Confer, quae BARBEYRACIVS, & COCCEIVS adnotarunt ad GROTIVM *De Jure Belli, & Pacis lib.* III. *cap.* VII.

nienſes debellatis Boeotis, & Chalcidenſibus, prodit Herodotus: καὶ τῶν λύτρων τὴν δεκάτην ἀνέθηκαν, ποιησάμενοι τέθριππον χαλκέον. τὸ δὲ ἀριστερῆς χερὸς ἕστηκε πρῶτα ἐσιόντι ἐς τὰ προπύλαια τὰ ἐν τῇ ἀκροπόλι. ἐπιγέγραπται δέ οἱ τάδε.

ΕΘΝΕΑ ΒΟΙΩΤΩΝ ΚΑΙ ΧΑΛΚΙΔΕΩΝ ΔΑΜΑΣΑΝΤΕΣ
ΠΑΙΔΕΣ ΑΘΗΝΑΙΩΝ ΕΡΓΜΑΣΙΝ ΕΝ ΠΟΛΕΜΟΥ,
ΔΕΣΜΩ ΕΝ ΑΧΛΥΟΕΝΤΙ ΣΙΔΗΡΕΩ ΕΣΒΕΣΑΝ ΥΒΡΙΝ
ΤΩΝ ΙΠΠΟΥΣ ΔΕΚΑΤΗΝ ΠΑΛΛΑΔΙ ΤΑΣ Δ ΕΘΕΣΑΝ.

Decimam quoque redemptionibus (captivorum) *conſecrarunt, facta aerea quadriga . . . cum hac inſcriptione.*

Attica perdomitis acri ſub Marte juventus
Boeotum populis, Chacidicaque manu,
Damna rependerunt vinclis, & carcere coeco,
Quorum hae decimae ſtant tibi, Pallas, equae [1].

Idipſum poſt fortunatiſſimum ad Coroneam praelium, cujus meminimus in προθεωρίᾳ, accidiſſe nitide teſtatur Xenophon in quinto de Expeditione Cyri libro: ἐνταῦθα διαλαμβάνουσι τὸ διὰ τῶν αἰχμαλώτων γενόμενον ἀργύριον· καὶ τὴν δεκάτην, ἣν τῷ Ἀπόλλωνι ἐξεῖλον καὶ τῇ Ἐφεσίᾳ Ἀρτέμιδι, διέλαβον οἱ στρατηγοὶ τὸ μέρος ἕκαστος φυλάττειν τοῖς Θεοῖς. *Hic etiam pecuniam, ex captivis collectam partiti ſunt, eam vero partem, quae decimae nomine aut Apollini, aut Dianae Epheſiae vota fuerat, Duces acceperunt Diis conſecrandam.*

Venio ad alterum decimarum genus. Inter graviſſima vectigalia adnumeranda profecto ſunt, quae ex *Fodinis*, & *Portoriis* Principi obtingebant. Ad fodinas quidem quod attinet, non illas Fiſcus, ſimulac detegerentur, occupabat, ſed privatus quiſque, in cujus fundo eſſent, legitimo titulo illas retinere putabatur. Cujus rei argumentum, exemplumque

1 *In Terpſicore, ſive lib.* v.

que capi maxime poteſt ex STRABONE in Hiſpaniae deſcriptione, ubi ait: *ἐςὶ καὶ δὲ νυῦ τὰ ἀργυρεῖα οὐ μέν τοι δημόσια οὔτε δ' ἐνταῦθα, οὔτε ἐν τοῖς ἄλλοις τόποις, ἀλλ' εἰς ἰδιωτικὰς μετέςησαν ἐκτίσεις*, *nunc etiam ſunt argenti fodinae, non quidem publicae, neque hic* (in provincia Baetica), *neque aliis in locis, ſed in privatorum poſſeſſionem demigrarunt* [1]. Idem plane de Thraciarum auri fodinis contigiſſe ex AMMIANO MARCELLINO colligitur: *acceſſere ſequendarum auri venarum periti non pauci; vectigalium perferre poſſe non ſufficientes ſarcinas graves* [2]. Ex quo perſpici poteſt, auri ſodinas elocari conſueviſſe, impoſito vectigali, quod conductoribus prope intollerando eſſet oneri [3]. Quod quidem vectigal in CODICE THEODOSIANO *l. de Aurilegulis* dicitur *Canon Metallicus* [4]. Portorium autem quum dico, *τέλος τὸ ἐπὶ τῇ ὠνῇ διδόμενον*, *vectigal, quod pro mercibus* (invectis, atque evectis) *datur* [5], intelligo; quodque quemadmodum apud Romanos, ut ab ARBVTNOTIO obſervatum eſt [6]; pro temporum, merciumque conditione variis temporibus varium fuerat; ita apud Graecos, imprimiſque Athenienſes obtinuiſſe, quandoque vero imminutum, interdum etiam auctum fuiſſe, ex XENOPHONTE [7], DEMOSTHENE [8], aliiſque demonſtrarunt MEVRSIVS [9], atque SIGONIVS [10]. Jam vero tanta fuerat, tamque effuſa Graecorum in ſua numina religio, ut ex hiſce duobus vecti-

1 *Lib.* III.
2 *Lib.* XXXI. *cap.* VI.
3 BVRMANNVS *de Vectig. P. R. cap.* VI.
4 X. *Cod. tit.* XIX. *de Metallis*, & *Metallariis Valentiniani*, & *Valentis Reſcript. ad Creſconium Comitem S. Largit.*
5 HARPOCRATION in v. ἐπωνία.
6 *Tabulae Antiquae Menſurarum*, & *ponderum*. *Diſs.* II. *cap.* XV. §. XVII Saepius de vectigalibus proviſum ab Imperatoribus, & antiquis Juriſconſultis, latis pro re nata legibus. Ne a curſu digredi videar, ablego lectorem ad elegantiſſimum libellum: *Traitè des Finances des Romains chap.* IX.
7 *De Repub. Athenienſium cap.* III.
8 *Orat. contra Leptinem.*
9 *Lectionum Atticarum lib.* V. *cap.* XXVIII.
10 *De Repub. Athen.*

vectigalium generibus, *Decimam* Diis partem reſervarent, dedicarentque. Vtrumque ſplendidiſſimis HERODOTI verbis expreſſum dabo: **τὰ δὲ τῶν Σιφνίων πρήγματα ἤκμαζε τοῦτον τὸν χρόνον, καὶ νησιωτέων μάλιστα ἐπλούτεον ἅτε ἐόντων αὐτοῖσι ἐν τῇ νήσῳ χρυσέων, καὶ ἀργυρέων μετάλλων οὕτω, ὥστε ἀπὸ τῆς δεκάτης τῶν γινομένων αὐτόθεν χρημάτων, θησαυρὸς ἐν Δελφοῖσι ἀνακέεται**; *vigebant autem ea tempeſtate* (quum primum Dores expeditionem adverſus Aſianos ſuſceperunt) *Siphniorum res, eratque haec Inſularum locupletiſſima, utpote in qua erant aurariae, & argentariae metallorum fodinae; unde tantum pecuniae fiebat, ut ex decima ejus parte reponeretur* (Apollini) *apud Delphos theſaurus* [1]. Tum de Tarteſſe ultra Herculeas columnas poſito verba faciens, inquit: **τὸ δ' ἐμπόριον τοῦτο ἦν ἀκήρατον, ὥστε ἀπονοστήσαντες ὀπίσω ... ἐκ φορτίων ἐκέρδησαν ... οἱ δὲ Σάμιοι τὴν δεκάτην τῶν ἐπικερδέων ἐξελόντες ἐποιήσαντο χαλκήιον ... καὶ ἀνέθηκαν ἐς τὸ Ἡραῖον**. *Erat tum emporium illud intemeratum, ut inde revertentes* (Samii) *plurimum ex mercibus lucrifacerent ... Ex hoc quaeſtu Samii decimam ſepararunt, ex quibus aeneum* (ſimulacrum) *fecerunt ... illudque dedicarunt in templo Junonis* [2].

Sequitur poſtremum decimarum genus. Improbos, nocenteſque homines, qui maleficio, & ſcelere paſcuntur, duriter eſſe plectendos, aequiſſimis, ſanctiſſimiſque legibus cautum fuit; dignaque capitalium, & execrabilium criminum animadverſio, & caſtigatio penes exultas nationes habita ſemper eſt bonorum confiſcatio. Qui vero eſſent homines crimineſi, qui hac poena multarentur, paucis complexus eſt CALLISTRATVS: *damnatione bona publicantur, quum aut vita adimitur, aut civitas, aut ſervilis conditio irrogatur* [3].

1 *Thalia*, ſive *lib.* III.

2 *Melpomene*, ſive *lib.* IV.

3 *L.* I. *ff de bonis damnatorum*. Capitali judicio damnatorum bona omnia quondam conſueverunt publicari; humanitate tamen quadam permoti Imperatores partem liberis damnati Patris concedenda decreverunt. Divus Hadrianus primo quidem ea Conſtitutione, quam in vita

Ex hiſce bonis apud Athenienſes decimam Diis fuiſſe datam, auctor eſt elegantiſſimus Graecorum XENOPHON, a quo traditur, in Concilio ex mente Callixeni ſancitum fuiſſe, ut populus per ſuffragia in urnam conjicienda ſententiam ferret de Ducibus, qui, quod in praelio ad Arginuſas naufragos cives non ſuſtuliſſent, in crimen merito vocabantur; & ſi quis eorum injuſte feciſſe, populus judicaſſet, capite damnaretur; irrogata etiam infami multa his verbis: ϗ τὰ χρήματα δημοσιεῦσαι τὸ δ' ἐπιδέκατον τῆς θεᾶ εἶναι; *& publicatis eorum bonis, decima Deae* (Minervae) *ſacra eſto* [1].

Verum nemo non perſpicit, id omne decimarum genus aut temporarium fuiſſe, aut τοπικόν, non conſtans, perpetuum, & ubique frequentatum. Non enim quovis tempore ad manus erant vel bellica ſpolia, vel captivorum pretia, vel bona damnatorum publicata; nec ubique aut portoria exigebantur, aut proſtabant aurifodinae. Quare hae decimae templorum ſplendori, majeſtatique interdum augendae ſufficere poterant, non autem *Sacris ordinariis* perpetuo celebrandis. His itaque, quibus religio maxime contineri credebatur, primo loco proſpiciendum exiſtimarunt Ithacenſes, aſſignatis Dianae Inſulae ſoſpitae decumis anniverſariis ex agro ſativo, ut proventus rei ſacrae peragendae abunde ſuppeteret, iſque eſſet perennis. Ea propter hoc patriae decus ſe addidiſſe gloriari poterant, ut de Diana Ithacenſi praedicari liceret, quod de Apolline Delio cecinit CALLIMACHVS [2]: ... τοὶ

---

vita ipſius memorat AELIVS SPARTIANVS *duodecimam* dumtaxat filiis indulſit. Sed eſt aliud ejuſdem Principis reſcriptum apud PAVLLVM in libro ſingulari *de portionibus, quae liberis damnatorum conceduntur lib.*7. quo Hadrianus damnato Albino, multitudinis liberorum ipſius rationem habendam eſſe cenſuit, ideoque omnia paterna bona illis concedenda eſſe voluit. Hoc tamen privilegium CL. BYNKERSOEK *Obſervat. Juris Romani lib.* II. *cap.* XVI. fuiſſe tantummodo *perſonale* merito putavit, eaque de cauſſa a Graecis praetermiſſum *lib.* LX. *Baſilicor. Tit.* 52. Adiſis Juriſconſultiſſimum CVIACIVM, a quo haec eruditiſſime, cumulateque, pro more ſuo diſputata ſunt. *Obſervat. lib.* VI. *cap.* XXIII.

1 *Rerum Graecarum lib.*1.

2 *Hymn. in Delum v.*278.

. . τοὶ ἀμφιετεῖς δεκατηφόροι αἰὲν ἀπαρχαὶ
πέμπονται . . . .

. . *Tibi quotannis decimiferae ſemper primitiae*
Mittuntur . . . .

Quoniamque plurimum de Diis bene mereri videntur, qui muneribus, donariiſque addunt perpetuitatem, commendandi Ithacenſes prae Ageſilao, qui fuſo in Perſide Tiſſaphernis exercitu: τὴν δὲ χώραν τῶν πολεμίων οὕτω καρπούμενος, ὥστε ἐν δυοῖν ἔτοιν πλέον τῶν ἑκατὸν ταλάντων τῷ Θεῷ ἐν Δελφοῖς δεκάτην ἀποθῦσαι; *hoſtium vero ex agris tantos fructus exhauſit, ut duobus annis centum talenta, & amplius Deo* (Apollini) *in Delpho decimas dedicaverit* [1].

Interim non abs re futurum puto, ſi hoc loco, ac quaſi percurrens, inſignem SCALIGERI hallucinationem indigitavero; qua planum, fiet, maxima etiam ingenia quandoque decipi, & in meridiana luce caecutire. *Decimae* ſignificationem enarrans FESTVS, ita ſcriptum reliquerat: *decima, quaeque veteres Diis ſuis offerebant* [2]. Neſcio quo impetu abreptus SCALIGER verba haec duxerit caſtiganda, auctoremque durius eſſe carpendum; addit quippe: *vide quantum juris Barbarus ille ſibi ſumpſerit in hoc loco mutilando, uni enim tantum Herculi hoc fiebat* [3]. Miror, viro immenſae lectionis memoria excidiſſe XENOPHONTIS, & HERODOTI nuper adducta teſtimonia, quibus decimam Minervae, Dianae, Apollini, aliiſque Diis votam fuiſſe, nitidiſſime evincitur. Quod ſi in Latino ſcriptore interpretando Latina deſiderabat documenta, firmiſſimum. & expreſſiſſimum eſt illud Romani Dictatoris, quem LIVIVS ſic alloquentem inducit: *tuo ductu Pythice Apollo, tuoque numine inſtinctus pergo ad delendam*

1 XENOPHON *Orat. de laudibus Ageſilai*.
2 *De Signific. verbor.*
3 *Not. ad* FESTVM.

dam urbem Vejos ; *tibique hinc decimam partem praedae voveo* [1]. Herculi quidem patrio inſtituto decimam vovebant Romani ; idque adeo receptum fuerat , ut uſque in ore eſſet Comicoruw ; quare Gelaſimus ille helluo apud Plautum [2] dixit :

Vti decumam partem Herculi polluceam .

Ob eamque rem de hoc etiam providendum cenſuerunt veteres Juriſconſulti *lib.* 1I. *ſſ. Si decimam de Pollicitat* . Cauſſam vero hujus devotionis quaeſivit Plutarchus *in Quaeſtionibus Romanis* ; dubitans unde potiſſimum eam repeteret . Verum etſi Herculi decimae penſitarentur , an inde efficitur caeteris Diis decumas nequaquam fuiſſe devotas ? Adeo illae cuivis Numinum erant debitae , ut auctor *Europiae* apud Clementem Alex. ἐμφατικῶς ſcripſerit [4], ipſos Deos ex ſuis ſedibus prae-

1 *Hiſtor. lib.* v. *cap.* xxi. Justinus *Hiſt. lib.* xx. *cap.* iiI. ait Crotonienſes , bellum cum Locrenſibus inituros *voviſſe Apollini praedae decimas* .


2 *In Sticho Act.* 1. *ſcen.* 3. *v.* 81.

3 *Cap.* xvii.

4 Retulimus hujus poetae diſtichon *pag.* 64. Illud fortaſſe relinquebatur , ut inveſtigarem , num apud Ithacenſes certa anni tempeſtas praeſtituta eſſet ſacrorum agrorum conductoribus , qua decumas Dianae ſolverent . Sed quum de eo prorſus conticeat inſcriptio , cogitatu pronum eſt , a meſſe decita id eveniſſe . Sane in tabulis Heracleenſibus deferri eas debere praeſcribitur : παρ' ἔτος ἀεὶ Πανάμου μηνὸς πρωτερείᾳ, *quot annis initio menſis Panemi* (*Tab.*1. *v.*53.) Quis autem ex noſtris menſibus Panemo vere reſpondeat , in ambiguo eſt ; hoc enim nomine donarunt Epheſii *Junium* , Graeci , & Syro-Graeci *Julium* , Tyri *Auguſtum* , Sidonii , Lyciique *Septembrem* , uti liquet legenti ΗΜΕΡΟΛΟΓΙΟΝ ΜΗΝΩΝ ΔΙΑΦΟΡΩΝ ΠΟΛΕΩΝ *Hemerologium menſium diverſarum Vrbium* , quod ex Codice Laurentiano in lucem extulit Cl. Lamius (*Novelle lett.* 1748.) iterumque *Inſtitutionibus Antiquariis Part.*1. *cap.*v. inſeruit Audrichius . Ad Heracleenſes quod attinet , decumarum penſitationem indictam fuiſſe *Menſe Julio* conjeciat Mazochius *l.c.* , quod tum in Magna Graecia fieret frugum tritura . Sed de Ithacenſibus res obſcuritatis habet plurimum ; duo enim non queo ſatis decernere : quo menſe frumenta illic demeterentur , & an ager Dianius hoc , vel alio potius frugum genere eſſet uber .

praecelſiſque columnis, quibus ſigna eorum impoſita ſunt, tacita quadam admonitione, & intimae vocis illapſu decimas a mortalibus depoſcere.

§. IV.



§ IV.

ΕΚΔΕΤοΥ ΠΕΡΙΤΤΟΥΤΟΙ ΙΝΑΟΝΕΠΙΣΚΕΥΑ . ΕΙΝ
ἐκ δὲ τῶ περιττῶ τὸν ναὸν ἐπισκευάζειν .

TEMPLVM , quod ex ſacri praedii reditibus , qui peractis ſacrificiis ſuperfluerent , reſarciendum hic praecipitur , credi merito poterit , ipſo in agro fuiſſe poſitum . Nam etſi intra ipſas urbes , loco frequenti , ac celebri beatas Divorum domos exſtructas fuiſſe paſſim legamus ; nihilominus eae vel montium jugis impoſitae , vel in ſylvis , luciſque abſconditae , vel ſecus flumina , & procul a profanis aedibus , hominumque negotiationibus exaedificatae ab antiquis ſcriptoribus ſaepiſſime traduntur . Vt autem in agris ſativis potiſſimum fana , ac delubra veteres conderent , faciebat intima quaedam perſuaſio hominum mentibus alte inhaereſcens , ex propinqua Deorum ſede in circumpoſitos agros patrocinium , efficientiam , numenque illorum uberius diffundi , atque ex illorum praeſentia ſummam , ac mirificam praediorum foecunditatem poſſe expectari . Eſt id a LIBANIO verbis ita ſplendidis , & expreſſis dictum in oratione *ὑπὲρ τῶν ἱερῶν* , ut omnium inſtar is mihi ſit . Tanta ſiquidem is dixit animi contentione apud Theodoſium pro *Gentilium* templis ſartis , tectiſque ſervandis , & tanta verborum granditate uſus eſt, ut minime erubuerit affirmare, templis everſis, de omni ſpe , & conatu agricolas miſere depelli ; imo vero ipſam funditus tolli *ψυχὴν τῶν ἀγρῶν* , *animam agrorum* : quibus certe locus eſſe minime poterat , niſi ea templa inter pingues ariſtas , paſtiones , viteſque poſita fuiſſent . Jamvero quum templum , & agrum cultui Dianae ab Ithacenſibus dedicatum in noſtro marmore conſociari videamus , ut inſcriptio , quae agri poſitum , terminos , locationem , fructuumque

1 Ed. GOTOFRED. Vide *Cod.* THEOD. *lib.* XVI. *tit.* X. *lib.* 16. *l. ſi qua in agris templa ſunt .*

que uſum demonſtrat, atque praeſcribit, eadem deſignet templum, cui inſtaurando impendi debeat τὸ περιττὸν; profecto templum aliquod ab agro diviſum, ac remotum intelligi nequit: ſecus enim inter diverſa, quae procul dubio in Ithaca fuerant, Deorum ſana, denotari in epigraphe fas erat, cui ſignate ſuperflua proventuum erant addicenda. Igitur templum Dianae in agro ſacro videtur fuiſſe extructum.

Atque ad haec templa perornanda nihil non erat, quod Graeci erga ſuperos magnanimi, liberales, religioſiſſimi non conferrent. Celebratur proinde ab hiſtoricis ſublimis illorum ſtructura, concinna, ac venuſta architectonices ratio, columnarum cujuſvis ordinis proceritas, & expolitio, laquearia auro radiantia, poſtes ebore contexti, marmora peregrina, anaglypha, ſignaque molliſſima, vaſa porphyretica, multa, lauta, & magnifica ſupellex; ut merito Evsebivs ſcripſerit: νεῴ τε περικαλλεῖς, παντοίοις ἀγάλμασι καὶ ἀναθήμασι κεκοσμημένοι, παρὰ τοῖς πᾶσιν ἐξήσκηντο; *templa ubique magnifica, omnium ſignorum, ac donariorum genere ad eximiam ſpeciem ornabantur* [1]. Mirabile proinde minime eſt, certos, perpetuoſque reditus templis fuiſſe addictos, ut ſi quid de tam praeclaris, pretioſiſque operibus temporis lapſu intercideret, aut everteretur, continuo refici, ac reparari poſſet. Ad id quidem partem fructuum praedii ſacri deſtinarunt Ithacenſes; quorum conſilium exemplo non vacat. Celebris ille Lacedaemonius dux Braſidas quum Chalcidenſium Euboeae urbem Lecythum vi invadere, atque occupare conſtituiſſet, multis ſtratagematis uſus fuit, quibus tantum obſeſſis metum injecit, ut hi propugnacula deſeruerint, fugamque capeſſendam crediderint. Tunc Braſidas oppidum aggreſſus, nullo negotio eo potitus eſt. Sed obſervatu praeclarum, quod habet Thvcydides [2]: ὁ δὲ Βρασίδας (ἔστι γὰρ τῇ Ληκύθῳ Ἀθηνᾶς ἱερὸν, καὶ ἔτυχε κηρύξας ὅτε ἔμελ-

1 *Praepar. Evangel. lib.* x. *cap.* iv.
2 *De Bello Pelopon. lib.* iv.

ἔμελλε προσβάλλειν, τῷ ἐπιβάντι πρώτῳ τοῦ τείχους, τριάκοντα μνᾶς ἀργυρίου δώσειν) νομίσας ἄλλῳ τινὶ τρόπῳ ἢ ἀνθρωπείῳ τὴν ἅλωσιν γενέσθαι, τὰς τριάκοντα μνᾶς τῇ Θεῷ ἀπέδωκεν ἐς τὸ ἱερὸν καὶ τὴν λήκυθον καθελὼν, καὶ ἀνασκευάσας, τέμενος ἀνῆκεν ἅπαν. *Braſidas vero (quum eſſet Lecythi Palladis templum, & ante oppugnationem per praeconem denunciaſſet, ei ſe daturum triginta minas argenti* [1], *qui primus murum conſcendiſſet) ratus alio quam humano modo expugnationem factam eſſe, tum triginta minas Deae donavit, in uſum, & conſervationem templi, tum everſa Lecytho; eaque reparata, omne ſolum eidem dedicavit.* Ergo ultimam, ac ſeveriſſimam devictis impoſuit poenam, ut ager impoſterum nullo modo eſſet incolarum, ſed Deae. Quandoquidem vero templum illic jam exſtabat religione ſacerrimum, omniſque Braſidae donatio ἐς τὸ ἱερὸν facta dicitur; ſequitur Lacedaemonum ducem templi conſervationi, inſtaurationique imprimis conſuluiſſe; & ne xxx. minis in urgens aliquod negotium erogatis, reditus ad refectiones deeſſent, non eſt dubitandum, (quoniam id maxime ſpectaſſe videtur) eos ex conſecratis Deae latifundiis fore repetendos decreviſſe.

Hujus autem rei procurationem non Quaeſtori pecuniae ſacrae, ſed templi Ἐπιμελητῇ commiſſam, demandatam fuiſſe, gravis cum primis, & accuratus ſcriptor ARISTOTELES aſſeverat. ἄλλο δ' εἶδος ἐπιμελείας ἡ περὶ τοὺς θεούς· οἷον ἱερεῖς τε καὶ ἐπιμεληταὶ τῶν περὶ τὰ ἱερὰ· τοῦ σώζεσθαι τὰ ὑπάρχοντα, καὶ ἀνορθοῦσθαι τὰ πίπτοντα τῶν οἰκοδομημάτων, καὶ τῶν ἄλλων ὅσα τέτακται πρὸς τοὺς θεούς· *Alia ſpecies adminiſtrationis eſt circa rem divinam; ceu ſacerdotes & Curatores circa templa, ut conſerventur, quae ſunt, erigantur ruinoſa aedificia, & caetera omnia, quae pertinent ad divinum cultum* [2]. Certum ita-

1 De Valore Minarum Atticarum *argenti* confer prae caeteris tabulas ſupputationum EIMSENSCHMIDII *de Valore Pecuniae veteris*, & ARBVTNOTII. *lib. cit.*

2 *Politicorum lib.* VI. *cap.* VIII. LEONARDVS ARETINVS οἱ ἐπιμεληταὶ vertit, *aeditui*, (*edit. Aureliae Allobrogum* 1606); quae quidem interpreta-

itaque fixumque eſto, in Ithacenſi templo praeter Sacrificulas, quae in honorem Dianae, proque populi incolumitate rei divinae operarentur, praeter Quaeſtorem ſacrae pecuniae, qui penſum a conductoribus agri exciperet, Curatorem quemdam quoque fuiſſe, qui aedem ſartam tectam ſervari ſtuderet. Quae vero fuerit illius templi forma, & quo architecturae ordine fabricatum exſtiterit, facile definiri poſſet, ſi quod in Deorum aedibus conſtruendis fieri oportere, dixit VITRVVIVS, ubique, accurateque fuiſſe retentum conſtaret. Siquidem Minervae, Marti, Herculi aedes *Doricas* fieri volebat, quarum neglectior, & incultior ſtructura eſſet; Veneri, Florae, Proſerpinae, Nymphiſque *Corinthias*, quae foliis, volutiſque ornarentur; Iunoni, DIANAE, Libero Patri *Jonicas* conſtitui, quae aliquid ſeveritatis Doricorum, aliquid Corinthiorum teneritatis haberent [1]. Verum Graeci architecti non tantum tribuerunt Vitruvianae praeſcriptioni, ut non ab ea prorſus abſcederent. Cuivis Numinum, utcumque ſibi eſſet vel collibitum, vel imperatum, aedes Doricas, Corinthias, Jonicas promiſcue conſtituebant: quod innumerae templorum imagines vel adhuc in nummis exſtantes, vel in antiquis picturis adumbratae, vel in peregrinatorum libris ſedulo deſcriptae evidenter commonſtrant.

Illud potius extra omnem dubitationem videtur eſſe poſitum, nullum aliud extitiſſe Numen, quod templum illud cum Diana commune habuerit. Atque id ex eo maxime eveniſſe conjicio, quod Dea velut princeps Inſulae cuſtos, praeſes, & ſervatrix ab incolis delecta fuerit. Namque praeter illam non quemquam alium Deorum apud Ithacenſes exſtitiſſe, ex τοπικοῖς, adeoque omnium praeſtantiſſimis monumentis hactenus intelligimus, cui majores ſint tributi honores. Eodem autem concurrebant omnium Ethnicorum

pretatio a vero abeſt longiſſime. Aeditui ſiquidem, ſive Νεωκόροι nequaquam templorum ſtructurae, aut refectioni praeficiebantur, ſed ornatum, & apparationem curabant. SVIDAS in ea voce: Νεωκόρος ὁ τὸν νεὼν κοσμῶν, καὶ εὐτρεπίζων; *aedituus, qui templum ornat, apparatque.*

1 *Architect. lib.* 1. *cap.* II.

ſententiae, primas cultus ſignificationes Diis deferendas, qui eſſent patrii, indigetes, tutoreſque urbium, ac provinciarum. Quum autem Ithacenſes uni Dianae feraces campos aſſignarint, decumarum, ſacrorumque perpetuitati proſpexerint, de templo ipſius adeo ſolliciti fuerint, fraudemque omnem, ac violationem diris etiam removere ſtuduerint, quis ambigat, illam tamquam praecipuum, ac ſoſpitale Numen coluiſſe? Ita in ea Inſula vetus illa, & prudens Cecropis inſtitutio, qua referente Apollodoro, ſancitum fuerat, ſingularem obſervantiam Divis Patronis fore exhibendam, videtur fuiſſe ſumma cum religione retenta: **ἐπὶ τούτου φασὶν ἔδοξε τοῖς Θεοῖς πόλεις καταλαβέσθαι, ἐν αἷς ἔμελλον ἔχειν τιμὰς ἰδίας ἕκαστος**; *ſub ipſo* (Cecrope) *perhibent viſum eſſe Diis urbes adſumere in tutelam, in quibus quiſque eorum proprios honores eſſet accepturus*[1]. Neque ea, quae de templo Dianae Ithacenſi nuper poſuimus quicquam elevant, aut infirmant exempla Deorum **Συνναῶν**, vel **Συμβώμων**, qui ſcilicet eodem in templo, vel eadem ſuper ara colebantur[2]; optimis namque Graeciae temporibus in aede cujuſvis urbis principe, illi conſecrata Deo, cujus patrocinio, ac tutelae ſalus populi, omniumque fortunarum ſors a primordiis commendata fuerat, non alteri ſollemniter ſacrificatum fuiſſe, tota propemodum antiquitas plane ad veritatem oſtendit, atque evincit. Nam quod ſcribit Themistius de aede Apollinis in Delpho: **καθάπερ, οἶμαι, ἐν Δελφοῖς οὐ τοῦ Ἀπόλλωνος μόνου, ἀλλὰ καὶ τοῦ Διός**; *quemadmodum, credo, in templo Delphico non ſolum Apollinis, verum etiam Jovis* ſimulacra collocabantur[3], de ſuſcepta me minime devocat opinione. Primo quidem Graecus orator cum ab integro Graecanicae religionis ſtatu, tum a Delpho remotiſſimus vixit, nec niſi, quod fando audierat, proferre potuit. Deinde ſumma ambiguitate conflictatur, concluditurque

1 *Lib.* III. *cap.* XIII.
2 V. Arnaudum *de Diis* παρέδροις *cap.* X. & XI.
3 *Orat.* IV.

turque ipſius narratio, quandoquidem ſe id non *ſcire*, ſed putare, rerique ſcribit, additaque admonitiuncula, *οἶμαι*, teſtatur, ſe rem aſſeverare nequaquam poſſe. Demum Jupiter Deum, hominumque pater, & rex velut patrium Numen in tota Graecia habebatur, ut auctor eſt DION CHRYSOSTOMVS, qui de illo ait: *ὃν ϰ πατρῷον Δία καλοῦμεν οἱ τῆς Ἑλλάδος κοινωνοῦντες*, *quem nos omnes Graeciam inhabitantes patrium Jovem appellamus* [1]: quo fieri potuit, ut is aediculam, ſtatuamque fortaſſe in templo Delphico haberet. Nihilominus quemadmodum ſacra omnia Apollini illic praecipue devovebantur, ita in Ithaca aliorum Deorum cultus minime impediebat, quominus in aede Dianae loci patronae, ac ſoſpitae, vota, libamenta, religioniſque ſollemnia huic Deae potiſſimum nuncuparentur.

Haec dum exequor praelum mox ſubitura, ab illuſtri B. NANIO, honorificis ubique verbis appellando, apographum accipio praeclari marmorei fragmenti, quod nuperrime ipſius Muſeo adjunctum eſt una cum copioſa, variaque antiquitatum ſupellectili, eximii, doctique ipſius Fratris JACOBI cura, ſtudioque Corcyra Venetias devecta. Quod quum de Diis *συνεϛίοις*, aut certe *ὁμοβωμίοις*, quorum mentio modo injecta eſt, novum aliquid nos condocefaciat, mei arbitror eſſe muneris, atque inſtituti, ſi monumentum, quod eſt cum ipſo argumento tantopere conjunctum, primo redintegrare, ac ſupplere, deinde quam breviſſime explicare aggrediar, adeoque quantam poſſum, Nobiliſſimis Fratribus obſervantiam contribuam.

A a 2 Luxa-

1 *Orat. de Dei cognit.*



Luxatus, mutiluſque eſt hic titulus, qua marmoris frons in longum porrigitur, nec alia nunc pars ſuperſtes, niſi quae ſchema contuentibus dextrorſum occurrit a rima, qua lapis bifariam ſecatur, ad extremum areae. Verum non difficilis admodum operae eſt, univerſam inſcriptionem reſtituere ſi monitis, praeceptiſque inſiſtamus, quae in antiquis epigrammatis ſupplendis ante oculos continenter habenda ſunt. Scilicet curandum, ut quod diffracto marmori additur ſegmentum, cum eo quod ſuperſtes eſt, conſentaneum habeat commenſus reſponſum; ut verba novo fragmento inducenda, cum veteribus apto, naturali, facilique nexu coaleſcant, atque ex omnibus perſpicuus tenor, & continuatio lectionis exiſtat; ut in tota reſtaurati marmoris facie idem ſit ſtrigarum procurſus, litterarumque eadem aequalitas, ac ſymmetria, quae in ſuperſtite fruſto apparet. Perpendendum denique, quae tellus reliquias illas litteratas obtulerit, ut in parte noviter attexenda nihil exaretur, quod cum loci conditione, moribuſque non conveniat, aut quod a caeteris inſcriptionibus abnorme ſit. His ita conſtitutis facile in animum induxi, totum marmor ſic eſſe reſtituendum.

φωΚΙΩΝ

φωΚΙΩΝ
πολυΚΡΑΤΕΟΣ
Διι. καΙ. ΗΡΑΚΛΕΙ

Phocion
Polycratis (Filius)
Jovi. & . Herculi
(dedicavit)

Jam vero ſuperſtes fragmentum cum his, quae in marmore reſtaurando praeſtitimus, ſi lubet, conferatur. Eſt in tribus mutilis hiſce lineis, unde conſtat trunca epigraphe, concinna quaedam diſpoſitio, qua illae gradatim, ſenſimque augeſcunt; nominibus vero perficiendis vix aliquid videbatur deeſſe. Ergo ut aptus e regione ſervaretur reſponſus, minus profecto debuerat eſſe complementi ſpatium. Hinc duo nomina, **ΦΩΚΙΟΝ**, & **ΠΟΛΥΚΡΑΤΕΟΣ** paucis additis elementis ſponte veluti ſua emerſerunt, quibus duae priores tituli lineae aptiſſime utrinque terminantur. In poſtrema vero ante vocem τῷ **ΗΡΑΚΛΕΙ** ſolitaria jacebat littera I. ab aliis fractura marmoris diducta, quae tamen nonniſi ex illis aliquam poterat mutuari ſignificationem. Non alicui profecto Phocionis, aut Polycratis agnomini, vel Herculis epitheto hic locum eſſe poſſe, perſpiciebam, ſed potius alterum Numen cum Hercule conſociandum intelligebam. Erat autem interjicienda particula copulationis **ΚΑΙ**, qua conflata, commodiſſimum tribus litteris **ΔΙΙ** ſpatium fuit reliquum. Vt autem cum Hercule Jovem potius copulaverim, quam Minervam, quae ſic fida Herculi comes eſt data, ut utriuſque ſimulacrum ſaepiſſime conjungeretur [1], fecit potius

1 PAVSANIAS *in* 1I. *Eliacorum*. Jugatae ſaepenumero viſuntur Palladis, & Herculis imagines in veteribus monumentis; ut in lucernis fictilibus MVSEI PASSERII *tom.*1I. *tab.*VII. & VIII. in Gemmis caelatis, quae

tius ipſa Corcyraeorum religio, quam anguſtiſſimus locus, qui paucis admodum elementis patebat. Jovem imprimis tamquam Inſulae conſervatorem illos coluiſſe, documento ſunt nummi **ΚΟΡΚΥΡΑΙΩΝ**, in quibus **ΖΕΥΣ ΚΑΣΙΟΣ** frequenter typum exornat [1]. Deos autem, quorum effigies in publica cujuſvis urbis moneta frequentius exſculpebatur, in confeſſo eſt, eos fuiſſe, a quibus praeſertim urbs cuſtodiri credebatur. Hoc tandem marmore (ſive ara, ſive ſtylobata illud fuerit) illud primo innoteſcit, Corcyraeos poſt Jovem, inter ſuos Divos praeſides Herculem numeraſſe, quandoquidem nonniſi Neptuni, Minervae, Mercurii, Apollinis, Bacchique cultum apud illos obtinuiſſe, hactenus cognoveramus [2].

§. V.

quae paſſim prodeunt; in nummis Graecis Caracallae, Antonini Pii &c. Tertius ex rariſſimis nummis Severo Alexandro perperam tributis, quos ſingulari libello illuſtravimus, (*Oſſervazioni ſopra alcune ſingolari, e ſtrane Medaglie*) Herculem, & Minervam colloquentes refert.

1 Andreas Marmora *Hiſtor. Corcyrae lib.* I. Adde huc illud Plinii *lib.* IV. *ſect.* XIX. *Vrbs Corcyra liberae Civitatis cum Oppido Caſſiope, temploque Caſſii Jovis*.

2 V. Celeberr. viri Card. Qvirini opus: *Primordia Corcyrae c.* VIII.



1758. E Corcyra Alt. nal. R. 2.

§. V.

ΕΑΝΔΕΤΙΣ ΜΗΠΟΙΗΤΑΥΤΑΤΗι ΘΕΩιΜΕΛΗΣΕΙ

ἐὰν δέ τις μὴ ποιῇ ταῦτα τῇ Θεῷ μελήσει.

QVI poſtrema haec noſtri marmoris verba cum antiquiſſimis ſcitis, decretis, conſultis jam inde a principio Romani nominis latis vel leviter conferat, nullus dubito, quin Ithacenſem hanc ſanctionem, LEGEM SACRATAM me jure optimo appellaſſe fateatur. Porro eſt illud imperitiſſime dictum a nonnullis ſcriptoribus, ſacratam legem non aliam fuiſſe, quam, quae a Romanis trans Anienem in monte, qui ſacer exinde eſt nominatus, rogata fuit, quum Tribuni plebis auſpicato creati ſunt [1]. Nam verius nihil eſt, quam quod in animis eruditorum penitus jam inſedit, eam appellationem, poſtquam homines in unam coivere ſocietatem, auctoritatique parendum communi judicio cenſuerunt, multo latius patuiſſe, ſacrataſque vere, proprieque fuiſſe nuncupatas quaſcumque leges, quae erant cum obteſtatione, conſecratione, poenarumque ſanctione conjunctae, quibus proinde Diis ſacrabatur, devovebaturque caput illius, qui eas neglexiſſet, atque violaſſet. Ac ne rivulos potius conſectari, quam ipſos fontes adire hoc loco videar, non illa caeteroqui praeclara nomina MANVTIVM [2], BVDDEVM [3], CONNANVM [4], PERIZONIVM [5], HEINECIVM [6], ERNESTVM [7], BACHIVM [8] teſtes prodire jubebo, ſed his utar auctoribus, quibus caſca, & obſoleta jamdiu jura uſu ipſo cognita exſtiterunt, quibus incer-

1 CICERO *in fragment. pro C. Cornelio Majeſtatis reo*.
2 *De legibus Romanor. 3.*
3 *In adnotat. Poſteriorib.*
4 *Commentar. Juris Civil. lib.*I. *cap.*XIII.
5 *Animadverſ. Hiſtor. cap.* X.
6 *Antiquit. Rom. Juriſprudentiam illuſtrantes lib.*I. *Append.* XXVII.
7 *Clavis Ciceroniana. Index legum.*
8 *Hiſtoria Juriſprudentiae Roman. lib.*I. *cap.*II.

incerta, & obſcura noſtris temporibus ſignificatio verborum fuerat perſamiliaris. Itaque M. Tvllivs, cujus ornata oratio, tum ſumma veterum legum ſcientia ſempiterni nominis gloria nitetur, quaeſtionem univerſam ab ipſa rei natura ita repetit. *Primum enim ſacroſanctum eſſe nihil poteſt, niſi quod populus, plebſve ſanxiſſet: deinde ſanctiones ſacrae ſunt, aut genere ipſo, aut obteſtatione, & conſecratione legis, aut poenae, quum caput ejus, qui contra facit, conſecratur* [1]. Ex quo luce mera clarius exiſtit, hanc eſſe vim iſtius juris, atque verbi, ut quoties in lege ferenda eae intercederent verendae comminationes, tum homines religione obligarentur, ſcirentque *Superos iratos* ſe habituros, niſi, quae ſimilibus legibus erant deſcripta, diligenter, ſanćteque ſervaſſent; atque adeo ſi pravo naturae inſtinctu humana jura contempſiſſent, metu ſaltem Deorum in officio retinerentur. Hoc igitur conſilium ſibi eſſe capeſſendum cenſuerunt Ithacenſes, ne ſacri praedii conductores decimas Dianae ex convento debitas perfidioſe furarentur, neve Curator templi reſtaurationem negligeret. His qui contra feciſſent, non multam irrogarunt, non eos in jus fore vocandos edixerunt, non locationem reſcindendam denunciarunt, ſed Deae animadverſionem, atque vindictam interminati ſunt. Sane *diris defigi deprecationibus nemo non metuebat* [2]; exitioſiſſimas enim his futuras Ethnici rebantur, adverſus quos effuſae, ſuſceptaeque eſſent, quandoquidem Superos ratas illas habere alte animo imbiberant; ſive ut Plvtarchvs ſcripſit: *τὰς ἀρὰς τοιαύτην ἔχειν δύναμιν, ὡς περιφυγεῖν μηδένα τῶν ἐνσχεθέντων αὐταῖς, has devotiones putant tanta efficacitate praeditas, ut nemo, contra quem ſint conceptae, devitare illas queat* [3].

Re quidem vera eccui graviſſimum, juſtiſſimumque metum injicere non debuerat horridus, & lacrimabilis Pelaſgorum caſus, ne quis decumas Diis promiſſas impie occupare,

1 Cicero *pro Cornelio Balbo* xiv.
2 Plinivs *lib.* xxviii. *cap.* II.
3 *In Craſſo*.

pare, aut minimam illarum partem in rem ſuam vertere auderet? Superos ita inſenſos, iratoſque aliquando habuerunt Pelaſgi, DIONYSIO HALICARNASSENSI teſtante [1], ut ob inconſideratum decimarum furtum, in ſumma infelicitate vi Numinum poſiti, amariſſimam fortunam, & miſerrima quaeque perferre coacti fuerint. Areſcebant Pelaſgorum ſegetes, antequam ad frugem pervenirent; decidebant ex arboribus fructus priuſquam matureſcerent; paſtiones gregibus nullas arva praebebant; fontes aut deficiebant penitus, aut vitium contrahebant; nec feliciores erant mulierum, ac pecorum foeturae. Nam aut foetus ejiciebantur abortivi, aut in partu interibant matres: ubique annonae caritas, ubique morbi moleſtiſſimi, ubique luctus, atque lamentatio. Oraculum proinde ſupplices, gementeſque adire decreverunt, ut tot calamitatum, atque aerumnarum cauſſam ſaltem reſcirent; a quo, inquit Hiſtoricus, reſponſum fuit, eos in tantam malorum colluviem veniſſe: ὅτι τυχόντες ὧν ἐβȣ́λοντο, ȣ̓κ ἀπέδοσαν ἃ εὔξαντο, ἀλλὰ προσοφείλȣσι τὰ πλείςȣ ἄξια. οἱ γὰρ Πελασγοὶ, ἀφορίας αὐτοῖς γενομένης ἐν τῇ γῇ πάντων χρημάτων, ἔυξαντο τῷ Διῒ καὶ τῷ Ἀπόλλωνι, καὶ τοῖς Καβείροις καταθύσειν δεκάτας τῶν προσγενησομένων ἁπάντων; *quod ea conſequuti, quae* (a Diis) *popoſcerant, non dediſſent illis omnia, quae promiſerant, ſed meliora retinuiſſent. Pelaſgi enim oborta in ſua regione ſterilitate, voverant, ſe Jovi, Apollini, & Cabiris decumas omnium, quae naſcerentur, ſacrificaturos.* Jamvero ſi crudelem adeo experti ſunt Superum iram, quoniam etſi frugum decumas, primitiaſque ſolviſſent, attamen τῶν ἀνθρώπων δεκάτας illis non obtulerant; minime putantes in ea ſponſione, δεκάτας τῶν προσογενησομένων ἁπάντων, humanas etiam victimas poſſe contineri; temere ne, aut inconſulto ab Ithacenſibus Dianae ultio obnunciatur ei, qui decumas ſacrorum praediorum Deae ſollemni ritu, legeque conſecratas abſtuliſſet? Hic nulla in agri dedicatione, nulla in illius locatione ambiguitas; ut qui debitam, promiſſamque

1 *Antiquit. Roman. lib. 1.*

Numini frugum partem fideliter non rependiſſet, magna ſtatim in offenſa apud Deam eſſe deberet, eamque vehementer iratam habere. Eo etiam nomine ejuſmodi imprecationes merito Ithacenſes ei intentarunt, qui decimas Deae debitas compilaſſet, aut pecuniam templo inſtaurando erogandam eſſet latrocinatus, quandoquidem id genus homines in *Sacrilegis* eſſe numerandos, ſapientiſſimi legum interpretes decreverunt, quum de Lege Julia peculatus diſputarent. Quidni dira deteſtatione territarent improbos fures, qui Deam ipſam latrocinii vindicem erant habituri, ſceleriſque poenas certiſſime daturi? Apud Delphos qui hoc ſcelere petitus eſſet, expoſtulatuſque vel minimam partem τῶν ἱερῶν χρημάτων, quae Apollini oblata, devotaque fuerant, ſubripuiſſe, ita Deo inviſus, ita nefarius, ita ſacrilegus cenſebatur, ut ad rupem (ἐπὶ τὴν πέτραν) adductus, praeceps inde ageretur. Sunt apud PLVTARCHVM [1], atque AELIANVM [2] miſeranda hujus ſupplicii exempla.

Studium hoc religionis, quo Graeci pro ſacris agris tuendis, conſervandiſque contra ſacrilegos fures mire incendebantur, tota loquitur antiquitas; loquuntur publicae leges, loquuntur privata monumenta, loquuntur denique ſcriptores ferme omnes, a quibus priſcarum gentium facta accepimus. Sed nihil eſt celebritate, elegantia, rerumque copia praeſtantius, quod a me in hac diſputatione queat afferri, magnifica illa inſcriptione, quam non procul ab Vrbe Roma, poſt fundi dedicationem poni mandavit Tiberius Claudius Atticus Herodes Marathonius prope Olimpiadem CXXXII. [3] Qua in inſcriptione poſt imploratam Minervae, & Pa-

1 *In praecept. politic.*

2 *Varia Hiſtoria lib.* XI. *cap.* V.

3 Eximium hoc vetuſtatis monumentum ſingulari libello explicavit CL. SALMASIVS, quem edidit Lutetiae Pariſiorum an. 1619. In quo loca corrupta, & incorrecta reſtituit, emaculavitque; ſed in carminum verſione, ut metri leges perſequeretur, Graecae ſententiae alicubi neglexit ſignificationem, ac proprietatem, quam ARCVDIVS, verbum verbo appendens, felicius videtur retinuiſſe.

Ραμνȣσίας **Ὄυπις**, ſive Dianae [1], praeſentiam, poſt deſcriptum agrum vitibus, & arbuſtis conſitum, laeta ſegete redundantem, & molli gramine virentem, utramque Deam, cui latifundium dedicavit, ita compellat:

> Ὕμμι γὰρ Ἡρώδης ἱερὴν ἀνὰ γαῖαν ἔηκε.
>
> *Vobis enim tellurem ſuam Herodes ſacravit.*

Tum populares, convenaſque alloquens; addit:

> Κλῦτε περικτίονες, καὶ γείτονες ἀγριῶται,
> Ἱερὸς οὗτος ὁ χῶρος . . . .
>
> *Audite accolae, & vicini agricolae:*
> *Sacer hic fundus eſt . . . .*

Demum ne quis vites, arbuſta, herbam raſtro audeat exſcindere, Minervam temerarii auſus vindicem futuram obnunciat, Deoſque poenarum exactores criminis ultores imprecatur:

> Εἰ δέ τῳ ἄκλυτα ταῦτα, καὶ ἐκ ἐπιπεύσεται αὐτῶν,
> Ἀλλ᾽ ἀποτιμήσει, μή οἱ νήτιτα γένηται.
> Ἀλλά μιν ἀπρόφατος Νέμεσις καὶ ῥόμβος Ἀλάστωρ
> Τίσονται, στυγερὴν δὲ κυλινδήσει κακότητα.
>
> *Si cui vero non audita haec, & non obediet illis,*
> *Sed ea deſpiciet, non impunitus redeat;*
> *At ipſum repentina Nemeſis, & irrequietus Alaſtor* [2]
> *Puniant, infeſtamque illi adportent aerumnam.*

---

1 Quae Jonibus Οὖπις, Doribus autem Ὦπις, & communi dialecto Ὦπις, eadem poetis Diana eſt, deſumpto nomine ab una e Deae comitibus. Confer SPANHEMIVM *ad Callimach. Hymn. in Dian. v.* 204.

2 *Alaſtor* Graecis eſt δαίμων improborum hominum male facta animadvertenda ſuſcipiens, & huc illuc circumcurſans ad homines facinoroſos exagitandos, puniendoſque. Vid. SALMAS. *pag.* 73. ARCVDIVS vertit *turbo poenarum exactor.*

Quid porro Herodes copioſe, ornate, numeroſeque hoc loco dixit, & poëticis coloribus, carminiſque venuſtate expolivit, niſi id ipſum, quod Ithacenſes brevi, gravique, & plebiſcito digna ſententia decreverant? Ex quo facile cuivis promptumque erit aeſtimare, dirarum uſum ad avertendam improborum hominum audaciam, & ſacra latifundia ſervanda nullo non tempore obtinuiſſe.

Licuit itaque non modo Magiſtratibus, reique publicae adminiſtratoribus facinoroſos execratione, dirarumque obnunciatione devincire, ut manus a ſacris expilandis, violandiſve abſtinerent, ſed privato cuivis aequa fuit poteſtas Superum ultionem imprecandi illi, qui res conſecratas, locaque religioſa auſus eſſet temerare. Quum autem poſt templa vix alius locus fuerit penes Graecos, juxta ac Romanos, qui tanta donaretur ſanctitate, quanta eſſe praedita ſepulcra credebantur; hinc quiſquis illa violaſſet, laeſae religionis crimen vituperationemque ſuſcipere, & *ſacrilegio* ſe contaminare, edixerunt IMPP. GORDIANVS, atque JVLIANVS *l.* I. *D. de ſepulcr. violat.* & *l. pergit audacia C. de ſep. viol.* Quapropter graviſſimae, & indeprecabiles τυμβωρύχοις, ut ab eo coërcerentur ſcelere, indictae, inflictaeque fuerunt poenae [1]. Sed quum exploratum probe eſſet antiquis, criminoſos poſſe quidem hominum judicia, ſuppliciaque per aſtum, fraudemque evitare, nequaquam vero Deorum iras a ſe amoliri; ideo praeter multas *fiſco*, *aerario*, *arkae* Reipublicae, Coloniae, Collegio Pontificum [2] adjudicandas, quas pro tuenda-

1 In re oppido exploratiſſima ſi quis adhuc exempla, teſteſque requirat, praeter notiſſimos KIRCHMANNVM *de Funeribus*, GVTHERVM *de Jure Manium*, MEVRSIVM *de Funere &c.* adeat QVENSTEDIVM *de Sepultura veterum*, JOH. NICOLAI *de Luctu Graecor. & Chriſtionorum*, JOH. Van NIPSEN *de Sepulcro violato*.

2 Hinc *Arkarius Pontificum*, qui in Gloſſario vetere Ὑποδέκτης χρυσοῦ appellatur. Multas ex alienatione, aut violatione ſepulcrorum, ſicuti & ſtipendia a P. R. Sacerdotibus, & Hierophantis aſſignata is cuſtodiebat. SYMMACHVS *lib.* I. *ep.* LXII. *Pontificalis Arcarius proſequitur apud te mandata Collegii*. Qui quantopere diſtet a Graecorum Quaeſtore pecuniae ſacrae, in omnium oculis pene incurrit.

da ſepulcrorum religione irrogarunt, etiam execrationibus impios illos a violatione ſepulcrorum prohibere conati ſunt [1]. In quo nihil a me proponi poſſe video, quod non ſit, uti idonea, certaque veterum auctoritate nixum, ita eruditis non plane, dudumque jam compertum. Sed exſtat in Muſeo NANIO ſepulcralis lapis, in quo ea omnia collecta, copulataque leguntur, quae nonniſi partite in aliis diviſa, ac diſjuncta reperire eſt. Pretium inſuper marmori addit, opuſque commendat, inſolens horrendae adjurationis formula, & inſueta characterum delineatio [2]; quod idcirco plurimum intererit ad fidem autographi proferre. Accedit, quod MONTFAVCONIVS hunc ipſum titulum, olim a ſe exſcriptum apud immortalem virum APOSTOLVM ZENVM, ex cujus Cimelio in aedes NANIORVM migravit, adeo ab archetypo diſſimilem edidit [3], ut etiamſi huc praeclare non faceret, ad


---

1 V. MENKENIVM *de Diris Antiquor.* inter ipſius Diſſert. Philologicas.

2 Quum hujus marmoris ſcriptura a ſueta Graecorum orthographia plurimum diſſideat, perfacile legentium oculos percellere illa poterit, eoſque ancipites tenere in conſtituenda epigrammatis aetate. Plurimum ergo intereſſet de inſolita litterarum forma heic inquirere, aetatemque illarum veroſimiliter definire. Verum ne monumentorum, commentariorumque ſeries excurſu ſatis prolixo interturbetur; eam diſputationem ad calcem operis conſulto rejicimus. Ibi enim de varia, ac ſingulari omnium characterum figura, quae non modo in Corcyrenſi, ſed in caeteris hujus noſtrae ſylloges marmoribus deprehenditur, ſtudioſe, accurateque agemus; ut ſi cui inuſitati characteres moram inter legendum injecerint, queat is lucem aliquam ex noſtra breviuſcula Palaeographia mutuari, & ad eam, quaſi ad probabilem quamdam normam ſingulas inſcriptiones exigere, ac revocare. Erunt etiam qui forte mirentur, me alioquin ordinis retinendi maxime cupidum, tamen lapidem ſepulcralem hic adpoſuiſſe, qui videbatur in IV. operis parte cum reliquis ejus generis conſociandus. At non eſt is merus, nuduſque titulus, aut ſimplex, moeſtaque conqueſtio; adjuramentum enim, multa, dirae, quas complectitur, efficiunt, ut commodum ad aliam claſſem poſſit inſcriptio reduci. Videbam etiam ſuſceptum argumentum ab hoc marmore plurimum juvari, illuſtrarique poſſe; idcirco ſatius duxi heic oculis proponere, quam ad illud lectorem ablegare.

3 *In Diario Italico cap.* XXVIII. *pag.* 424.

adhuc tamen praeſtaret accuratum inſignis adeo monumenti exemplar evulgare.



long. Palm. Rom. n.° 4 3 · ex Corcyra 1700

Quae uſurpatis communiter litteris ita reddi, & in latinum ſermonem tranſmitti debent.

Τίτος φλάβιος Διο-
νύσιος ἐνορ-
χίσζομαι [1] σοι τὸ-
ν σεβάσστιον [2] ὅρκι-
ον μηδενὶ ἐξὸν εἶ-
ναι ἀνύξαι [3] . . . [4] σορ-
ον Ὀλυμπιάδες [5], εἰ
δὲ τις ἀνυξι [6] δώσει
τῷ φίσσκῳ [7] δηνάρ-
ια διτχείλια [8] πεν
τακόσια, καὶ ὑφέξι [9]
λόγον ἀσεβείας.

Emendationes

[1] ἐνορκίζομαι.
[2] σεβαστιον.
[3] ἀνοῖξαι
[4] *ſupple* τόνδε
[5] Ὀλυμπιάδος
[6] ἀνοίξει
[7] φίσκῳ
[8] δισχίλια
[9] ὑφέξει.

Titus

Titus . Flavius . Dionyſius .
Imprecor . tibi . verendum . juramentum
Nemini . liceat , aperire . umquam
Hoc conditorium . Olympiadis
Si . quis . aperuerit . dabit . Fiſco
Denarios . bis . mille . quingentos
Et . reddet . rationem . impietatis .

Ex quo epigrammate impedita , ſed non poenitenda oritur quaeſtio , ad quam idcirco orationem obiter digredi libenter concedimus . Etſi plures eſſe noverim doctos viros , qui priſcarum gentium jurisjurandi formulas ſcripto tradiderunt , & juramentorum varietates , atque caeremonias erudite perſequuti ſunt ; ut HANSENIVS [1] , OHEIMIVS [2] , HENELIVS [3] , ROTH [4] . LVDOVICIVS [5] , NICOLAI [6] , TRELIERIVS [7] , noſtraeque Pariſienſis Academiae praeclariſſimus olim ſodalis MASSIEU [8] ; nihilominus expeditu adhuc difficile videtur , quid per illud ὅρκιον σεβάστιον recte , vereque intelligi hic debeat . Mihi ſane in mentem venerat cogitare , num fuerit juramentum illud *per Genium Principis* , quod veteres crebro uſurpabant ad fidem majorem in modum devinciendam , obligandamque . Quanta huic ineſſe vis , ac religio crederetur , aut potius per ſummam aſſentationem fingeretur , facile perſpici poteſt ex ROESERI , GVIL. JANI , HERMANSSONII , & REVSCHII commentariis [9] . Nam quum Grae-

1 *De Jurejurando veterum .*
2 *De Jurejurando .*
3 *Commentatio de ſollemnibus quibuſdam formulis Juramentorum .*
4 *De Jurejurando , ejuſque varietatibus , & caeremoniis .*
5 *De praecipuis Jurisjurandi formulis , & ſollemnitate .*
6 *De Juramentis Hebraeorum , Graecorum , Romanorum , aliorumque populorum .*
7 *De Jurejurando .*
8 *Des Serments des Anciens . Memoires de l'Academie to.* I. *& to.* IV.
9 Ad unum omnes hunc ſuis libellis praefixerunt titulum : *de Jurejurando per Genium Principis .*

Graeci ſuos Principes, Romanoſque Imperatores hoc perhonorifico, majeſtatiſque pleniſſimo titulo Σεβάςȣ ita conſtanter fore compellandos cenſuerint, ut poſtquam in ſingularem, propriamque Principum denominationem is ceſſit, nulli alteri ſit attributus; facit ipſa nominis analogia, ut ſuſpicari liceat, in familiari Graecorum ſermone τὸ ὅρκιον σεβάςιον idem forſitan ſignificaſſe ac *juramentum Imperatorium*: perinde ac ſi Titus Flavius Dionyſius Auguſti Caeſaris Genium obteſtans, antedenunciaſſet, in Principis offenſam caſurum fore improbum τυμβωρύχον, qui ſepulcrum Olympiadis reſeraſſet.

Hanc tamen ne amplectar, ſequarque interpretationem, multa in cauſa ſunt; praeſertim quod pro Manium requiete fruſtra hic indiceretur Imperatoris indignatio, quam in ſe profecto convertebat quilibet legirupa: neminemque latebat, non poſſe ſepulcra violari, quin Principis leges proculcarentur. Neque etiam Graecos ad meram *comminationem*, atque aliorum audaciam comprimendam, Genium Principis invocaſſe, nomenque ipſius teſtem adhibuiſſe uſpiam legi. Contra vero per Deos dejerare conſueverant, & non hominum, ſed Numinum fidem obteſtari, quum vellent mala in aliorum capita imprecari, eoſque diris agere, ac devovere. Aliunde ergo repeti debet τȣ͂ ὁρκίȣ σεβάςιȣ etymologia, atque ſignificatio. Ego equidem opinor, totam hujuſce juramenti rationem, & originem in Hesiodi Θεογονίᾳ jacere, cujus verbis indicium continetur longe luculentum ejus, quod contendimus. Nam vetuſtiſſimus hic Aſcraeus, ſive Cumaeus vates deſcribens Coelitum illum conventum, atque congreſſum;

Ἤματι τῷ ὅτε πάντας Ὀλύμπιος ἀςεροπητὴς
Ἀθανάτȣς ἐκάλεσσε Θεȣ̀ς ἐς μακρὸν ὄλυμπον;

Die illo, quando omnes Jupiter fulgurator
Immortales vocavit Deos ad altum olympum [1];

Ait,

1 *V*. 390.

Ait, primam in ſcenam, ſummique regis conſpectum prodiiſſe Oceani filiam.

Ἦλθε δ' ἄρα πρώτη Στὺξ ἄφθιτος οὔλυμπόνδε,
Σὺν σφίσι παίδεσσιν, φίλου διὰ μήδεα πατρός.
Τὴν δὲ Ζεὺς τίμησε, περισσὰ δὲ δῶρα ἔδωκεν.
Αὐτὴν μὲν γὰρ ἔθηκε θεῶν μέγαν ἔμμεναι ὅρκον.

Venit autem prima Styx incorruptibilis ad olympum,
Cum ſuis filiis chari per conſilia patris.
Eam vero honoravit Jupiter, eximia quoque dona dedit,
Ipſam enim conſtituit, Deorum magnum ut ſit juramentum [1].

Itaque ex tunc coeperunt Dii, qui ad humanam plane rationem agere, convenire, paciſcique inter ſe putabantur, quoties aliquid cum religione vellent deſpondere, fidemque ſuam ſacramento obſtringere, Stygem teſtem invocare, ideoque ejuſmodi jusjurandum a Poëta μέγα merito appellatur; quandoquidem inter Deos convenerat, ut qui illud violaſſet, centum annis divinitate expoliatus a nectare arceretur. Exinde vero mos quaſi coelo delapſus ad mortales pervenit, qui ſe non arctius, aut inviolabilius invicem conſtringi poſſe crediderunt, quam ſi per Stygiam paludem (nihil aliud enim eſſe quam Oceani filiam, tandem conſenſerunt fabulatores) dejeraſſent,

Dii cujus jurare timent, & fallere numen.

Eamque ob rem nihil ſic horrificum, ſicque verendum eſſe arbitrati ſunt, quam ſi quis Stygem laevam, ac fatalem imprecaretur. Jam illud deduci, conſtituique certiſſime poſſe videtur, non aliam fuiſſe eam obteſtationem, qua T. F. Dionyſius ſepulcrorum violatores terrere, ac defigere niſus eſt, ne quis eorum oſſa Olympiadis inquietaret. Nam cui potius triſtis haec, & exitioſa execratio indicenda, inten-

1 *V.* 397.

tandaque, quam ei, qui Manium jura violaſſet? Quid ſcelerato huic convenientius praenunciari poterat, quam vel ipſos *Deos Inferos* iratos, immiteſque eſſe habiturum? Quae minatio ad horum hominum frenandam audaciam, temeritatemque plus poterat prodeſſe? Quum ergo nil magis paverent homines, quam feralem Orci adſpectum, & Stygii ſupplicia regni, durumque Acheronta; adjuratio per horrendam illam, atramque paludem, *ἐξορκοῦσα τὸ ϛυγὸς ὕδωρ*, aptiſſime nuncupatur *ὅρκιον σεβάϛιον*; ſcilicet formidanda, reverenda, inviolandaque execratio. Neque aliam huic formulae ineſſe ſignificationem evidentius deprehendi poterit, ſi epigrammatis terminus cum antegreſſae orationis ſerie conferatur. Dionyſius ſiquidem poſt magnam illam imprecrationem, multamque pecuniariam Fiſco [1] dandam, animo reputans, violatores metu poenae temporariae non poſſe revera coërceri, illos iterum ad Numinum judicium provocat, ultionemque eorum obnunciat. Tota proinde inſcriptio comminatio eſt, quae tantumdem valet, ac illa Ithacenſis marmoris *ἀρά: ἐαν δέ τις μὴ ποιῇ ταῦτα τῇ Θεῷ μελήσει* [2]. Quae ſatis ſuperque eſſe arbitror ad id, quod ab initio ſuſce-

1 Auguſtus, teſte DIONE *lib.* LIII. inſtituit, ut Populi *Aerarium* a Fiſco *Principis* appellatione diſtingueretur. SENECA proinde *de Beneficiis lib.*VII. *c.*VI. inquit: *Caeſar omnia habet*, *Fiſcus ejus privata tantum*, & *ſua*. Principi ergo ſolvenda erat multa hic a Dionyſio imperata. Caeterum ſapienter obſervatum eſt a PRIDEAVXIO ad Marmor Arundelianum CXXXV. fiſcum, & aerarium λόγῳ non ἔργῳ differre.

2 Nemo omnium, ut opinor, hoc marmor ad Chriſtianorum cenſum aggregabit, propterea quod extrema illa formula ὑφέξει λόγον ἀσεβείας ſpecie tenus cum Chriſtianis conſentire videatur. Eſt in nobiliſſimo Tuſculano AMPLISS. CARD. PASSIONEI lapis Graecanicus, quem olim exſcripſeram, & C. V. JACVTIO edendum permiſi, (*Chriſtianar. Antiquit. Specimina Exerc.* I. *p.*45.) in quo alterius corporis inlatio interdicitur, hac adjecta denunciatione: *Qui vero petierit*, & *qui permiſerit poni rationem Domino reddent*. Sed tanta inter utramque inſcriptionem intercedit diſſimilitudo, ut nullo modo componi queant. Nam, ne quid dicam, eſſe formulas, quae inſito quodam religionis inſtinctu, Ethnicis, aeque ac Chriſtianis communes eſſe poſſunt, in Tuſculano marmore edicitur violatori, rationem eum reddere oportere Τῷ. Κῷ., ideſt τῷ κυρίῳ. Jam nul-

ſuſceperam demonſtrandum, ſcilicet edictum illud Ithacenſium cum obteſtatione, & intentatione poenae latum, &

---

nullus erit in re lapidaria mediocriter verſatus, qui non noverit, hoc eſſe Chriſtiani lapidis σημεῖον, quod quum a noſtro abſit., argumento eſt, formulam ὑφέξει λόγον ab Ethnicis eſſe profectam; Chriſticolas vero interjectis verbis τῷ κυρίῳ eam veluti conſecraſſe. Duo praeterea efficiunt, ne noſtrum marmor inter Chriſtiana liceat adnumerare. Primum eſt obteſtatio illa: ἐνορκίζομαι &c. cujus exempla ſuppetunt apud HERODOTVM, THVCYDIDEM, atque DEMOSTHENEM, quibuſque *adjurandi* morem ab Ethnicis ſaepe uſurpatum fuiſſe docemur. Atqui ab uſitata in Chriſtianorum ſepulcris dictione eſt id prorſus alienum. Nullibi etiam invenias multam *Fiſco*, aut *Aerario* publico attribuendam a majoribus noſtris irrogatam. Adverſus violatores ſepulcrorum diris utebantur illis: *Partem habeat cum Juda traditore: Anathema habeat a Patribus Nicaenis: Sit in perpetuum anathemate conſtrictus &c.* ut alias indicavimus in antiquitatibus Ravennatibus (*Symbol. litter. tom.* III. *pag.* 227.) Contra vero *Aeris multatitii* centies meminere ſepulcra Ethnicorum. Tandem nihil eſt in ea formula ὑφέξει λόγον ἀσεβείας, quod cum *theologia Gentilium* non apprime conſpiret. Deos namque ſcelerum poenas a nefariis hominibus expetere, eiſque mala graviſſima, dum adhuc cum mortalibus degunt, ob patrata delicta immittere, ex omni librorum fide, atque certiſſima veterum ſcriptorum auctoritate a Graecis potiſſimum credebatur. Quoties autem Jupiter ultor

Diſtulit in ſeram commiſſa piacula mortem,

annon judices, tortoreſque animarum apud Inferos conſtituit Minoëm, Rhadamanthum, Aeacum, qui ſingulos ſua crimina fateri cogerent, debitaque his ſupplicia inferrent, impioſque a laetis, ac perbeatis Elyſiis campis arcerent, ut ſcripſit PLATO in Gorgia? Igitur poſtremus noſtri epigrammatis verſus, qua ſevera ἀσεβείας ultio obnunciatur, eodem recidit ac omnes notiſſimae dirae illae: *Manium numina irata habeat: Ad inferos non recipiatur &c.* V. BOISSARDVM *Admir. tom.* III. *part.* V. SPONIVM *Miſcell. ſect.* I. *art.* VII. MENKENIVM *loc. cit.* Eadem multae ſumma, quae hic praeſcribitur, in aliis id genus epigrammatis non modo Latine, ſed Graece loquentibus offenditur. V. GVBERLETHVM *Animad. Philolog. ad Inſcript. Smyrnenſem*. Interea tot aliis Romanis, Graiiſque marmoribus, in quibus improbi homines a ſepulcro violando imprecationibus, miniſque deterrentur, lubet noviſſimum adnectere per hos dies non procul ab hac Vrbe aeterna inventum, & pauciſſimis adhuc viris cognitum.

marmori ad perpetuitatem conſignatum, non injuria *Legem Sacratam* a me fuiſſe appellatum,

EΠΙ-

ſic
TV . NE . VELLIS . ALIENA . MEMBRA
ſic
INQVIETARE . IACENTIS . DOLIES
ſic
COMPARABIT . SIBI . QVOD . SI . NO
CVERIS . NOCEBERIS . AB . ALIO .

Vtinam liceret anaglyptica ornamenta epigrammati adjunctae in lucem hominum proferre. Sed ſunt quaedam in his obſcena, ac propudioſa, ut honeſtus quiſque execrari ea debeat. Equidem ſcio, Ethnicos ſic in omnia flagitia miſere, perditeque ſe ingurgitaſſe, ut etiam pudori, famaeque ceſſerint; & vel in ſepulcris deploratae luxuriae indicia exſculpi fecerint. Mirum tamen illud maxime eſt, in nefanda, horrendaque libidine explenda, nihil indecori, nihil quod ſeveriſſimae modeſtiae adverſaretur, ineſſe, illos aliquando ſomniaſſe! Graeci primum in hac culpa fuere, ut ex Maximo Tyrio *Diſſert.* x. Luciano, Aristaeneto, aliiſque eroticis ſcriptoribus colligitur. Conferſis Bentleium *Diſſert. Upon the Epiſt. of Phalaris.* Nec magis in eo verecunda gens Romana; ut validiſſimum argumentum praeſto fuerit Chriſtianis Ἀπολογουμένοις ad exprobrandam *Gentilibus* ſuae ſectae falſitatem, impietatemque.



Carneolae

ΕΠΙΒΛΗΜΑ

Insigne Monvmentvm Athenis Recens Detectvm Proponitvr et Explicatvr.

Qvemadmodvm Peloponneſiis olim contigiſſe legimus, ut in Atticam commigrantes, ibique ab indigenis benigne excepti, atque cum popularibus permixti civium numerum augerent, proindeque ſolum, tectum, fortunaſque cum illis communes haberent; ita nobis poſtquam in Peloponneſo hactenus verſati fuimus, eamque, ſi ita loqui fas eſt, aliquantum peragravimus, liceat impraeſentiarum proximas, atque ab ea regione Iſthmo Corinthiaco vix disjunctas Athenas concedere, & inſigne hujus multo omnium celebratiſſimae urbis monumentum, cum Peloponneſiacis conſociare. Gratulandum ſane nobiliſſimo Senat. Nanio, quod Attica tellus adhuc talium opum feracem ſe ſe illi praebuerit. Nam etſi nulla ubivis terrarum exſtiterit urbs innumeris ſignis, picturis, anaglyphis, omnique ornamentorum genere Athenis magnificentius, copioſiuſque nobilitata; attamen nemo neſcit tot ingentia Graecae majeſtatis, elegantiae, & exquiſitiſſimi luxus veſtigia partim temporis diuturnitate miſere intercidiſſe, partim barbarorum furore, ignorantia, avaritie disjecta, ac diſſipata, partim denique a doctis peregrinatoribus in ſuas provincias aſportata fuiſſe: ut hoc tempore, ſi immanes quaſdam moles, praecelſaſque aedificiorum, aut columnarum partes excipias, vix aliquid reliquum ſit eleganti artificio elaboratum, aut erudita inſcriptione diſtinctum, quod illinc aſportari queat. Sed pretioſum, aliiſque negatum munus inclyto huic, ac ſapientiſſi-

tiſſimo Patricio reſervaſſe videntur doctae Athenae, quandoquidem ex immenſa illa ruderum, & parietinarum ſtrue, ac pene exhauſto latifundio ſorte illi datum fuit, proximo ſuperiore anno, praeclariſſimas Graecanicae vetuſtatis reliquias feliciter nanciſci. Eas inter locum certe praecipuum ſibi vindicat marmor cum anaglyptis figuris, tum epigrammate inſignitum, quod hic coronidis inſtar aliis ſui Muſei cimeliis adjungendum, nectendumque illuſtris poſſeſſor mihi humaniſſime permiſit.

Prima,



Ex Aere triplo majori.



Prima, quae huic marmori tribuenda eſt, commendatio, a loci majeſtate, nobilitateque proficiſcitur, ubi fuit eruderatum. Siquidem *Stadium* illud *Panathenaicum* [1], quod prope Athenas ad ulteriorem Iliſſi ripam Lycurgus exſtruxerat [2], deinde in ſplendidiorem, ampliorem que formam quadrien-

1 V. MEVRSIVM *in Panathenaicis* c. IX. 2 Idem *Athenae Atticae* c. V.

driennio perfecit Tiberius Claudius Atticus Herodes Marathonius, civis locupletiſſimus [1], aggeſto circumquaque ex Pentelicis lapidicinis clivo [2], excitatiſque compluribus graduum ordinibus, uſque adeo magnificum, & ſuperbum fuit, ut PHILOSTRATVS de eo ſcribere minime veritus ſit, exſtitiſſe ἔργον ὑπὲρ πάντα τὰ θαυμάσια, ᾧ οὐδὲν θέατρον ἁμιλλᾶται; *opus ſuperans omnia mirabilia, & cum nullo theatro comparandum* [3]. In tam celebri, ac ſumptuoſo loco, quaecumque ad operis exornationem adderentur, praeclara, & elegantiſſima exſtitiſſe, intelligi, deprehendique poterit ex hoc ipſo, quod nunc ſuſcipimus explicandum, inſigni toreumate. Quod ſi Piſo apud CICERONEM tot tantaſque Athenis eſſe mirabatur doctae vetuſtatis reliquias, ut ſapienter, vereque dixerit: *quacumque hanc urbem ingredimur, in aliquam hiſtoriam veſtigium ponimus* [4]; gloriari profecto poſſumus in adeo inſigne, & eruditum monumentum fortunate nos etiam incidiſſe, ex quo certe Athenienſi hiſtoriae uberior adhuc ſplendor accedet. Multa praeterea, quae florentibus Atticis rebus illic uſuveniebant, ſed quorum memoria longinquitate temporis oblitterata eſt, in hoc marmore animadvertere, ipſiſque oculis uſurpare licebit. Et quia duplex veluti actio in hoc anaglypho objicitur a duplici figurarum ſchemate, quorum alterum ab altero, epigrammate interjecto disjungitur, ab illius interpretatione praeſtat exordiri, quae non tam ſitu, quam praecellenti ſui natura multo potior eſt. Superiori ſcilicet tabulae, quae Deos complectitur, principem locum damus, tum alteram, quae inferne eſt, & Agonothetarum judicium exhibet, exponendam, illuſtrandamque arripiemus. Ad haec omnia autem quaſi gradum, atque aditum ſternet inſcriptio ipſa, quam idcirco duplici, ut conſuevimus, charactere deſcriptam, omnique labe ſublata, Latinitate donatam hic praeponimus.

OI-

1 V. PHILOSTRATVS. *Vit. Herod.*

2 PAVSANIAS *in Attic. cap.* XIX.

3 *Loco cit.*

4 *De Finibus lib.* V. *cap.* II.

ΟΙΓΛΥΝΗΣ : ΝΥΜΦΑΙΣ : ΕΥΞΑΜΕΝΟΙ : ΑΝΕΘΕΣΑΝ : ΚΑΙΘΕΟΙΣΠΑΣΙΝ
ΞΩΑΓΟΡΑΣ . ΞΩΚΥΠΡΟΥ : ΖΩΚΥΠΡΟΣ : ΞΩΑΓοΡΟΥ : ΦΑΛΛΟΣ : ΛΕΥΚΙ . .
ΣΩΚΡ ΑΤΗΣ ΠΟΛΥΚΡΑΤΟΥΣ ΑΠΟΛΛΟΦΑΝΝΣ : ΕΥΠΟΡΙΩΝΟΣ : ΣΩΣΙΣΤΡΑΤΟΣ
ΜΑΝΗΣ ΝΥΡΡΙΝΗΣ ΩΣΤΑΣ : ΣΩΣΙΓΕΝΗΣ : ΜΙΔΑΣ .

οἱ . πλυνῆς . νύμφαις . εὐξάμενοι . ἀνέθεσαν . καὶ . Θεοῖς . πᾶσιν .
Lotores . Nymphis . ſupplices . dedicaverunt . & . Diis . omnibus .

Ζωαγόρας Ξωκύπρου .	*Zoagoras Xocypri filius .*
Ζώκυπρος Ζωαγόρου .	*Zocyprus Zoagorae f.*
Φάλλος λευκι . . (λευκίου .)	*Phallus Leucii f.*
Σωκράτης Πολυκράτους .	*Socrates Polycratis f.*
Ἀπολλοφάνης Εὐπορίωνος .	*Apollophanes Euporionis f.*
Σωσίστρατος .	*Soſiſtratus .*
Μάνης .	*Manes .*
Νυῤῥίνης .	*Nyrrines .*
Ὦστας .	*Oſtas .*
Σωσιγένης .	*Soſigenes .*
Μίδας .	*Midas .*

COMMENTARIVS

§. I.

ΟΙΠΛΥΝΗΣ:

οἱ πλυνῆς.

QVAMVIS nullae in toto hoc nitidiſſimo marmore lacerae vitiataeque voces deprehendantur, quippe quae integris adhuc & politiſſimis characteribus omnes exaratae viſuntur; ſi quis tamen ſueta, ac vulgaria Graecanici idiomatis praecepta ſecum reputet, menteque contrectet, ſcrupulus forſean illi injicietur, quadratarium errore eſſe lapſum in primo epigrammatis verbo deſcribendo. Si quidem dubitari minime poteſt duo priora elementa OI a ſex aliis, quae contigua ſunt, diſſociari oportere, & pluralis, rectique caſus articulum praepoſitivum **οἱ** exinde conflari: qui articuli, quoniam cum vocibus intime junguntur, ſolent a **λιθογλύφοις** nulla adhibita interpunctione, quandoque etiam nullo interjecto ſpatio exſculpi, vocibuſque praeponi. Jamvero non articulus modo, ſed adjunctum illud **ἰυξάμενοι**, verbique **ἀνέθεσαν** conſtitutio depoſcit, ut **τὸ** ΠΛΥΝΗΣ ſit nominativus pluralis, omniumque nominum infra deſcriptorum appellatio, a qua tota regatur orationis contextura. Atqui **ἀκυρολογία** videtur huc irrepſiſſe. Primo quidem **ὁ Πλύντης**, vel characteriſtica abjecta, **Πλύτης**, vel **Πλυνεὺς**, ſi Lexicographos ſequi libeat, vox eſt, quae unice ad fullonicam conſuevit referri, proindeque haud poterit ad balnea a nobis convenienter traduci. Verum ea eſt praeclara, ac ſolida utilitas, quae interdum ex novis Inſcriptionibus mire profluit, ut multa in Lexicis praetermiſſa, in illis feliciter detegantur. Hinc novis Gloſſaria diteſcunt vocibus. Hinc idiotiſmi, dialecti, dictiones oblivione jam contritae

tae perdiſcuntur. Hinc reconditiores, atque interiores Graeci juxta ac Latini ſermonis proprietates jam inde ab ultima antiquitatis memoria nonnumquam emergunt. Ac ne extranea conſecter exempla; quis umquam miniſtros balneares *Lotores* dicere auſus eſſet, ſi tantummodo optimos quoſque adiiſſet Latinos auctores? At hanc vocem Romanis familiarem fuiſſe, dum adhuc verborum barbaries, ac peregrinitas a Latii finibus exularet, vetus Inſcriptio Aricina manifeſtum fecit[1].

DIANAE · AVG.
COLLEG. LOTOR.
SACR.
PRIMIGENIVS. R. P. &c.

Ita plane licet balneator apud Graecos ſcriptores **Βαλανεὺς**, vel **Βαλανίτης** nuncupetur, numquam vero **Πλυνεὺς**, tamen poſtrema haec appellatio teſtimonio, fideque elegantiſſimi noſtri marmoris ita aperte nititur, ut inter optimas, caſtigataſque dictiones, Atticaeque linguae opes nunc primum numerari merito ea poſſit.

Quum tamen praepoſitivi articuli, & inſequentium verborum vi, uti diximus, ea vox plurali numero efferri debeat, reſcribendum ſaltim videretur **οἱ Πλυνεῖς**. Sed neque hoc nomine ullum in marmor ſe intulit **σφάλμα**; quod perfacile intelligi, ac deprehendi poterit, ſi purioris Atticiſmi craſes, ac ſynaereſes paulliſper perpendantur; quarum illa elegantiſſimis Atticis ſcriptoribus uſitata, ut pluralia hujus terminationis nomina in **εῖς** contracta, mutentur in **ῇς** cum *Jota* ſubſcripto. Fuit id uſurpatum ab ARISTOPHANE, apud quem **Βασιλῇς** pro **Βασιλεῖς**[2], rurſum **ἱππῇς** pro **ἱππεῖς**[3]; THUCYDIDES **Πλαταιῇς** pro **Πλαταιεῖς**[4], & **Θεσπιῇς** pro **Θεσπιεῖς**[5] dixit. Eadem eſt dialectus AESCHYLI, SOPHOCLIS, XENO-

1 FABRETTUS *Inſcript. Domeſt. cap.* VI. *num.* 19.
2 *In Avibus*.
3 *In Equit.*
4 *Bell. Peloponnen. lib.* II.
5 *Lib.* V.

NOPHONTIS, quorum loca vel recitat, vel indigitat MAITTAIRE *de Graecae linguae Dialectis* [1]. Id vero ſic erat Athenienſibus civicum, propriumque, ut vetus Sophoclis SCHOLIASTES jamdudum affirmaverit: **Ἀττικῆς ἐςι διαλέκτȣ οἱ Βασιλῆς, οἱ ἱππῆς** [2]. Quin imo, etſi PHAVORINVS monuerit, hanc craſim in nominativo tantum locum habuiſſe [3]; teſtis tamen eſt CONST. LASCARIS in antiquis libris interdum legi, **τὰς Βασιλῆς** [4]. Perfamiliaris autem hujus orthographiae uſus efficiebat, ut **τȣ̃ Ἰῶτα** ſubſcriptio crebro negligeretur [5]. Itaque rectiſſime, atque pro veteri Atticiſmo hic a Lapicida ſcriptum **ΟΙ ΠΛΥΝΗΣ**, nec una vel littera varianda, refingendave occurrit. Quo in Atticiſmo quis non videat ſingularem hujus marmoris laudem contineri? Ex eo ſiquidem colligi, demonſtrarique poſſe videtur, opus eſſe remotioris aetatis, qua Balneator, & Fullo nec dum ſuo quiſque proprio, diſtinctoque nomine donabatur, ſed communi vocabulo **Πλυνεύς** ab Athenienſibus appellabatur tum qui veſtimenta lixivio purgabat, tum qui hominum corpora ſtrigili, aqua, ſpongia, panno emundabat, eluebatque. Si enim ſcriptum fuiſſet, poſt invectum **ἰδικὸν** illud nomen **Βαλανίτȣ**, vel **Βαλανέως**, profecto exulaſſet ab inſcriptione alterum **γενικὸν** & **ἀμφίβολον**. Certe in Athenienſibus monumentis, quae temporis edacitati feliciter obſtiterunt, atque in luce, hominumque conſpectu hodiedum verſantur, nuſquam memini me tam ſplendida, tamque certa priſcae Atticae dictionis indicia deprehendiſſe. Quid inſuper primaeva ſcripturae ratio, quae hoc in lapide continenter ſe ſe prodit? Quid characterum Γ, Ξ, Ξ, Φ, Σ priſca conformatio? Quid gemi-

---

1 *Dialectus Attica pag.* 26. Fuit id etiam Dorienſium, unde apud THEOCRITVM Idyll. XXIX. μαΤῆς pro μαΤεῖς; & TIMAEVS apud PLATONEM νομῆς pro νομεῖς uſurpavit; Ἰῶτα tamen hi praetermittebant. Confer GEORGII FRID. HEVPELII *Canones de Graecarum Dialectorum proprietatibus. Can.*273.

2 *In Ajace v.*190.

3 *Magn. Diction. v.* Ἑρμηνέας.

4 *Inſtitut. L. G. lib.* III.

5 MAITTAIRE *loc. cit.* HEVPELIVS *can.*274.

geminata interpunctio? Hoſpes in his ſtudiis plane ſit, rerumque Graecanicarum ignarus, qui non ex ejuſmodi veſtigiis, notiſque ſummam vetuſtatem emicare, inque oculos incurrere ſtatim perſentiat [1].

Poſtquam ex hiſce ambagibus, ac tricis evaſimus, proximum eſt, ut quaeramus, quaenam Balnei cum Gymnaſio, quae Lotorum cum Athletis intercedat conjunctio, ut in *Stadio* Nymphaeum exſtaret adeo celebre, & dignum, cui ornando οἱ Πλυνῆς hanc adjicerent inſcriptionem. Princeps ingenii, & doctrinae PLATO ea omnia, quae ad urbis ornatum, civiumque commoditatem facerent, praeſcribens γυμνάσια, καὶ λουτρὰ finitima eſſe, proximeque exſtructa jubebat [2]. Hac autem prudenti praeſcriptione dupliciter Athletarum incolumitati conſuluit. Nam ſtrenuos illos pugiles, qui in palaeſtram deſcendere, praeſertimque luctam, & pancratium inire avebant, primum quidem oleo, aut ceromate inungi oportebat, ut corpora, ex HIPPOCRATIS ſententia [3], majus quoddam robur indipiſcerentur, & membra emollita labores ſine ullius rupturae, aut diſtorſionis periculo ſuſtinerent. Tantumque utilitatis, & praeſidii ad rem maxime Athleticam in ea unctione poſitum credebatur, ut METRODORVS SCEPSIVS integrum de hac re libellum exarandum ſumpſerit, quod inſcripſit περὶ τῆς ἀλειπτικῆς [4]. Deinde vero ſtrenui Palaeſtritae pulvere, & arena largiſſime conſpergebantur, tum ad ſudorem cohibendum, ne citius delaſſarentur, quemadmodum habet GALENVS ad Traſybulum, tum ne corpora (quod PLVTARCHO perplacet) plus aequo incaleſcerent [5], tum denique ut ANACHARSIS apud LVCIANVM initio περὶ γυμνασίων dixit: ὡς ἀφυκτότεροι εἶεν ἐν ταῖς συμπλοκαῖς, τῆς ψάμμου τὸν ὄλισθον ἀφαιρούσης, καὶ βεβαιοτέραν ἐν ξηρῷ

1 Luculentius, atque copioſius haec a nobis tractantur in ea, quam operi adjecimus, exercitatione *de noſtrorum marmorum Archaeographia*.
2 *De Legibus lib.* VI.
3 *De Diaeta* III.
4 Apud ATHENAEVM *Deipnoſoph. lib.* XV.
5 *De primo frigid.*

ξηρῷ παρεχούσης τὴν ἀντίληψιν ; *quominus in complexibus effugiant , arena demente lubricitatem , & firmiorem in arido praebente comprehenſionem* . Nemo exinde non videt , quantopere foedari , conſpurcarique neceſſe eſſet Athletarum corpora . Augebantur ſordes in *Pancratio volutatorio* , quum luctatores in terram dejecti , invicemque complicati , dum alter alterum ſibi ſupponere nitebatur , ambo in luto coenoque rotabantur . Ad eam autem , qua toto corpore inficiebantur , immundiciem eluendam , tergendamque balneo opus erat , in quo ſe a ſervis , fricari , depoliri emundarique facerent . Erat id inſuper ad vires redintegrandas , ad corpora tepefacienda , ad valetudinem tuendam neceſſarium [1] . Hinc Lycinus Pancratiaſta in LVCIANI *Lexiphane* ajebat : *εἶτα συντριβέντες , καὶ ἀλλήλους κατανωτισάμενοι , καὶ ἐμπαίξαντες τῷ γυμνασίῳ , ἐγὼ μὲν καὶ Φιλῖνος ἐν τῇ θέρμῃ πυέλῳ καταιονηθέντες ἐξήειμεν* , *deinde ubi mutuo exercuiſſemus , & tergo viciſſim tuliſsemus , gymnaſioque illuſiſſemus , ego & Philinus in calido balneo loti diſceſſimus* . Idque Athletis ita concedendum cenſebant Athenienſes , ut eorum Comicus ARISTOPHANES eos carperet , & ſugillaret Ephebos , qui ſe Hercule certaminum parente valentiores jactabant , ac balnea frequenter adibant , quaſi magnos exantlaſſent labores , omnemque Olympicum hauſiſſent pulverem ; quum tamen Stadium perraro ingrederentur , & vix ſe populo ſpectandos praeberent [2] .

. . . . . *ταῦτ᾽ ἐςὶ ταῦτ᾽ ἐκεῖνα*
Ἃ τῶν νεανίσκων ἀεὶ δὶ ἡμέρας λαλούντων ,
Πλῆρες τὸ βαλανεῖον ποιεῖ , κενὰς δὲ τὰς παλαίςρας .

. . . *Ni-*

1 Ita cumulate de balnearum uſu ad valetudinem tuendam me dixiſſe memini in Commentario *de Chriſtianorum balneis* , ut pigeat eadem hic recudere , & ſcriptores recenſere , quorum teſtimonio in eo argumento uſus ſum .

2 *In Nubibus Act.* III. *Scen.* III. *v.*1046.

..... Nimirum haec illa ſunt, quae
Cum juvenes quotidie habent in ore
Pleniſſimum faciunt balneum, ſed vacuam palaeſtram.

Licet ergo Agoniſtis vitam admodum aſpere, ac duriter agere fas eſſet [1], hoc tamen honeſtum, debitumque labori levamen illis permittebatur, non ad oblectationem, & voluptatem, a qua certe prohibebantur, ſed munditiei, & ſanitatis ergo. Ne autem poſtquam in gymnaſio, ſtadiove multa tulerant, ſudaverant, alſerant, ſic laſſi, fatigati, ſordidi, madefacti, omnibuſque medullis defeſſi tenerentur urbem curſitare ad lavationem quaerendam, optimo conſilio inductus a Graecis mos fuit, ut balnea prope agoniſteria exſtruerentur. Quod deinde ſic ſtudioſe, conſtanterque retentum fuit, ut etymologi SVIDAS [2], & ISIDORVS [3], ob arctiſſimum palaeſtrae, & thermarum vinculum, ſynonyma fecerint γυμνάσια, ἀλειπτήρια, ἢ βαλανεῖα, ἢ λουτρά. Sed rectius dicendum eſt, balneum partem Gymnaſii exſtitiſſe, aliiſque aedificiis in Athletarum, ludorumque gratiam intra ſepta palaeſtrae fabricatis eſſe adjungendum [4].

Quid quod balneorum, thermarumque praefectura iiſdem hominibus demandaretur, qui agonum praeſides erant conſtituti? Clariſſimis ſuperiorum temporum monumentis proditum id eſt, imprimiſque *Athleticis Inſcriptionibus*, quas pererudito commentario adornavit FALCONERIVS [5]. In his porro ſaepius commendatur Marcus Aurelius Aſclepiades, qui παλαιστροφύλαξ, itemque lavationum προστάτης ab IMP. dictus, omnibus muneribus praeclare functus fuerat.

M. AY-

1 Innumera propemodum ad id exempla congeſſit PETRVS FABER *Agoniſtic. lib.* III. *cap.* IV. & V. Nonnulla etiam indicat CAROLVS HENZEIBICHIVS in libro *Athleta* ΠΑΡΑΔΟΞΟΣ *cap.* VIII.

2 In voce Γυμνάσιον.

3 *Etymol.*

4 V. MERCVRIALEM *de Arte Gymnaſtica lib.* I. *cap.* X., itemque JOACHIMVM KVHNIVM *de Lotionibus*, & *balneis Graecorum* §. 9. & 12.

5 *Inſcript. Athlet. num.* III. & IV.

M. ΑΥΡΕΛΙΟϹ. ΑϹΚΛΗΠΙΑΔΗϹ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΥϹ
ΔΙΑ ΒΙΟΥ ΞΥϹΤΑΡΧΗϹ
ΚΑΙ ΕΠΙ ΒΑΛΑΝΕΙΩΝ ΤΟΥ ϹΕΒΑϹΤΟΥ &c.

Quorſum *ξυςȣ̃ ϗ βαλανείȣ* moderatio uni, eidemque homini tradita, niſi quia balneatio affine aliquid erat Athletarum exercitiis, curandumque maxime fuerat, ne fortiſſimis Quinquertionibus, qui ſe ſaltu, curſu, ſphaeriſtica, lucta, pancratio, pugilatu delaſſarant, hoc deeſſet fractarum virium remedium, atque ſolamen? Sed haec gymnaſii, balneique conjunctio, quae ſparſim a priſcis ſcriptoribus memoratur, uno veluti conſpectu, graphiceque expreſſa viſitur in antiquo vaſe, opere, ut ajunt, Etruſco, quod evulgavit novus, ac munificentiſſimus in Gallia artium omnium liberalium Mecaenas COMES de CAYLVS [1]. In eo quippe cernere eſt Athletas *Coronatos* omni indumento detracto [2], qui membra ſtrigili perfricant, ſtrigmentum abradunt, ſe ſeque emundant. Stat e regione **Βραβευτὴς**, ſive Xyſtarchus, veſte praetexta in dexterum humerum rejecta, virgam ſive ſceptrum agonotheticum gerens, qui praeſentia ſua, auctoritate, gravique aſpectu lavationi videtur praeeſſe, ne quid inordinate, aut diſſolute contingat. Dum ergo illuſtris auctor Thuſcanicam hujuſce lancis, ſive patinae picturam ſapienter ad rem Gymnicam refert, duo nos edocet: nimirum certiſſimum eſſe, Athletas poſt duriſſimos palaeſtrae agones balneas adire conſueſſe; atque hac in re idem fuiſſe Graecorum, quod fuerat Etruſcorum, inſtitutum. Quae quum ita ſe habeant, *οἱ πλυνῆς lotores*, potius quam *fullones* Latine fuerat reddendum. Nam etſi ex PLVTARCHO, XENOPHONTE, aliiſque probe tenerem, celeberrimum Athenis fuiſſe feſtum nomi-

1 *Recueil d'Antiquités tom.* II. *Antiquités Etruſques tab.* XXXVII.

2 De Agoniſtarum nuditate, & ſubligaculis ad Stadium deferendis, egimus in noſtro Commentario *de Athletarum* ΚΥΒΙΣΤΗΣΕΙ *in Palaeſtra Graecorum* §. IX.

nomine Πλυντήρια, in quo detracta Minervae veſtimenta, atque ornamenta a Praxiergidis feminis lavabantur [1], nihilominus loci ipſius, in quo marmor detectum fuerat, conditio, totaque ſculpturae delineatio vetabat, quominus de fullonica officina quicquam hic auderem cogitare. Contra vero omnia eo concurrere, ac conſpirare videbam, ut mihi nullam aliam heic quaerere, amplexarique liceret interpretationem, niſi quae ad *Stadium*, reſque gymnicas commode, facileque referri poſſet. Quemadmodum ergo Aricinus lapis id poſteros monuit, fuiſſe ad aedem Dianae Auguſtae collegium *Lotorum*, qui templum religionis cauſſa adeuntibus lavationem in lacu Nemorenſi, aut in proximo ei balneo decenter dari curarent, ſic Athenienſe marmor nunc primum patefacit, balneum ſimiliter exſtitiſſe prope Stadium Panathenaicum, in quo ſynodus τῶν πλυνέων Athletis potiſſimum ex certamine redeuntibus frigidam, calidamve aquam, confrictiones, reunctiones miniſtraret, omnemque illis exhiberet famulatum.

1 Quamvis de hoc feſto plura jam adnotaſſent tum MEVRSIVS *in Graecia Feriata*, tum CASTELLANVS *in Eortologio*; multo eruditius, feliciusque argumentum retractavit celeberrimus CORSINVS *in Faſtis Atticis tom.* II. *Diſſert.* XIII.



Ex Aere

Long pal R _ 8.

§. II.

ΝΥΜΦΑΙΣ : ΕΥΞΑΜΕΝΟΙ : ΑΝΕΘΕΣΑΝ

νύμφαις . ἐυξάμενοι . ἀνέθεσαν .

CVivs vero numini, praeſidioque locus hic dedicari, commendarique convenientius debuerat, quam Nympharvm, in quarum tutela flumina, fontes, balnea, thermae ſic poſitae putabantur, ut nonniſi a praeſenti illarum ope aquarum copia, perennitas, ſalubritaſque expectaretur? Qua de cauſſa magnifica, & ſplendida admodum nomina in antiquis marmoribus tributa illis ſunt, & *Auguſtae*, *Sanctiſſimae*, *Dulciſſimae*, *Salutiferae* appellatae leguntur. Crediderat equidem Maximvs Tyrivs aquarum ſcaturigines Dianae tutamini fuiſſe concreditas [1]: quod etſi de aliquo fonte dici queat, quemadmodum de Cyaneo, & Patrenſi accidit, quorum alter Apollini, alter Cereri ſacer erat [2]; non ita tamen in univerſum id accipi, affirmarique poteſt, ut Nymphae a peculiari quadam aquarum cuſtodia excludantur. Nam quorſum juxta fontium originem Nymphis templa exſtrui, ſigna poni, vota nuncupari ſolebant; aut quorſum prope argenteas, nitidaſque undas Nympharum arae libamentis, victimiſque calebant [3], ſi irriguos fontes inhabitare Deae aquarum praeſides, ac cuſtodes haud putabantur? Quamquam haec Maximi ſententia cum priſcis theologumenis apprime conciliari poterit; quandoquidem Diana eadem umbroſa, humentiaque loca, in quibus Nymphae conſidebant, incolere dicebatur; Nympharum chorum ipſa ducebat; Nymphas comites, ſociaſque habebat. Sed erat prae-

1 Diſſert. xxxviii.
2 Pavsanias *in Achaic.*
3 Conferſis Diſſert. Gallicanam D. Fontenv *ſur le culte des Divinitez des Eaux. Memoire de l'Academ. Royale tom.* xii.

praecipua quaedam, & probabilis ratio, quamobrem Athenienſes hoc gymnaſticum balneum Nymphabus dedicarent, ſive fons in eo ſponte ſua aſſiliret, ſive aqua per ductus illuc corrivaretur, in conclavi, vel labro tepefacienda. Cives illos procul dubio haud latebat, quid olim Nymphae praeſtitiſſent in gratiam Herculis, a quo agoniſtica certamina credebantur inſtituta [1]. Quum Siciliam peragraret, Hymeram inter Pachynum, & Lilybaeum laſſus admodum de via pervenit. Nymphae illic, Minerva deprecante, calida balnea continuo feciſſe dicuntur, quibus Hercules vires recreare, atque reſumere poſſet. Traditum id memoriae in DIODORI SICULI libris: διεξιόντος δὲ τοῦ Ηρακλέους τὴν παράλιον τῆς νήσου, μυθολογοῦσι τὰς Νύμφας ἀνεῖναι θερμὰ λουτρὰ πρὸς τὴν ἀνάπαυσιν τῆς κατὰ τὴν ὁδοιπορίαν γενομένης αὐτῷ κακοπαθείας. *Peragranti Herculi litus hujus Inſulae fabulantur, a Nymphis calida balnea aperta fuiſſe, quibus contractam ex itinere laſſitudinem levaret* [2]. Quae quidem opinio etſi ab hiſtoria mythica profluxiſſet, tanti tamen habebatur, ut ſummus ille vates PINDARUS Ergotelem Himeraeum laudans, id in illius Civitatis commendatione poſuerit [3]:

Θερμὰ Νυμφᾶν λουτρὰ βαστάζεις

Calida Nympharum balnea extollis.

Cives autem exinde *Thermitani* appellati, quaſi certa eſſet facti fides, adeo illud gloriae ſibi duxere, ut in publica urbis ſuae pecunia cum lemmate ΘΕΡΜΙΤΑΝ, hinc Herculis caput, illinc tres Nymphas exſculpi fecerint [4]. Providum ergo, ac religioſiſſimum plane fuiſſet Athenienſium conſilium, ſi

 ob

---

1 Inferius id nobis demonſtrabitur, quemadmodum rerum dicendarum ordo poſtulat.

2 *Biblioth. lib.* IV.

3 *Olymp. Od.* XII.

4 BEGERUS *Nummi Siciliae tom.* I. *Theſ. Br.*

ob id maxime ſuas haſce thermas Nymphis commendaſſent, ut Pugilibus Herculis alumnis opitularentur, & proficuam, ac ſaluberrimam illis eſſe vellent lavationem. Atqui hoc ipſum ſpectaſſe Lotores, ab idonea, probabilique non abeſt conjectura.

Hanc erga Nymphas religionem, atque culturam a Graecis hauſerunt Latini, quos pariter ſua lavacra eiſdem conſecraſſe, non obſcure liquet ex inſcriptione in agro Senenſi olim reperta prope balneum Avenionis. Eam vero ad balneum ipſum pertinuiſſe oculis, ac ſenſu ipſo percipitur: quod apprime viderant Thomasinvs, qui primus eam illuſtravit [1], tum Cl. Gorivs, a quo inter Etruriae monumenta denuo vulgata fuit [2]. Habe illam.

NYMPHIS · SACR.
L· TREBONIVS · PATERNI
LIB. FORTVNATVS
VOTO . POSVIT
SIGNVM . CVM . BASI· M
ET . AEDEM · F· C.

Quod ſi Nymphae non modo ſylvis, montibus, fluviis, fontibus, ſtagnis, ipſi denique mari numine ſuo dominari credebantur, ſed etiam balneis praeeſſe, quemadmodum illae Ἀλσηΐδες, Ὀρεστιάδες, Ποταμηΐδες, Πηγαῖαι, Λειμνάδες, Ἁλιδινεῖς dictæ ſunt; ita iſtae, ducto a loci conditione agnomento, Πλυνηΐδες fortaſſe nuncupari poterunt. Aut ſi poëtae licuit in epitaphio Phileſiae Auſoniae puellae ΝΥΜΦΑΣ ΚΡΗΝΑΙΑΣ

1 *De Donariis cap.* xxv.
2 *Inſcript. Etruriae tom.* I. *pag.* 56.

ΝΑΙΑΣ dicere, atque compellare [1], minime verebor, quae in noſtro marmore expreſſae ſunt, *Balneares* nominare. Sunt autem eae de more omnino *tres*; non quod plures non fuerint [2], ſed quod in omnibus fictis pictiſve monumentis totidem plerumque exhibentur. Huic porro numero vim quamdam, atque ſingularem efficientiam ineſſe tota fabulabatur antiquitas [3]: erat autem id ſumptum ex doctrina Pythagoraeorum, qui hoc philoſophandi genere imprimis delectabantur [4]. Eapropter eodem ternario gaudebant numero Parcae, Furiae, Charites, Gorgones, Sirenae, Heſperides, Harpiae, Sybillae &c.

Solebant aquarum Deae, θυγατέρες Ωκεανοῖο, Tethyoſque prognatae varie effingi. Nonnumquam enim virginea palla, vel tunica eleganti amictae prodeunt, comptis comis, cultuque decentes: aliquando etiam tutulatae, uti in Latino marmore MVSEI NANII, quod κόσμηματος χάριν ad calcem hujus paragraphi iterum recudimus. Interdum ſeminudae, corpore inferius velato, quemadmodum apud SPONIVM [5], & GORIVM [6]. Nudatas quoque placuit repraeſentare: ita ſcilicet in anaglyphis MAZOCHII [7], & FABRETTI [8]. Marinis id maxime proprium fuerat, quas a Tritonibus curvato dorſo per undas ſubvectas opus fictile ſuperius prolatum [9] demonſtrat. His aquatica emblemata, naturae, officiique inſignia non

---

1 FABRET. *Inſcript. Domeſt. pag.*192.

2 CXVIII. enumerantur a BANIERIO *La Mythologie & les Fables &c. tom.* II. *lib* II. *chap.* X. Sed mancus certe hic ſyllabus eſt; aliae enim a Graecis Poetis celebrantur, quarum nomen ibi deſideratur.

3 Plura jam de eo SPONIVS *Recherches Curieuſes d'Antiquitez. Diſſertat.* XXIX. GRONOVIVS *in Tabulis Theſaur. Graec. Antiquit. tom.* I. Sed potiſſimum FABRETTVS *de Aquaeductis Diſſert.* II. tum CL. PASSERIVS *Oſſervazioni Part.*I. *pag.* XLI.

4 V. BRVCHERVM *Hiſtor. Philoſoph. part.*II. *lib.*II. *cap.* X. *ſect.*I. MOSHEMIVM *ad Syſtema Intellectuale* CVDWORTII *cap.*IV. §.20.

5 *loc. cit.*

6 *Inſcript. Etrur. tom.*I. 87. *pag.*47.

7 *Antiqua Epigram.* CV.

8 *Inſcript. pag.*432. *num.*5. Vide *de Columna Trajani pag.*174.

9 *pag.* 144. Rurſum in aeneae lucernae ectypis *pag.*217.

non ſemel addebantur. Quare Nymphas nunc videas concha, aut urceo aquam fundentes [1], nunc folium herbae, quam DIOSCORIDES νυμφαῖαν appellavit [2], vel mollem algam manu gerentes [3], nunc paluſtri harundine inſtructas [4]. Iiſdem ſenſibus, parique ſtudio, ac voluntate omnes fuiſſe animatas, geſtus indicat, quo dexteras invicem nectunt. In Athenienſi hoc noſtro anaglypho concinno oppido amictu donantur; bene pexae, manibuſque mutuo copulatae apparent. Sane ſi gratia frontis, ſi ſcita comae compoſitio, & redimiculum in crines, ſi venuſta, ampla, ornataque veſtis, ſi amica complexio Nymphas decebat, minime dubitaverim eaſdem referre ſpectabile Graeci, & molliſſimi operis priſma ex Lychnico, ſeu Pario lapide, quod heic apponendum duxi. Priſmatis uſum ſi quis a me petat, ornati genus fonticulo artificiali, aut machinae hydrotechnicae aptandum, me judice, exiſtimabit. Novimus enim veteres luxus, & elegantiae amantiſſimos fontibus ſalientis aquae villas decoraſſe, quarum magnificentia, amplitudo, amoenitas late deſcribitur a GREENIO [5], CASTELLO [6], PHELIBIENIO [7]. Conſtabant aliquando ejuſmodi fontes ſyphunculis, fiſtulis, ſignis ſic ingenioſe compactis, colligatiſque, ut aqua vario, ac jucundo luſu exiliret. Hinc inter veterum aedificiorum, villarumque rudera, & parietinas interdum reperiuntur ornatiſſima fontium epiſtomia, & aereae icunculae perforatae [8], quae procul dubio feſtivis aquarum eruptionibus, ac ſcaturigibus efficiendis olim inſerviebant. Qui vero eſſe

1 SPONIVS *l. c.* V. BELLORIVM *le Pitture antiche del Sepolcro dei Naſoni &c.*
2 *lib.* III. *cap.* 149.
3 FABRET. *l c.*
4 Noſtrum Marmor infra producendum.
5 *De Ruſticatione Romanorum, nec non de villarum ſtructura.*
6 *The Villas of the ancients illuſtrated.*
7 *Les Plans, & les deſcriptions de deux plus belles Maiſons de Campagne de Pline le Conſul par Jean Francois Felibien des Avaux.*
8 MONTFAVCON *Antiquit. explic. lib.* III. *cap.* XV. Clariſs. COMES de CAYLVS *tom.* I. *tab.* LXXIV.

eſſe poterat ornatus in eam rem accomodatior, quam lepidum Naiadum idolum? Eſt inſuper in priſmate foramen, ſeu canaliculus, ex quo hunc veroſimiliter fuiſſe illius uſum, deduci poſſe videtur.

Ex





All palm Rom. 1. 6

Ex his, quae paullo ſuperius ex Graecorum diſciplina retulimus, cauſſa praeſto eſt, quamobrem Nympharum imagines cum Herculis, Dianaeque ſimulacro a ſculptoribus conſociarentur [1]. Nec etiam explicatu difficile eſt, cur etiam Silvanus, Apollo, Mercurius, Neptunus [2] illis adderetur. Sed non ita pronum dictu, quis ſit in Athenienſi marmore juvenis ille aſpectu, vultuque decorus, chlamyde, ſeu amiculo ad pectus religato, caetera nudus, qui Nymphas antecedit, eaſque velut choragus manuducit. Quandoquidem heic nulla prorſus eorum Numinum, quae hactenus Nymphis adjuncta vidimus, ſymbola atque inſignia conſpiciuntur [3], praeclare, probeque animadverti, aliam fore excogitan-

1 Marmor. anaglyph. apud SPONIVM *l. c.* & FABRETTVM *de Aquaeduct. l. c.* Hercules Fontinalis, ſive Fontium repertor, & ductor celebratur ab APOLLONIO RHODIO *Argonaut. lib.* IV. Adeundus CL. GORIVS, *Muſeum Florentinum*, *Gemmae Claſs.* I. *Tab.* XIV.

2 Tria priora Numina Nymphas comitantur in mox recenſitis anaglyphis. Adde hic Donianae Collectionis inſcriptionem *Tab.* VII.

NEPTVNO . ET . OMNIBVS . NYMPHIS.

3 Venerat in mentem addubitare, num Bacchi ea eſſet effigies. Hunc enim a Nymphis ſuiſſe enutritum teſtata res eſt; unde Nymphae ab auctore Orphicorum *τροφοὶ Βάκχοιο* dicuntur: *hymn. in Nymph.* Similiter in Latina inſcriptione apud GVDIVM LVII. 4. Baccho copulantur.

NYMPHIS . NVTR. LIBERO
PATR. CONS. DOM. ORC. *Domus Orciviae*
L. ORCIVIVS . MEMMIANVS &c.
D. D.

Tum illa duo huic conjecturae fortaſſe poſſe ſuffragari videbantur. Scilicet quod ea marmoris pars, qua Nymphae concluduntur, ad modum ſpeci, praeruptaeque rupis conformata ſit, Nymphiſque Satyrus aſſideat. Haec duo conſideranti mihi HORATII illud (*Carmin. lib.* II. *Od.* XIX.) ſuccurrebat, quum finxit in antri receſſu ſe vidiſſe Bacchum artem carminis Nymphas edocentem, Satyroſque capripedes acutis auribus aucupium facientes. Sed ut aliter de noſtro lapide exiſtimarem, diverſamque ſuſciperem opinionem, multa compulerunt. Nulla heic Dionyſiaca ſymbola occurrebant: non hederacea corona, non thyrſus, non diota, non tigris.

gitandam interpretationem, aliamque ſabulam quaerendam, quae cum Nympharum geſtis apprime, vereque conſentiret. Ea autem inveſtiganti mihi, niſi omnia me fallunt, ex THEOCRITO [1], APOLLONIO RHODIO [2], & NONNO [3], mirifice affulſit. Hylam ergo Theodamantis filium jam in beatorum numerum relatum in noſtro lapide expreſſum credo.

Cui non dictus Hylas puer?

Sed ut propoſita a me explicatio perſpicua fiat, neceſſe eſt hujus Herois caſus, raptumque, licet poëtis protritum in anteceſſum paucis ſaltem commemorare. Lectiſſimus itaque atque candidus hic adoleſcens, Herculis, Nympharumque delicium, patre occiſo, ab ipſo Hercule, dum Colchos adnavigaret, cum caeteris Argonautis abductus fuit. Verum quum inter navigandum in Propontidem veniſſent, Cianum ſinum appulſi [4], & de navi in littus egreſſi coenam inſtru-

 xerunt.

---

tigris. Praeterea nec juvenis ad poëſim Nymphas inſtituit, nec eae auſcultant dictata magiſtri; ſed ille alio oculos defigit, iſtae nihil de verſibus, aut de muſica videntur cogitare. Nec etiam Satyrus Baccho aurem praeſtat, ſed fiſtulam imparibus compactam cannis ori admovet, inflatque. Huic ergo fabulae nequaquam alludit ſuperior noſtri marmoris pars. Quod HORATIVS tetraſticho illo complexus eſt, totum adamuſſim ab excellenti artifice marmori inſculptam viſitur in monumento, de quo nos ipſi egimus in opere, cui titulum fecimus: ΣΚΙΑΔΙΟΦΟΡΗΜΑ, *ſive de Vmbellae Geſtatione cap.* II. *cap.* XIV. Bacchum μελπόμενον Nymphas in ſpecu erudientem, Satyriſcis tibia, cantuque plaudentibus, in eo cernere eſt; ſed quam diſſimilis ab Athenienſi anaglypho illic figurarum poſitio, geſtus, & emblematum acceſſio deprehenditur!

1 *Idyll.* XIII.

2 *Argonauticorum lib.* I. *v.* 1207. Scholiaſtes ipſius multa de Hyla ex PHERECYDE, HELLANICO, ANTICLIDE, SOCRATE, ONASO, ARCHILOCHO producit, quibus fortaſſe veterum ſcriptorum antilogiae conciliari poſſent, ſed non id a nobis agitur hoc tempore.

3 *Dionyſiacorum libro* XI. Adde ex Latinis VALERIVM FLACCVM *in Argonauticis lib.* III. PROPERTIVM *Carm.* I. XX.

4 Ad montem *Arganthoneum* Phrygiam verſus Cianum conſtituit CL. CARLIVS in charta topographica itineris Argonautarum (*Della ſpedizione degli Argonauti in Colco.*) Verum, quae ab antiquis Chorographis traduntur, ſic obſcura ſunt, ut incertum videatur, num potius ad alterum montis aſpectum collocari ea regio debeat.

xerunt. Abiit tum flavus Hylas fontis ſcatebram quaerens, ut aquam Herculi, Telamoni, ſociiſque coenaturis afferret. Fontem in loco declivi, & herboſo [1] animadvertit, illucque hauſtum perrexit. Sed Nymphae, quae amoenum accolebant craterem, caſu tum temporis choreas illic in honorem Dianae ducebant, forma, decore, venuſtate Hylae captae, dum puer procumbens in pectus, ſitulam profundo latici admovet, illum peramanter abripiunt, in fontis latebris a mortalium oculis, conſpectuque ſublatum occultant, ſuoque aggregant choro.

Οὕτω μὲν κάλλιστος Ὕλας μακάρων ἀριθμεῖται.

Sic pulcherrimus Hylas inter immortales numeratur [2].

Adeo verum eſt, raptum ejuſmodi pro Apotheoſi fuiſſe habitum, ut ſacra quaedam Hylae fuerint deinde dedicata, in quibus qui feſtum agebant, circa fontem aberrantes, nomen illius inclamabant, quod a Cianis maxime obſervatum fuiſſe, tradit Apollonivs [3].

Τοὔνεκεν εἰσέτι νῦν περ Ὕλαν ἐρέουσι Κιανοὶ.

Ea propter Ciani uſque hodie quaeritant Hylam.

Jam duo ſunt, quae celeberrimum hunc adoleſcentem in noſtro marmore exhiberi, non opinione ſolum, ſed etiam ad veritatem mihi perſuadent. Primo quidem vultus, habituſque proprietates. Caput juvenis ſtrophio, ſeu vitta redimi-

---

1 Theocritvm, atque Apollonivm duces, auctoreſque hic ſequor, quorum prior *Fontis* ſitum, & circumpoſitum amoenum craterem accurate deſcribit; alter *Fontem* ab affinibus incolis πηγὰς fuiſſe nominatum expreſſe affirmat. Neque conturbor paucorum ſcriptorum auctoritate, qui vel ad *Cium* flumen, vel ad *Aſcanium* lacum Hylae raptum eveniſſe putant. Nam his potius auctoribus fides habenda videtur, qui hanc mythicae hiſtoriae partem abſolute pertractarunt, quam qui illam obiter attigerunt.

2 Theocrit. *l. c.*

3 Adi Lacerdam *ad Eclogam* vi. Virgilii *verſ.*41.

dimitur, ut capilli in vertice bene diſtenti, & circumquaque aptati pileoli ſpeciem referant: quod aut ad regiam Hylae ſtirpem denotandam, aut ad quoddam Divinitatis ſymbolum exprimendum conſulto ab artifice factum, credi par eſt. Palliolum, uti jam monuimus, habet eleganter a tergo defluens, more Graecorum Heroum [1]. Verum eodem capitis ornamento, eodemque habitu effigiatus in caelatis lapillis [2], antiquiſque ex typis [3] Hylas viſitur. Igitur paria oris, corporiſque lineamenta eumdem hic occurrere, pro certo commonſtrant. Praeterea quis ſuavior, chariorque Nymphis comes dari, adjungique ab artifice poterat uno Hyla, qui illis adeo in amoribus fuerat, & laeto, jugique cum illis contubernio uſus eſt? Annon in Fabretti anaglypho, cujus toties meminimus, & ad fontis, aut lavacri, aut etiam thermarum ornatum haud dubie exſculpto Hylam Nymphis additum conſpicimus?

Quod ſi in Athenienſi formoſum Theodamantis filium non puerum, ſed jam adultum, non a Naiadibus certatim rapi, nec de inopinato caſu conqueri vidimus, ſed cum fontis Deabus placide verſari, nexiſque manibus, choreas inſimul agitare; dicendum profecto eſt, eximium, gnarumque ſculptorem non Hylae raptum, ſed meliorem, tranquillum, ridentemque ſtatum effinxiſſe, quum is nempe, pulſa jam ex animo priori moeſtitia, ac perturbatione, jucundiſſima cum Nymphis bonorum complexione perfundebatur, pleniſque Divorum gaudiis, ac tripudiis juxta fontes indulgebat. Ideoque non unam, ſed *tres* Nymphas rei perſpicue declarandae ſapientiſſime adjecit. Porro nonniſi unam Nympham Hylae amore exarſiſſe, proptereaque ab una raptum poëtas finxiſſe, eſt apud Dionysium in *Periegeſi*, ubi Myſiam, fluviumque Cium deſcribit [4].

1 Ita a Graecis caelatoribus Diomedes, Vlysses, Achilles, aliique repraeſentantur.

2 Theſaurus Gemmar. Ebermayeri *cap.* II. *num.* LXX.

3 Fabret. *de Aquaeduct. Diſſert.* II.

4 *Verſ.* 807.

τῶ ποτ' ἐπὶ προχοῆσιν Ὕλαν ἡρπάξαντο νύμφα.

Cujus olim juxta fluenta Hylam rapuit Nympha.

Quae ea fuerit ab Apollonio perhibetur [1]:

Ἡ δὲ νέον κρήνης ἀνεδύετο καλλινάοιο
Νύμφη Ἐφυδατίη . . . . . .

At vix emerſit ex illimi fonte
Nympha Ephydatia . . .

Idcirco Nonnus Hylam appellat [2]:

Νυμφίον ἰκμαλέῃ πεφυλαγμένον ἅρπαγι κούρῃ;

Sponſum humidae cuſtoditum rapacis puellae.

Ex quo perſpicitur, hiſce ſcriptoribus perſuaſum fuiſſe, unam tantummodo in hac fabula celebrari oportere, reliquas poſt raptum ad fontem veniſſe, plauſiſſeque Sorori, quae puerum rapuerat. Theocritus tamen tres omnino in idem facinus conſpiraſſe [3], ſcripſit:

Πασᾶν γὰρ ἔρως ἀπαλὰς φρένας ἀμφεκάλυψεν,

Omnium enim mentes teneras amor occupaverat.

Quarum nomina ibidem prodit:

Εὐνίκα καὶ Μαλὶς ἔαρ θ' ὁρόωσα Νυχεία

Eunica, & Malis, inſtar veris aſpiciens Nychea.

Vtramque ſententiam feliciter conciliaſſe videtur Athenienſis lapicida. Nam licet ex praeclara, veriorique poëtarum do-

1 *loc. cit.*
2 *Dionyſiac. lib.* XI. *verſ.* 229.
3 *l. c.* Theocrito conſentit Nicander *in Theriacis*.

doctrina una tantum ex Deabus amore incenſa adoleſcentem in Nymphaeum abduxerit; certum attamen eſt, Hylam cum omnibus manſionem, neceſſitudinem, beatitatem communem habuiſſe. Quandoquidem ergo non raptum, ſed Hylae cum Nymphis conſuetudinem, atque convictum ſibi exprimendum propoſuerat, ſcite, & ad fabulae praeſcripta ternas effinxit. Vt vero, quae prima in pueri complexum ruerat a caeteris internoſceretur, hanc ne dum Hylae proximam exſculpſit, ſed magis concinno capillorum contextu, nobilique mitella donavit, uti plurimum dilectam, ſponſamque decebat. Haec itaque *Ephydatia*, ſive *Eunica* merito credi poterit.

Cum hoc laetiſſimo Nympharum choro, quae gaudiis, jociſque vacant, nihil erat, quod aptius congrueret, ac cohaereret, quam Satyrus, quem cernis pone Deas in herboſo colliculo ſedere,

Et ſupra calamos uno percurrere labro.

Sileni quidem, Silvani, Aegypanes, Satyri, omniſque haec Superum plebs, ſemideumque genus fingebatur cum Naiadibus habitare, eiſque famulari. Quare Plato Comicvs Satyrum inducit ſic loquentem:

Ἐιμὶ δὲ ταῖς νύμφαισιν ὁμέστιος· ἀντὶ δὲ τοῦ πρὶν
Πορφυρέου μέθυος, λαρὸν ὕδωρ προχέω.

Sum vero Nympharum contubernalis, & pro priore
Purpureo vino, gratam aquam profundo [1].

Et quia ſaltatio quaedam videtur in marmore adumbrata, Satyrus, quod in ea actione requirebatur convenienter praeſtat, Nymphis ſcilicet Hylae agreſti concinit ſyringa [2]. Tandem

1 *Antholog. lib.* IV. *epigr.* XCVII.
2 V. Blanchinivm *de tribus Inſtrumentorum Muſicae Veteris generibus cap.* I. §. 6.

dem de ingenti, fictitia, ac deformi larva, quae in oppoſito antri angulo viſitur, non eſt cur aliquid commentari aggrediar. Cognitum habent antiquitatis ſtudioſi cultores id eſſe commune, atque uſitatum ornamenti genus, quod veteres artifices ad omnia propemodum opera exornanda affatim conferebant. Quamquam non inficiabor, Athenienſem marmorarium aliud forſitan animo intendiſſe. Nam quum ejuſmodi monſtroſa capita etiam fontium emiſſariis aptarentur, ut aqua per patulum os quaſi ludens effluerct, probabile admodum fit, hoc fontali emblemate purioris aquae ſcaturicem portendi, atque ſignificari potuiſſe, ut quae fuerit propria Nympharum domus, cura, ac tutela, balneum ingredienti in oculos, mentemque incurreret.

§. III.



larva p. 1 unc. 9. *ex Narona Dalm.*

§. III.

ΚΑΙ ΘΕΟΙΣ ΠΑΣΙΝ.

ϰ̀. Θεοῖς. Πᾶσιν &c.

QVI ita miſere deſipiebant, ut omnia, quae in hac adſpectabili rerum univerſitate ſuſpicimus, & commoda, quibus utimur, non ab uno tantum auctore, ac Numine effici, impartiri, adminiſtrarique arbitrarentur [1], ſed plures, varioſque Deos fingerent, qui rerum humanarum curam agerent; quum quidpiam mirum in modum percuperent, ſibique bene, proſpereque cedere exoptarent, poſt ſpecialem aliquorum Numinum invocationem *Deos*, *Deaſque omnes* obteſtabantur majorem exinde fauſtitatem felicioremque rei eventum ſtultiſſime praeſtolantes. Quod ita ſancte, pieque obſervatum legimus, ut ea precatio inter inviolandas rituales formulas recepta, cuſtoditaque fuerit [2]. Itaque Athenienſes Lotores poſt dedicatum NYMPHIS aquarum cuſtodibus balneum, caeterorum τῶν Θεῶν πάντων opem implorantes, commune quoddam inſtitutum, ſacerrimam Pontificum diſciplinam, antiqua Ethnicae Religionis jura retinuerunt. Cujus formulae duplex animum ſubit exemplum, ex Graecis tabulis petitum. Primum eſt foedus Latiorum, & Olontiorum marmori inſculptum ex Creta a Johanne Molino Inſulae Praeſide ſuperiore aetate Venetias tranſmiſſum [3]. Alterum eſt amica conventio Ducis, uti videtur aut Principis cum Hierapytniis, quam Ampliſſimus Venetus Senator non ſolum domi, & inter cives, ſed apud exteros quoque commendatiſſi-

1 Sapientiſſimos Philoſophos unum tantummodo admiſiſſe Deum probare nititur VOSSIVS *de Origin. Idololatr. lib.* 1. *cap.* 1I.

2 BRISSONIVS *de Formulis*, *& ſollemnibus P. R. verbis lib.* 1.

3 Ediderunt GRVTERVS. *pag.* DV. 2. REINESIVS *Claſs.* VII. 26. *aliique*.

tiſſimus FLAMINIVS CORNELIVS ex Cod. Vaticano in vulgus edidit [1]. In utroque monumento, qui pactionem faciunt, quo arctius, ſanctiuſque fidem obſtringant ſuam ſponſionis teſtes appellant majores gentium Deos, tum demum **Νύμφας** *κὴ τὰς ἄλλας Θεὰς πάντας κὴ πάσας*.

Quamquam vero Attici Balneatores, ſeu Thermarii videantur univerſam eſſe complexos, Deorum turbam ea formula dubitari haud poteſt, qui eos maxime reſpexerint Deos, quorum praeſertim tutelae locus commendatus credebatur. Vt enim ruſticus ille Virgilianus Deos, Deaſque omnes precatur, ſed quibus praecipue datum erat arva tueri, ſegetes alere, & imbrem demittere coelo; ita credendum eſt, Lotores illorum potiſſimum Numinum exoraſſe auxilium, quae Balnei Stadiique cuſtodiae excubare putabantur. Ad duas itaque claſſes id genus Dii revocari poſſunt. Atque inter eos, a quibus balneum, ſive thermae illae Athleticae protegi par erat, Diana profecto recenſeri debet; non tam quod Nympharum agmen illa duceret [2], ſed quod ejuſmodi lavacra eidem conſuevering dedicari, quae proinde tum ab ARISTIDE [3], tum in publicis monumentis [4], **Ἄρτεμις Θερμαία** non ſemel appellatur. Quod ſi potius lubeat dicere, Lotores hic *Deos omnes* Palaeſtrae & Gymnaſii praeſides comprecari, ad quos certe pertinebat balneas, thermaſve in Athletarum commodum extructas defendere, atque ſervare; tum in hoc Deorum *ἀνωνύμων* cenſu primus Hercules numerandus eſt.

Porro ſi minus prima, ſane omnium celeberrima certamina, in quibus homines virium ſuarum periculum fecerint, *Olympia* fuiſſe, tam certum eſt, quam quod certiſſimum. Herculem vero ea inſtituiſſe, invexiſſeque POLYBIVS [5], DIO-

1 *Creta Sacra Part.* I.
2 Confer, quae initio ſuperioris §. diximus.
3 *Sacr. Serm.* IV.
4 GRVT. *pag.* MLXVI. 14. 15.
5 *Epitom. lib.* XII.

Diodorvs [1], Pindarvs [2], Phlegon [3], tamquam rem notiſſimam, ac tralatitiam perhibuerunt. Ideo inventi epocha atque memoria adhuc cernitur conſignata Marmoreo Chronico Oxonienſi [4], Faſtiſque Herculeis Farneſianis, quos feliciter, ac quantum libuit, perſpicue emaculavit, reſtituit, illuſtravitque ὁ ἐξοχώτατος Ed. Corsinvs [5]. Ex qua ludorum, inſtitutique celebritate factum procul dubio eſt, ut Gymnaſia Herculi, veluti Athletarum Soſpitatori ſacra habita ſint [6]; ſigna [7], aedes [8], arae [9], ἐξέδραι etiam [10] Herculi in palaeſtris dedicarentur; agones in Stadio peracti *Heracleotici* nuncuparentur [11], ipſi denique Athletae *Herculanei* [12], *Herculis cultores* [13], Herculis pueri, liberi, alumni, **Ἡρακλέους μαθηταὶ**, καὶ ζηλωταὶ [14] fuerint dicti, atque ab Hercule ipſo ludorum praeſide

1 *Biblioth. lib.* IV.
2 *Olymp. Od.* II.
3 *De Olympiis.*
4 *Marm. Oxon.* I. *lin.* 37. Vide Lydiati *Commentar. ad h. l.* ſed praecipue doctiſſimum Franciscvm Blanchinivm, *Storia Vniverſale provata coi Monumenti Decad.* III. *cap.* XXVIII. §. IV.
5 *Herculis Quies*, & *Expiatio*. *Verſ.* 64. Adi inſuper ejuſdem Cl. Viri *Diſſert.* I. inter *Agoniſticas* §. II.
6 Plvtarchivs *in Tit. Quinctio Flam.* refert ſua aetate adhuc exſtitiſſe apud Chalcidenſes titulum, qui de dedicato Herculi Gymnaſio teſtabatur.
7 V. Pavsaniam *lib.* IV. *ſive Meſſenic. cap.* XXIII. & Phornvtvm *p. m.* 170. *de N. D.*
8 De Fano Herculis in Gymnaſio Athenienſi, quod Cynoſarges dicebatur, auctor eſt Polemon apud Athenaevm *Deipnoſ. lib.* VI.
9 Pavsan. *in Arcadic. in Corinth.*, & alibi V. Petri Fabri *Semeſtria lib.* II. *cap.* XI.
10 Dion Chrysostomvs *Melancom.* I. ἐξέδρα hic cellam ſignificare videtur; ſed quia ea vox aliquando etiam pro throno, ſella, & καθέδρα accipitur, forte etiam hoc genus donariorum Herculi fuit oblatum. Confer, quae *de Sellis Votivis* congeſſit Anglus ſcriptor J. Nixon. *ad Marmor Eſtonianum.*
11 Adiſis Alciatvm *ad L. unic. C. de Athletis lib.* X.
12 In Decreto Hadriani, & Antonini, quod eſt inter lapides Smetianos. *Auctar. pag.* 58.
13 Smet. *Inſcript. fol.* CXL.
14 Dionys. Halicarn. *Exhort. ad Athletas.*

. . . . . ſacri tripodes, virideſque coronae
Et palmae, pretium victoribus . . . .

expectarentur [1]. Cauſſa exinde perfacile ſuppetit, cur mutilum Herculis ſignum non longe ab Athenienſi Stadio, anno mox revoluto, inventum fuerit: ibi nempe, ubi ſingulari indulgentia, & praeſentiſſimo patrocinio pius Alcides Hieronicarum laboribus favere putabatur.

Signum baſi opere ſculptili inſtitit, atque columnae quadratae, quae a tergo aſſurgit, adhaeret: ea autem ſenſim gracileſcit, & ſupra ſtatuae altitudinem attollitur. Eſt in faſtigio ipſius orbiculare foramen, ut globus, aut nux pinea, aut turbinatus capulus ibi poſſet infigi; atque ex hac concinna partium compoſitione elegantiſſimus quidam *Metae* apex pararetur. Profecto quum, *Stelam* a Graeco artifice Herculis ſigno ſic additam, copulatamque intueor, & ubi cimelium hoc neglectum, ac ſemiſepultum jaceret, recogito, pignore contenderim, hunc unum procul dubio extitiſſe illius uſum. Digna ſane ea videtur, quae in nobiliſſimo, atque ornatiſſimo illo Athenarum ἀγωνιστηρίῳ conſtitueretur! Dolendum propterea nonnullas eximii operis partes temporis injuria, & voracitate ſic concidiſſe, ut quae olim fuerit integra illius conformatio, nonniſi conjectando affirmare liceat. Verum illae, quas edax non potuit abolere vetuſtas, de his, quae deperierunt, non obſcurum indicium faciunt. Ac

1 Adumbratum id mirifice in nummo Trajani ΗΡΑΚΛΕΩΤΑΝ, in cujus poſtica facie palaeſtra, ſive theatrum viſitur; Hercules vero certaminum praeſes in arena ſella, ſeu throno inſidens Athletam palma, & corona jam a ſe donatum affatur, populo in gradibus circumſpectante. Non me praeterit, Mercurium quoque ſigna, & aras in Gymnaſio obtinuiſſe; quod vel maxime addiſcere licet ex vetuſto Athletarum decreto marmori inſculpto, quod vulgavit FL. VRSINVS in adnot. ad librum ANT. AVGVSTINI *de legibus & S. C.* at non ideo princeps Palaeſtrae cuſtos, & ſoſpitator credebatur, ſed ſocius, comeſque Herculi additus. Similiter Athenis erat in *Lyceo* unum Apollinis ſignum, a quo praemium expectabatur, ſed quod eo in loco *Pythii Ludi* populo darentur, qui uni Apollini erant ſacri. V. MVHLEVM *Diſſert. de Lud. Pyth.*

ΗΡΑΚΛΗΣ ΚΑΙ ΤΗΛΕΦΟΣ



Ex Athenis 1759 ... *Fom*

Ac primo conſideranda ſunt emblemata,quibus ornatur frons baſis. **ἐνταῦθα Τηλεφῳ τῷ Ηρακλέυς γάλα ἐςὶν ἔλαφος παιδὶ μικρῷ διδῦσα;** *illic cerva viſitur Telepho puero Herculis filio lac praebens*, ut olim in Helicone ſe vidiſſe refert PAVSANIAS [1]. Atqui Telephum quoque ſuperius eſſe quaerendum, ut varios pueritiae ipſius eventus hic artificem expreſſiſſe, credi debeat, monere, atque etiam ſignificare videtur belluae pars **ἀκέφαλος** ipſi baſi inſiſtens. Certe quidem ungula pedum bifida truncum, & mutilum animal omnino manifeſtat, ac *Cervam* eſſe oſtendit. Quid ni ergo ex hoc indicio plane conjectem, eamdem fuiſſe hujuſce ſtatuae ſpeciem, quam Cerva ad Herculis pedes poſita demonſtrat a ſculptoribus effingi conſueviſſe? Duo a me utrinque adjecta monumenta rem omnem patefaciunt, & ad epidicticon traducunt. Primum eſt nummus a Tarſenſibus in honorem Maximini Aug. cuſus, cui inſcriptum: **ΤΑΡCΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛ. ΑΜΚΓΒ.** Crediderat LIEBEVS eo in nummo Hylam ab Hercule raptum repraeſentari [2], VAILLANTIVM ſequutus, qui alterum Midaeorum ſimilis prope typi ita fuerat interpretatus [3]. Sed longe verius anim-

1 *In Boetic. ſive lib.* IX. *cap.* XXXI. Telephi educationem, & Auges matris caſus varie pro diverſa fabulatorum ſententia ab artificibus tabulae, vel marmori penicillo, aut ſcalpro reddi poſſe, jam monuit ſcientiſſimus COMES DE CAYLVS (*l' Hiſtoire d' Hercule Thebain Tableau* XCII.) Re quidem vera ejuſmodi fabula aliter picta, & udo tectorio inducta conſpicitur in tabula Regii *M*uſei Herculanenſis (*le Pitture antiche di Ercolano &c. Tavola* VI. *Obſervations ſur les Antiquités d' Herculanum par* COCHIN, & BELLICARD *Planche* 16.) In qua, ut interpretor, Auge floribus redimita, arundine ruſtica obarmata rupi inſidet. Nympham eſſe, prodit Satyrus pone illam ſyringa canens. Stat e regione Hercules, qui lactentem puerum, & cum Cerva ludentem obſervat: deſuper nubibuſque ſubvecta Providentia, pueri tutelari. Aliter vero expreſſa occurrit in anaglypho marmoreo, quod anno ſuperiore inter Lacum Regillum, & Labicum eruderatum fuit, nunc autem in Villa Burgheſia, quae Pinceana dicitur, adſervatur. Ibi enim Auge videtur Telephum recens natum amanter contemplari, verſarique in acerbiſſima ſollicitudine, quod ut ſuae, filiique vitae conſulat, illum Cervae lactandum relinquere debeat.

2 *Gotha Nummaria cap.* XI. §. XIX.

3 *Numiſmata Maximi moduli e Muſeo Franciſci de Camps Num. Juliae Domnae.*

animadverterunt CARYOPHILVS [1], & FROELICHIVS [2], Herculem hic perſpicue eſſe effigiatum, qui Thelephum ſuum ex Auge Nympha filium oſtentat. Quod tum infans ad Cervam ſuſpicientem ambas tendens manus, tum arbor ſylvae Partheniae, in qua nutritus fuerat, index, apertiſſime denotare videntur. Hoc ipſo geſtu Herculem, Telephum, Cervamque adſidentem in noſtro **πολυμέρει** ſimulacro Graecum artificem expreſſiſſe, nullus dubitaverim. At quoniam in Athenienſi ſigno Hercules non dextero, uti in nummo Tarſenſium, ſed

---

1 *De Thermis Herculanis in Dacia detectis pag.* 41. II. editionis. Praeclaram ibi addit Herculis ſtatuam, quae etiam ad noſtram redintegrandam ſubſidio eſſe poſſet.

2 *Appendicula ad Nummos Auguſtor. &c. ab Vrbibus Graecae loquentibus cuſos, quos Vaillantius collegerat num.* CXCIX. Ne quiſpiam quaeſo ſit, qui mihi culpae vertat, quod nihil prorſus diſputaverim de notis illis compendiariis ΑΜΚΓΒ; quae non modo in mox producto nummo, ſed etiam in aliis Tarſi, & Anazarbi cuſis occurrunt, quaeque eruditos viros in tam varias, diſtractaſque abduxere ſententias. Omnium ſiquidem teruntur manibus BIMARDI obſervationes (*Science des Medailles tom.* II. *Novelles decouvertes ſect.* I. §. VI.) quibus ille TRISTANI, PATINI, GEORGII, HARDVINI, JOVBERTI, FITTONI, HOLSTENII, VAILLANTII, BANDVRII, HAYMI exploſit interpretationes, demonſtravitque nihil ſolidi, verique afferri, ſi tria potiſſimum elementa, in quibus controverſiae ſumma ſita eſt (nam duo poſtrema facile inter doctos convenit, tantumdem valere, ac Γράμματι Βουλῆς) ita explicentur: Αματικῆς Κιλικίας; vel Αμφοτέρας Κιλικίας; vel Αδελφοὶ Μεταλλεῖς Κιλικίας; vel πρώτης Μητροπόλεως, πρώτης Μεγίστης, ſive Μεγάλης, πρώτης Μόνης Κιλικίας, vel Αγχιάλης Μοψουεστίας Κοινὸν. Vtinam vero vir ille eruditiſſimus poſtquam aliorum refellerat cogitata, ſuum de ejuſmodi ſiglis interpoſuiſſet judicium! Sed in hoc vado, ut caeteris antiquariis, ita illi aqua haeſit. Poſt editas BIMARDI cenſuras CL. MAZZOLENVS novam excogitavit trium litterarum ΑΜΚ explicationem, quam propoſuit in *Addendis ad animadverſiones in Numiſmata Muſei Piſani tom.* II., ſuſpicatuſque eſt, eas denotare Αγῶνας Μεγάλους Κιλικίας. Quam explicationem ingenioſam, auſpicatiſſimam, cunctiſque anteferendam vocat amicus noſter C. J. ANSALDVS in Regio Taurinenſi Athenaeo Profeſſor; *Epiſtola de Tarſenſi Hercule in Jaſpide inſculpto*. Viderint peritiores, ſi quae ex *Magnis Agonibus*, *Magnis Aſclepiis*, *vel Actiis*, *vel Adrianaeis &c.* certaminibus ad eam confirmandam ab auctore coacervantur, tanti ſint, ut omnem de medio tollant dubitationem, & an aliquando in tuto res ſit.

ſed ſiniſtro cubito clavae innitur, atque in eam partem paullulum reclinatur, nec Cervae etiam poſitus omnino conſentit; ſardam antiqui operis ex tenui noſtro penu e nummi regione incidi fecimus, ex qua convenientiſſime integra ſigni facies, qualis olim exſtiterat, non conjici modo, ſed etiam exſcribi poterit. In qua delineatione etſi *Claviger*, *Invictus*, *& Pollens Deus* Pugilum oculis placidus exhiberetur; jure tamen meritoque in Stadio collocari potuit, ut pote qui ab omnibus agnoſceretur **ΠΡΩΤΟΣ ΑΓΩΝΙΣΤΗΣ** [1].

Sequuntur jam poſt monumenti dedicationem *Lotorum* nomina ΙΩΑΓΟΡΑΣ ΞΩΚΥΓΡΟΥ &c. Fuiſſe id in more poſitum, ut illorum nomina, qui ad opus aliquod publicum faciundum pecuniam erogaverant, vel curam quoquo modo contulerant, deſcriberentur, & ad perennitatem marmoreis tabulis conſignarentur, optime, diſerteque cognoſcitur, ac demonſtratur exemplo tot aliorum lapidum, in quibus id genus catalogi inſculpti leguntur; quos ſi ego heic percenſere vellem, nimis protrita, ac vulgata importune oggererem. At quamvis iſthaec *ὀνοματογραφία* apud Graecos plurimum uſuvenerit, neſcio tamen, an alia ſit, quae ſic peculiari, aptoque teſtimonio queat confirmari, quemadmodum haec Atticorum Lotorum nomenclatura. Suppetit illud ex LAERTIO in vita Zenonis Cittiei. Quum Athenis, ubi Philoſophus verſabatur, publicum lavacrum eſſet exſtruendum, Zeno, qui multas benevolentiae, & honoris teſtificationes ab Oppidanis acceperat, & plebis decreto *χρυσῷ στεφάνῳ κατὰ τὸν νόμον*, *aurea corona rite, ac legitime* donatus fuerat [2], libenter balneo aedificando ſuam contulit ſymbolam. Sed animadvertendum, quod mox inſequitur. *φησὶ δ' Ἀντίγονος ὁ Καρύστιος οὐκ ἀρνεῖσθαι αὐτὸν εἶναι Κιττιέα. τῶν γὰρ εἰς τὴν ἐπι-*

---

1 Adi, ſi quid eſt opus, AEGID. STRAVCHIVM, ΟΛΥΜΠΙΟΣ ΑΓΩΝ *deſcriptus Diſſert. Hiſtorico-Chronologica*; BIRCHERODIVM, *Exercit. de ludis Gymnicis praecipue Olympicis*; VPMARKIVM, *Diſſert. de certamine Olympico &c.*

2 *De Vit. & Dogmat. Philoſoph. lib.* VII.

ἐπισκευὴν τοῦ λουτρῶνος συμβαλλομένων εἷς ὢν καὶ ἀναγραφόμενος ἐν τῇ στήλῃ, Ζήνωνος τοῦ φιλοσόφου, ἠξίωσε καὶ τὸ Κιττιεὺς προσθῆναι, *refert autem Antigonus Cariſtius ipſum* (*Zenonem*) *ſe non negaſſe Cittieum*. *Nam quum unus de numero fuerit eorum, qui ad balnei ſtructuram opem contulere, atque cum illis in columna deſcriptus*: *Zeno philoſophus*; *addi quoque voluit*, *Cittiei* [1]. Quibus ex rebus intelligi poteſt, Athenis alterum, praeter hoc noſtrum, Gymnicum exſtitiſſe lavacrum, ſtipe collata fabricatum, in quo pariter nomina illorum, qui de eo opere benemeriti fuerant, marmori deſcripta omnium oculis obverſabantur; proindeque Atticam conſuetudinem heic mirum in modum deprehendi, atque elucere.

Ex his vero Lotoribus ſingularem quemdam coetum, ſive Synodum coaluiſſe, in dubitationem adduci minime poteſt, quin ego ad veteres lapides provocem, qui *Collegii*, *Lotorum* [2], aut *Corporis Lotorum* [3], vel *Familiae Thermariae* [4] meminerunt. Annon erant Athenis cujuſvis artificum generis **ἑταιρίαι**? Aut ambigendum, illic nequaquam fuiſſe balneatorum ſodalitium, quod Vrbes & nominis celebritate, & populi frequentia, & publicae rei commoditate, ac ſplendore multo inferiores obtinuerunt? Quamvis autem in Attico marmore diſtincta uniuſcujuſque Lotorum officia ſingillatim haud recenſeantur; certum tamen videtur, non omnes uni eidemque rei vacaſſe, ſed diverſa, ut opus fuerat, obiiſſe miniſteria [5]. Erant veroſimiliter totius Collegii praepoſiti ac moderatores, qui *Corporis Magiſtri* dicebantur [6]. Erant *Aquarii* [7], qui frigidam

1 *Ibidem*.

2 *Retulimus pag.* .

3 GORIVS *Inſcript. Etruriae Append.* 199. ex GVDIO exſcripſit Aretinum marmor, in quo recenſetur MAG.CORP.LVTORVM (*Lotorum*) &c.

4 Inſcriptio Patavina apud VRSATVM *Marm. Patav.*

5 Confer quae de variis Balnearibus adminiſtris adnotavit STRVVIVS *de Balneis*, & Balneatoribus.

6 Liquet ex mox allato Aretino lapide.

7 Collegium Aquariorum memorat epigraphe Venuſina (Vid. NAT. M. CIMALIAM *Antiquitat. Venuſin. cap.* X.) qui tamen officio longe diverſo fungebatur.

gidam praeſertim Athletis affunderent, ſuppeditarentque; *Fornacatores* [1], qui calidarium, laconicum, hypocauſtum cu-rarent; *Vnguentarii*, *Aliptae*, *Vnctores* [2]; *Mediaſtini*, qui ſtrigiles, guttos, lintea porrigerent [3]; *Capſarii* etiam, quibus Pugiles detracta contraderent veſtimenta [4]. Eſt denique obſervatu digniſſima varietas illa, ut quinque priores miniſtri balneares Zoagoras, Zocyprus, Phallus, Socrates, Apollophanes adjuncto unicuique Patris ſui nomine efferantur, non item reliqui ſex, qui inſequuntur, Soſicratus, Manes, Nyrrines, Oltas, Soſigenes, Midas. Probabilem quamdam hujus differentiae cauſſam, atque rationem quaerenti mihi, illud menti ſuccurrit, fortaſſe diverſas eſſe inſcriptionum formulas, quod Lotores genere, ac conditione revera inter ſe diſcreparent. Facileque animum induco, ut credam, priores quidem *Cives* Athenienſes exſtitiſſe, qui totius collegii, operiſque Prafecturam gererent, caeteros *Inquilinos*, vel *Servos* ad miniſteria deputandos. Enimvero inter optima Atticae Reip. inſtituta illud erat, ut Cives nati, vel adoptivi a peregrinis diligentiſſime, & cautiſſime ſecernerentur. Quare ſi quiſpiam Civium liberos ſuſciperet, res ad **Δημότας** deferebatur, qui lege *διαψηφίσεως* ab Archia Praetore lata, atque invecta, an puer legitimus eſſet, diſquirebant. Tum infantis nomen **τῷ ληξιαρχικῷ λευκώματι**, ſive publicis tabulis inſcribebant. Quae *diſquiſitio* iterum fiebat, quum adoleſcentes aut in **Ἐφήβους**, aut in **φρατρίαν** concedebant. Ne vero ſubreperet dolus, vel jus Civitatis notho, aut peregrino unquam attribueretur, pueri in album non tam ſuo, quam

---

1 V. PIGNORII *Commentar. de Servis pag.* 39.

2 Vnctiones ſic large, frequenterque Athletis concedebantur, ut etiam in *Inſcriptionibus Gladiatoriis* Muſei AMPLISS. CARD. ALEX. ALBANI, quas primo celeberrimus RODVLPHINVS VENVTI (*In duas Inſcriptiones Gladiatorias Collegii Silvani Conjecturae*) deinde DOMINICVS JOS. SCVTILLVS (*de Collegio Gladiatorum Commentarius*) uberrime explicarunt, hoc unum Vnctoris officium deſcriptum legatur.

3 PIGNOR. *pag.* 38.

4 *Idem pag.* 42.

quam patris deſcripto nomine referebantur. Sunt haec a Graecis Oratoribus, praeſertim ab Isaeo [1] mandata litteris, atque explicata. Contra vero quum alterum Atticae incolarum genus, **Μέτοικοι**, *Inquilini*, tamquam **ἄχυρον τῶν ἀςῶν** *palea Civium* deſpiceretur [2]; quo patre nati eſſent ejuſmodi homines, haud quaquam quaerebatur. Vt tamen certa quadam immunitate frui illi poſſent, ſua negotia libere agere, vilioribus etiam nonnullis defungi officiis; quiſque eorum nudo ſuo nomine a Concilio Areopagitico in catalogo deſcribebatur. Itaque quum hoc Atticarum conſcriptionum diſcrimen dilucide, vereque retentum in noſtro marmore deprehendatur, quo pertinere id poterit, niſi, ut inter Lotores, qui eſſent Cives, qui Inquilini dignoſcerentur? At in eo collegio nonnullos meros, infimoſque *Servos* exſtitiſſe, liquet ex inſigni quodam, & expreſſiſſimo Strabonis loco, ubi de Servorum nominibus apud Athenienſes a Thraciae partitione petitis agit: quo certe loco nihil praeclarius, nihilque in hanc cauſſam opportunius poteſt afferri. **ἀφ' ὧ καὶ παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς ἐπεπόλασε τὰ τῶν οἰκετῶν ὀνόματα Γέται, καὶ Δαῦοι. τῦτο γὰρ πιθανώτερον ἢ ἀπὸ τῶν Σκυθῶν, ὓς καλῦσι Δάας· πόῤῥω γὰρ ἐκεῖνοι περὶ τὴν Ὑρκανίαμ· καὶ ὐκ εἰκὸς ἐκεῖθεν κομιζεσθαι ἀνδράποδα εἰς τὴν Ἀττικην. ἐξ ὧν γὰρ ἐκομίζοντο, ἢ τοῖς ἔθνεσιν ἐκείνοις ὁμωνύμως ἐκάλυν τὺς οἰκέτας, ὡς Λυδὸν, καὶ Σύρον, ἢ τοῖς ἐπιπολάζυσιν ἐκεῖ ὀνόμασι προσηγόρευον, ὡς Μάνην, ἢ Μίδαν, τὸν Φρύγα. Τίβιον δὲ, τὸν Παφλαγόνα.** *Ex quo apud Athenienſes Davorum, & Getarum nomina ſervilia plurimum abundabant. Hoc ſane credibilius eſt, quam Scytharum genere derivari, quos Daas vocant. Longe enim illi ad Hyrcaniam poſiti ſunt; nec ex eo loco Athenas mancipia deportata veriſimile eſt. Servos enim aut populorum nominibus vocabant, unde allati fuerant, ut Lydum, & Syrum,*

1 *De Apollodori Hereditate*. Inter Orator. Graecos.

2 V. Bvlifonvm *epiſt. de Antiquo Statu Servor.*, Toernervm *de Servo Romano*, Gollingivm *de Cataſta Servorum*, Wielingivm *de Jure Servor.*, Gvndlingivm *Obſervat. de Servis*, Mvratorivm *Diſſert. de' Servi &c.* inter Acta noſtrae Societatis Columbariae *tom.* I. *Diſſert.* III.

aut iis maxime, quae eſſent apud eas nationes uſitatiſſima, ut Manem, & Midam ex Phrygia; Tibium ex Paphlagonia [1]. In Phrygiis ergo Mancipiis, ad ultima Balnei miniſteria deputatis ponendi ſunt Manes & Midas, quorum noſtra inſcriptio meminit; iiſdemque accenſendus Oſtas, cui ſimiliter δισύλλαβον nomen fuerat [2]. In tres proinde hominum claſſes diſtinctum fuiſſe videtur hoc Athenienſium *Lotorum Corpus*; ſcilicet in *Cives*, qui idcirco primo loco deſcripti ſunt, in *Inquilinos*, quorum nomina carent Patris indicatione, in *Servos*, qui de more breviori, & mancipiis uſitata appellatione donantur.

§. IV.

1 *Lib.* VII. Medos quoque, Syros, Moeſos, Bithynios, Liburnoſque ad id accitos, emptos, deportatos fuiſſe conſtat. Adi JVGLERVM *de Nundinatione Servor. apud Veteres*.

2 Confer quae DEMOSTHENES dixit de Aeſchinis patre. *Orat.* περὶ τοῦ Στεφάνου.



§. IV.

Ectypa inferius expreſſa illuſtrantur.

POSTQUAM de ſignis, imaginibus, ac ſymbolis in ſuprema tabulae parte exſculptis egimus, ſimulque inſcriptionem multis nominibus inſignem expoſuimus, penſanda, explicandaque ſe ſe offerunt ectypa, quibus excellens artifex inferiorem marmoris partem mirifice perornavit. Sane qui tantum ſtudii, & accurationis in illis caelandis poſuerat, nihilo minus diligentem, peritumque ſe praebuit in iſtis effingendis. Sicque univerſas figuras apte, concinne, vivide delineavit, ac conveſtivit, ut ambigi nequeat, Agonothetae judicium illas referre. Ideoque nova laude eſt cumulandus, quod argumentum delegerit exſculpendum cum his, quae in Stadio agebantur, apprime conſentiens. Porro ita fiebat, ut hujus anaglyphi ſpecies rem Gymnicam praeſeferens, atque oſtentans, intuentes moneret, balneum illud certaminum ergo, Hieronicarumque commodo fuiſſe exſtructum.

Non hic mihi profecto altius repetenda, contexendaque *Xyſtici Senatus* hiſtoria, atque fuſius narrandum, qua ratione Olympicorum certaminum praefectura Hellanodicis, vel Gymnaſiarchis ſortito commendaretur; quae illis jura ab Athenienſibus praeſertim tribuerentur, quae eſſet illorum in Athletas auctoritas, quamdiu in officio eſſent, aliaque id genus, quae a PETRO FABRO [1], VANDALEO [2], BVRRETTO [3], & BEMIO [4] ſunt copioſe, eruditeque diſputata. Sed ea tantummodo dicendo perſtringam, quae ſuſcepta oratio expetit, ac depoſcit, obiter commemorari. Varium

 fuiſ-

1 *Agoniſtic. lib.* 1. Quo nos potiſſimum auctore uſi ſumus.
2 *Diſſert. de Agonothetis*, quae eſt VII. inter antiquarias.
3 *Memoire ſur les Athlétes. Memoires de l' Academie Royale tom.* 1.
4 *Diſſert. de Agonothetis*.

fuiſſe Agonothetarum numerum tradit PAVSANIAS in priore Eliacorum. Nam ab Iphyto uſque ad Olympiadem LII. unus fuit, qui ludis omnibus praeerat; tum IIviris cura fuit demandata, qui numerus multis annis ſervatus eſt. Deinde Novemvirale collegium Graecia conſtituit, cui poſtremo decimus Agoniſtarcha additus fuit. Licet autem Equeſtribus certaminibus tres ex illis praefici ſolerent, ſaepe tamen uni totum negotium dabatur; quod Polemonis exemplo imprimis demonſtratur, qui Smyrnae Olympiis ſolus praefuit [1]. Quamobrem nihil eſt mirum, in noſtro Anaglypho unum tantummodo Hellanodicam ludo praeſidere, cauſamque *Equi victoris* cognoſcere. Diſtinctum prorſus, ac proprium fuerat in Sacris agonibus Ludi Curatorum indumentum, videlicet toga ὁλοπόρφυρος. Et ſane Imperatores illos, quos edendorum ſpectaculorum inſania ſic inceſſerat, atque occuparat, ut ſibi gloriae ducerent, Gymnaſiarchae perſonam ſuſtinere, *Chlamyde Graecanica*, amplaque praetexta in theatrum, Circumve proceſſiſſe, a Latinis, Graeciſque Hiſtoricis proditum eſt [2]. Atque hujus Agonothetici paludamenti ſpeciem, & formam in Attico toreumate procul dubio refert ſedentis Gymnaſiarchae veſtis; quae latior, & quantum ex ſculptura licet conjectare, ſumptuoſior, ac Senatoria videtur. Quare quum mihi ante oculos hujus hominis imaginem propono, id ipſum, quod olim ANACHARSIS Athenis Stadium ingreſſus dixit, uſurpare poſſe videor: τεκμαίρομαι γὰρ τῇ πορφυρίδι τῶν ἀρχόντων τινὰ τῦτον εἶναι, *conijcio equidem ex purpura hunc eſſe ex praeſidibus quemquam* [3].

Alterum Hellanodicarum inſigne fuerat Corona, quam idcirco Auguſti Caeſares non tam Imperatorio jure, quam ex Agonothetico more ad ludos detulerunt. Quapropter ἀγώ-

1 PHILOSTRATVS *lib.* III.
2 De Nerone, & Domitiano SVETONIVS *in Ner. cap.* XXV. *In Domit. cap.* IV. de Commodo DIO CASSIVS *in Com.*
3 LVCIANVS *de Gymnas.*

ἀγώνων διαθέτας, qui licet e Graeciae proceribus delecti, tamen a regia conditione ſaepe aberant, eam in Stadio geſtaſſe comperimus. Cujus conſuetudinis tot ſuccurrunt argumenta, ac teſtimonia, ut anceps ſim, quae potius ſilentio praeteream, quae ad fidem faciendam ſumam, atque commemorem. Juverit aliquot ludorum genera ſtrictim percurrere, atque in his Gymnaſiarchas coronatos obſervare. Graecorum primores apud Elidem, quum Olympia agerentur certamina, adfuiſſe ἐςεφανωμένυς, auctor eſt Diodorus [1]: quam quidem coronam ſibimet impoſuiſſe apparet, ut ſe ſupra Piſatas jus indicendi ludos, eiſque praeſidendi oſtentarent. In Iſthmiis idem eveniſſe, apud Dionem Chrysostomum [2] teſtatur Diogenes, qui quum ab Agonothetarum miniſtris reprehenderetur, quod nullo exantlato certaminum labore, ſe ſe coronaſſet, libere reſpondit, etiam ipſos Gymnaſiarchas, qui numquam victores evaſere, περιέρχεσθαι ςεφάνυς ἔχοντας, *circumire coronas geſtantes*. Ab his majoribus, & in tota Graecia celeberrimis ludis ad alios minores mos profluxit. Quum enim Epictetus inanem cujuſdam irrideret gloriolam, qui certaminum Nicopoli in honorem Auguſti edendorum praefecturam appetebat, ac percontaretur, ecquid fructi eſſet exinde percepturus? dixit: χρυσῦν ςέφανον φορήσω, *auream coronam geſtabo* [3].

Ejuſmodi autem coronae, quas Ἔφοροι illi, velut ſuae dignitatis ἐπίσημον ad ludos potiſſimum deferebant, neque ſimplex redimiculum ex olea, myrto, laurove contextum fuerant, neque plactile ſertum, aut circulus metallicus, aut taenia, qua tempora revincerentur, ſed capitis geſtamen, quod ad modum pileoli, tiarae, cidaris aliquanto ſe in faſtigium attolleret; quod tum ingens illarum pondus, tum emblema-

---

1 *Biblioth. lib.* XV.

2 *Orat.* IX. *Diogenes*, *ſeu Iſthmia*.

3 Arrianus *de Sermonibus Epicteti lib.* I. *cap.* XIX. Vide quae ad hunc locum ex doctiſſimis Criticis collegit Uptonus *in edit. Londinenſi* hujus auctoris.

blemata, lapideſque, quibus perornabantur, palam faciunt. Nam ne quid dicam de aureis illis coronis, per quam multis, quae Ptolemaeo Philadelpho, & Berenice *ludis publicis* datae perhibentur, quaeque tanti ponderis, ac magnitudinis fuerunt, ut eas curru aſportari fas ſuerit;[1] quid illarum exornationes? Domitianus *certamini praeſedit capite geſtans coronam auream cum effigie Jovis, Junonis, Minervaeque*[2] Quam vero detulit Commodus ludorum praefecturam gerens, auro, Indiciſque pretioſiſſimus lapillis: ἐκ τε λίθων Ἰνδικῶν[3] conſtabat. Jam nemo non perſpicit, aurum coronarium, laminamve operi ſubſtratam in altum porrigi aliquantum debuiſſe, ut inibi caelatae Deorum imagines, inſertiques exotici lapides adſpectabiles fierent: ſecus enim coronae illae populi oculos ad ſe rapere, admirationemque ciere nequaquam potuiſſent, quam caeteroquin excitaſſe traduntur. Aberant veroſimiliter iſthaec regalis magnificentiae, luxuſque indicia a cidari, καλύπτρῃ mitraque, quam caeteri Agonothetae adhibebant, ſed exſtantibus imaginibus, gemmiſque detractis, eamdem prorſus fuiſſe illius formam, Atticus lapis jam manifeſto demonſtrat. Quod unum itaque ab antiquis ſcriptoribus nonniſi conjectando elici poteſt, hic oculis ipſis uſurpare licebit.

Illud praeterea ex hoc illuſtri toreumate nunc primum addiſcimus *Mappam*, ſeu linteolum convolutum in dextera Agonothetae inter inſignia, quae Hellanodicae in ludorum editione habebant, eſſe recenſendum. Hactenus quidem nonniſi in inferioris aevi diptychis haec mappa ſe ſe conſpiciendam obtulerat: unde eruditis ea inſederat opinio, ſerius fuiſſe invectam, & Conſulibus aliiſque certaminum curatoribus ſequio-

1 ATHENAEVS *Deipnoſoph lib.* V.

2 SVETONIVS *ubi ſupra*.

3 DIO *loc. cit.* Invaleſcente apud Romanos coronarum convivalium luxu, ſic illae primum aſſuebantur, ut eas imitarentur, quarum exempla ex longinquis, ac tranſmarinis regionibus pervenerant. Mox illae accitae fuerunt, ut habet PLINIVS H. N. *lib.* XXI. *cap.* III. *ſutilibus mox petitis ab India, aut ultra Indos*.

ſequiore aetate tributam, qua Gladiatoribus, & equorum agitatoribus pugnae, vel curſus ineundi ſignum darent [1]. Verum quis erit, qui marmore inſpecto eat inficias, ab antiquiſſimis Athenienſibus Agonothetis uſurpatam fuiſſe, atque exinde uſque morem hunc profluxiſſe? Mappa itaque ludorum praeſidi heic data eſt, ut illa vel ſublata, vel projecta, id in Panathenaico ſtadio praeſtaret, quod Agamemnona in certaminibus Equeſtribus poſt Achillis mortem peractis feciſſe ex QVINTO CALABRO accepimus [2].

Τοῖσι, ὃ σημαίνεσκε δρόμου τέλος ὠκυπάτου
Ἀτρείδης, ὃς πᾶσι μετ' Ἀργείοισιν ἄνασσε
. . . . ὅιδ' ἀπὸ νύσσης
Καρπαλίμως οἴμησαν, ἐοικότες ἱερήκεσσι.

His (equis) *autem curſus velociſſimi metam deſignat*
Atrides, qui omnes Graecos imperium tenebat.
. . . . . Quare a meta
Rapide evolarunt, accipitribus non abſimiles [2].

Finxit utique ſculptor exacta jam eſſe certamina, atque hic de praemiis impartiundis tantummodo agi. Videri proinde poterit, perperam in Agonothetae manu linteolum poſuiſſe, quod is jam initio ludorum abjeciſſe debuerat. Verum exquiſitiſſima, omniumque confeſſione commendatiſſima vetuſtatis eruditae monumenta planiſſime demon-

1 Viros Conſulares ludos moderantes, Circo, Aurigis, Gladiatoribus, belluis ſubtus expreſſis, & mappam dexterum attollentes videre eſt in diptychis Leodienſi, Compendienſi, Bituricenſi, aliiſque, quos vulgarunt WILTEMIVS, SALIG, NEGELEINIVS, SCHMIDTIVS, BONARROTIVS, LEICHIVS, HAGEMBVCHIVS, DONATVS, tandemque CL. GORIVS ſuaviſſimo Amico PASSERIO in unum collectos, edendos reliquit; cujus ſtudio, operaque inſignis hic Theſaurus tandem in lucem per hos dies prodiit. De *Mappa*, quae ſubinde in *'ακκακίαν*, verſa eſt, adeundus DVCANGIVS *de Inferioris aevi Numiſmat*. §. XII.

2 *Praetermiſſorum ab Homero lib*. IV.

monſtrant, gnaros, optimoſque artifices maluiſſe nonnumquam in adjunctis aliquid peccare, quam ea ſymbola praetermittere, quae ad primariam operis figuram deſignandam, ejuſque characterem exprimendum inventa, receptaque fuerant. Ita porro Atticus Lapicida, ne ullum in Agonothetae imagine deeſſet eorum inſignium, quae revera illi tribuebantur, mappam conſulto exſculpſit; ratus probabiliter, poſſe hinc facilius, meliuſque officium, dignitatemque ipſius denotari. Aut exinde colligi fas erit, Athenienſes Helladonicas, quum certaminum ineundorum ſignum darent, linteolum non manu ejeciſſe, ſed agitaſſe, extuliſſeque. At quamquam antiquiſſima putari merito poſſit haec ludorum indicendorum ratio; animadvertere tamen praeſtabit, illam nequaquam penes omnes populos, ſemperque obtinuiſſe. Nam primo Oreſtis Paedagogus apud SOPHOCLEM Delphicos agones deſcribens, ait, Curſoribus ſignum per Tibicinem fuiſſe datum [1].

Στάντες δ' ὅτ' ἀυτὺς οἱ τεταγμένοι βραβεῖς
Κλήροις ἔπηλαν, ϗ κατέστησαν δίφρυς,
Χαλκῆς ὑπαὶ σάλπιγγος ἦξαν . . . .

Hi itaque ſtantes, quum eſsent electi Agonothetae
Sortito, & loca curribus aſſignaſſent,
Ad aeneae tubae ſonum (equi) *proſiluerunt . . . .*

In ludricis autem certaminibus, quae Aeneae juſſu Trojugenae impuberes iniverunt, Epytides Iuli cuſtos, ludique prae-

1 *Electra verſ.*712.

2 Illuſtris Praeſul, vereque πολυμαθέστατος M. A. GIACOMELLVS, in quo non modo ſolida Graecanicarum rerum doctrina emicat, ſed cum gravibus primaeva latet ſub moribus aetas, cum multa difficillima, perplexa, atque ab aliis perperam ſollicitata hujus Poematis loca reſtituerit, atque explicarit; tum ad hunc verſum plura ingenioſe adnotavit. *L' Elettra di Sofocle volgarizzata, ed eſpoſta.*

praeſes, non mappa, non tuba, ſed vociferans, flagrumque quatiens pueros in curſum egit [1].

Poſtquam omnem laeti conſeſſum, oculoſque ſuorum
Luſtravere in equis, ſignum clamore paratis
Epytides longe dedit, inſonuitque flagello.

Nihilominus noſtri lapidis teſtimonio probabile admodum fit. Athenis ſtadio mugnifice extructo, certaminibus rite ordinatis, ludorumque creatis Magiſtratibus, Mappae uſum jam invaluiſſe.

Venio ad alteram, quae Agonothetae adſtat, hominis imaginem, palliatam, duplicemque baculum manu tenentem. Gymnici Concilii Apparitorem, & Ῥαβδοῦχον eum eſſe, minime ambigi velim. Decebat ſine dubio ludorum Coſmetas, quorum erat Athletarum, populive licentiam praeſentia ſua coercere, lites dirimere, judicium ferre, praemia vel decernere, vel detrectare, in Stadium cum baculo, aut virga ſceptri vice prodire. Siquidem jam ab ultima aetate Achivos judices hac rude fuiſſe condecoratos, ab HOMERO ſcribitur [2]. Ita vero Judicum, urbium Moderatorum, Archontum, Magiſtratuum, Praeſidum proprium, ac peculiare id fuerat, ut ARISTOTELES βακτηρίαν appellarit δικαστηρίου σύμβολον [3]. Hinc PLVTARCHVS Catoni Vticenſi Antiochiam ingredienti, aſſerit obviam occurriſſe magnam illuſtrium Civium turbam; eum autem, qui illi praeerat, apparitores habuiſſe ἔχοντας στέφανον καὶ ῥάβδον, *ferentes coronam, & baculum* [4]. At ne ego ex communi quadam omnium Magiſtratuum praerogativa omnem probationem videar accreſcere, luculentiſſimum adnecto exemplum ex ipſis Athenis, & de medio Gymnaſii ſumptum.

1 VIRGILIVS *Aeneid.* v.
2 Iliad. ξ. v.237. Multa ad eum locum EVSTATHIVS.
3 Apud Veterem ARISTOPHANIS SCHOLIASTEM *in Pluto*.
4 *Pomp. & Cato Jun.*

tum. Ea itaque in Vrbe quum hyemaret Marcus Antonius poſt initum, aut potius ſimulatum cum Caeſare, Pompejoque foedus, laetiſſimi nuncii perlati ſunt, Ventidium ad reprimendos Parthorum impetus cum exercitu miſſum, copias illorum feliciter profligaſſe. Quocirca victoriae concelebrandae gratia epulum publicum, ludoſque apparatiſſimos Athenienſibus dare conſtituit; utque horum dignitatem, ſplendoremque augeret, ipſemet Agonothetae perſonam ſuſtinere decrevit. Quid tum? Poſitis Romanis indumentis, **μετὰ τῶν γυμνασιαρχῶν ῥάβδων ἐν ἱματίῳ**, *cum virgis gymnaſiarchicis in pallio* [1] venit in locum certaminum. Credibile profecto eſt, Antonium hac in re Atticum morem eſſe ſequutum: quare & ſi ea Plutarchi ſententia de virga ad Palaeſtritas caſtigandos, plectendoſque ab aliis accipi ſoleat, effigies tamen Athenienſis Apparitoris innuere videtur, **γυμνασιαρχῶν ῥάβδον** hoc loco de Hellanodicarum baculo, imperii ligno, intelligi poſſe. In quo Graecus Biographus uſitata quadam, ac rectiſſima loquendi ratione Praefecturae ſymbolum a Rhabducho geſtatum Antonio attribuit. Nec illud etiam tacitus praeteribo, nunc primum patere, Athenis Collegio Agonothetarum duplicem rudem fuiſſe datum: ex quo monemur, inter tot, tamque diverſos Reip. illius Magiſtratus hunc praeſertim celeberrimum, honorificum, ampliſſimumque exſtitiſſe [2].

Nihil denique in proſtypis hujus marmoris imaginibus non recte, & ad veteris hiſtoriae fidem expreſſum. Ipſa Agonothetae ſedes nonne illis **θρόνοις λιθίνοις** [3] ſimilis, in quibus antiquitus cauſarum publicarum arbitri conſidebant? Di-

1 *In Antonio*. Suas hinc *Faſces* Romani Magiſtratus ſumpſerunt; ex faſcibus vero, Reges, Proceres &c. *Clavas*, quas ſaeculis inſequutis ante ſe deferri voluerunt. V. *Spiegazione di due antiche Mazze trovate in Meſſina*. *Ragionam.* 1.

2 Ea ferme ratione, qua apud Romanos pro Magiſtratus dignitate augebatur Faſcium numerus: ſex enim Praetori Provinciali, duodecim Conſuli, vigintiquatuor Dictatori lex concedebat.

3 Evstathivs *l. c.*

Diſcas inſuper ex hoc praeſtantiſſimo monumento, Athenienſes in ſtadio Panathenaico arae marmoreae eumdem deſtinaſſe locum, quem Elei in Olympico, de quo PAVSANIAS: *τὸ μὲν ςάδιον γῆς χῶμά ἐςι, πεποίηται δ' ἐν ἀυτῷ καθέδρα τοῖς τιθεῖσι τὸν ἀγῶνα. ἔςι δὲ ἀπαντικρὺ τῶν Ἑλλανοδικῶν βωμὸς λίθȣ λευκȣ̃, ipſum certe ſtadium terrae agger eſt, & in eo ludis praefectorum ſeſſio exſtructa. E regione ſeſſionis illius ara eminet e candido lapide* [1].

Quod jam in hac tabula relinquitur explicandum, unus expediet PLVTARCHVS, cujus illa eſt ſententia: *ϗ τῶν ζώων μόνῳ Ἵππῳ μετȣσία ςεφάνȣ ϗ ἀγῶνες ἐςὶ, ſolus quippe ex omnibus animalibus equus in partem certaminum, & coronarum venit* [2]. Quo intellecto, quis illico non perſpiciat, in ultima anaglyphi parte Equum, qui caeteros omnes perniciſſimo curſu praetergreſſus victor evaſerat, a Servo Equario ad Agonothetam adduci, ut de victoria ſententiam ferat, debitaque illi praemia decernat? Scitiſſima ſunt equeſtria certamina, quae ipſo in *Stadio* peragebantur non tam ἅρματι, τεθρίππῳ, ἀπήνῃ, ſcilicet curru, quadriga, & rheda mulari [3], verum etiam κέλησι [4], ſive equis ſellariis, doſſuariis, deſultoriis, qui jam ab Olympiade XXXIII. ad ludos acciti fuerant. In hiſce porro ludis non omnem ſibi laudem tollebat, qui equum incitarat, circumduxerat, froenoque rexerat, ſed equus ipſe plauſus, palmaeque erat particeps. Quo ſpectat OPPIANI diſtichon [5]:

Ὁπποῖοσ περὶ νύσσαν ἀεθλοφόρος θοὸς ἵππος,
Ἀγχόμενος παλάμησι ϗ ἡνιόχοιο χαλινῷ,

 Qua-

---

1 *Eliacor. Poſter. cap.* XX.
2 *Sympoſ. lib.* II. *quaeſt.* V.
3 De hoc vetuſtiſſimo currus genere in ſacris certaminibus invecto egimus jam in anecdotorum nummorum explicatione, quae nexa eſt noſtris animadverſionibus Philologicis *ad Num. Triumviri Marci Antonii ſect.* IX. *pag.* 71.
4 V. SCHMIDIVM *Comment. ad* PINDAR. *Olymp. Od.* I.
5 *Cynegetic. lib.* IV. *v.* 107.

Qualis circa metam victor pernix Equus,
Repreſſus manibus, & aurigae froeno.

Num hic fortaſſe a ſcalptore in conſpectu poſitus uterque curſor, ſcilicet Equus, & Inſeſſor, ſuum quiſque praemium depoſcens? Ad equum δρομέα tantummodo Gymnaſiarchae judicium referri crediderim; exploratum quippe ipſos pullos, ſonipedeſque ab equiſone ad curſum ludicrum inſtructos, nullo inſediente, & agitante, Stadium Olympicum conſueſſe certatim tranſvolare.

Ἴκελοι ἢ βορέαο μέγα πνείοντος ἀέλλαις,
Ἠὲ Νότου κελάδοντος· ὅτ᾽ εὐρέα πόντον ὄρινεν.

Similes aut Boreae procellis acriter flantis,
Aut Noti ſibilantis, quando vaſtum ciet mare [1].

Expreſſa adhuc exſtat hujus moris ſpecies, ac recordatio in nummis illis, quos vocant *Contorniatos*, Gymnicorum ludorum gratia cuſis, populoque datis [2]. Nec aqua aquae, nec lac lacti uſquam ſimilius, quam his numiſmatis Athenienſe marmor eſt. Nempe in illis pariter cernitur ardens, fervidusque equus, quaſi de victoria geſtiens, quem itidem Stabuli curator habenis inhibet, ac manuducit. Eſt autem iſtius habitus more ſervorum genu tenus, & zona correptus, qualis etiam in noſtro anaglypho offenditur. Ac tanti erant Romanis, Graeciſque hominibus rerum Gymnicarum amantiſſimis generoſi ejuſmodi equi, ut illorum imagines, ac nomina, adjecto olivae, aut palmae ramuſculo in gemmis anularibus caelari facerent [3]. Qua caeteroquin in re minime mihi pro-

---

1 QVINTVS SMYRNAEVS *lib.* IV.
2 MORELLVS *Specimen rei Nummariae tab.* III. HAVERCAMPVS *de Nummis Contorniatis Append. num.* I. IV. VI. VII. &c.
3 CL. NICOLAVS GALLOTTI *Gemmae antiquae literatae tab.* II.

hi probatur Havercampi [1], & Galeotti [2] ſententia, qui in hiſce numiſmatis, gemmiſve non equorum, ſed Aurigarum peritiam, labores, victoriaſque celebrari, autumarunt. Non inficior equidem eſſe aliquot id genus monumenta, quae ad perennandam Athletarum memoriam cuſa, vel inciſa fuerunt. Sed quid illa, in quibus equi ſolitarii efficti ſunt? An palmae ramus inter equi crines immiſſus, aut appellationes ductae ab Equorum proprietatibus ad Aurigatores, quorum ibi nulla eſt mentio, poterunt umquam referri? Nec quod ego contendo, a Gymnaſticis antiquorum inſtitutis certe abludit. Ponant ſibi ante oculos, qui dubitant, Equorum curſorum catalogum a Sponio editum [3], in quo illorum cognomenta, v. c. *Sanippus*, *Pegaſus*, *Dromus*, *Pardus*, *Paſſer &c.* deſcripta ſunt, natale cujuſque ſolum veluti *Africa*, *Hiſpania*, *Theſſalia*, *Mauritania &c.* indicatur, tum quoties quiſque illorum curſu vicerit, palmamque tulerit, adnotatur. Imo vero tantum equorum celeritati, ingenioque tribuebatur, ut etiamſi viciſſent currui juncti quandoque non aurigae, qui eos agitaverat, ſed illis omnis adjudicaretur victoria. Ita de Chromii equabus Lyricorum apud Graecos Princeps [4].

ἀργυρέαισι δὲ νωμά-
τω φιάλαισι βιατὰν
ἀμπέλυ παῖδ᾽, ἅς ποθ᾽ ἵπποι
κτησάμεναι χρομίω.

Argenteiſque phialis
Circumagat violentum
Filium vitis, quas quondam equae
Aquiſiverunt Chromio.

Quo etiam referri fortaſſe poterit lepida Solini narratio: *in-*

---

1 *Vbi ſupra.*
2 *Loc. cit.*
3 *Voyage d' Italie, Dalmatie &c. tom.* I. *pag.* 324.
4 Pindarvs *Nem. Ode* IX. Δυωδεκ. ιά. Norunt omnes inter certaminum praemia fuiſſe phialas metallicas.

ingenia equorum , & Claudii Caeſaris Circenſes probarunt, quum effuſo rectore quadrigae, curſus aemulos non minus aſtu, quam velocitate praeverterent; & poſt decurſa legitima ſpatia, ad locum palmae ſponte conſiſterent, velut victoriae praemium poſtularent [1]. Certum itaque, fixumque manet ex veterum ſcriptorum, monumentorumque auctoritate, illud veriſſime a THEOCRITO dictum fuiſſe [2].

.... *τιμὰν δὲ καὶ ὠκέες ἔλλαχον ἵπποι,*
οἵ σφίσιν ἐξ ἱερῶν στεφανηφόροι ἦνθον ἀγώνων.

.... *honores autem celeres etiam ſortiti ſunt equi,*
Qui ipſis ex ſacris certaminibus coronati redierunt.

Quare vix alia afferri poterit interpretatio, qua duae poſtremae anaglyphi figurae cum tota inferioris ſectionis delineatione felicius, aptiuſque conſentiant.

---

1 *Cap.* XLVII. 2 *Idyll.* XVI.

EXPLICIT PARS SECVNDA.





Ex Aere olim deaurato *Alt. Palm. R. 1 1*

INDEX I.

AVCTORVM, ET LIBRORVM,

QVI

IN PRIMO VOLVMINE

LAVDANTVR, ILLVSTRANTVR, CASTIGANTVR.

A

ACHILLES (Tatius) 110. 118. 123
ACRON 71
AELIANVS 194
AESCHINES 168
AESCHYLVS 156. 211
ALAMBERTVS 123
ALCIATVS 233
ALSTORPHIVS XXXII
AMAMA 172
AMMIANVS (Marcell.) 41. 96. 161. 176
ANACARSIS 213
ANACREON 47
ANDOCIDES 167
ANSALDVS (Caſtus In.) 237
ANTICLIDES 225
ANTIPHILVS 57
APPIANVS (Inſcript.) 48
APPIANVS 4. 169
APPION (Grammatic.) 39
APOLLODORVS 92. 186
APOLLONIVS 224. 225
APVLEIVS 109
ARBVTNOTIVS 176
ARETINVS (Leonard.) 184
ARCHILOCHVS 225
ARCHIMEDES 47
ARCVDIVS 194
ARISTAENETVS 204
ARISTIDES 232
ARISTOPHANES 12. 15. 45. 211. 214
ARISTOTELES 111. 249
ARNAVDVS (Georg.) 186
ARNOBIVS 36
ARRIANVS 18. 245
ATHENAEVS 16. 23. 57. 108. 169. 213. 246
AVDRICHIVS 180
AVGVSTINVS (Anton.) 234
AVRELIVS (Victor) 102
AVRELIVS (Julianus) 17

B

BACIVS 191
BAIERVS 40
BALDINVS (Franciſc.) 49
BANDINVS 40
BANDVRIVS 237
BANIER 12. 221
BARBARVS (Daniel) 42. 56
BASILICI (Libri) 148. 178

Barbeyracivs 174
Basnagivs (Samuel) 172
Bato (Comicus) 52
Begervs 12. *16.* 141
Bellicardvs 236
Bellorivs 141. 222
Bemivs 243
Bentleivs 133. 204
Bergierivs 132
Bidermannvs (I. G.) 133
Bimardvs 237
Blancardvs (Nicol.) 19
Blanchinivs (Franc.) 229. 233
Blondellvs 73
Bochartvs 171
Boissardvs 49. 203
Bonarrotivs 247
Bosivs (Georg. Matth.) 40
Boscovich 40. 42
Bottarivs (Joh.) 67
Brissonivs 231
Brodaevs 58
Brvchervs 221
Bvddevs 190
Bvlifonvs 241
Bvrmannvs (Petrus) *167*. 176
Bvrrettvs 243
Bvssevs 93
Bynkersoek 178

C

Callimachvs 15. 179
Callistratvs 177
Camettvs 40
Campianvs (Aug.) 113. *166*
Capacivs (Jul. Caeſar.) 15
Capitolinvs 32
Carlivs (Rinald.) 225
Caryophilvs 237
Casavbonvs 44. 102
Casselivs (Philipp.) 151
Castellanvs 217
Castellvs 222
Cavsevs 16
Caylvs (de) Comes xxxiv. *63*. *96*. *236*. 216. 222
Censorinvs *36*. 48
Cephala (Coſtantin.) xxxix
Charito 17
Chisvllivs 34. 71
Chronic. Oxon. 233
Chrysander 71
Cicero 11. 21. 27. 48. 71. 112. 150. 155. 191. *192*. 208
Cimalia (Natalis) 239
Clemens (Alex.) *64*. *66*. 180
Cleomedes 119
Clericvs (David) 172
Cnorrivs 93
Cocceivs 172
Cochin 236
Codex Theodosian. 153
Codinvs 134
Condamine (la) 105
Connanvs 190
Cornarivs (Janus) 135
Cornelivs (Flaminius) 232
Corsinvs (Eduardus) 5. *65*. 70. 80. *& ſeq*. 92. 216. 218. 233
Cvdwortivs 221

Cviacivs 178
Cypervs (Gisbert.) xxvii 15. 113
Cvrtivs (Quintus) 4
Cyriacvs (Ancon.) 17. 28 98

D

Dacierivs 133
Damascivs 38
Demosthenes 112. 168. 176. 242
Dempstervs 75
Didymvs (Alexandr.) 151
Diodorvs 14. 29. 71. 173. 174. 219 232
Dio (Chryſoſtom.) 233. 245
Dio (Caſſius) 98. 99. 244. 246
Dionysivs (Halicarnaſs.) 150. 193. 233
Dionysivs (Periegeta) 227
Dioscorides 222
Dodwellvs 92
Donatvs 247
Donatvs (Chriſt.) 167
Donivs (Joh. Bapt.) 15. 92. 224
Doppertvs 140
Dorvillivs 17. 18. 28. 73
Dravdivs 55
Dresdensis Pinacothecae deſcriptio xxxiv
Dreslervs 159
Dvcangivs 247
Dvhamelivs 40

E

Eimsenschmidivs 184
Episcopivs (de Gravelle) 141
Epitectvs 245
Ernestvs (Johan. Aug.) 48 166. 191
Eschenbachivs 159
Evbvlvs 45
Evlervs 40
Evripides 29
Evsebivs 92. 132. 183
Evstathivs xxxii. 29. 249. 250
Evtropivs 162

F

Faber (Petrus) 215. 243
Fabrettvs 93. 211. 221. 222. 224 227
Fabritivs (Joh. Alb.) 135
Falconerivs 215
Falconetvs 1. 43
Ferrativs 167
Festvs 75. 179
Fittonvs 237
Flaccvs (Valerius) 225
Fleetwood 15. 36
Fontenv 218
Fovrmontivs (Stephanus) 12
Frankenstenivs (Frid.) 167
Freervs 148
Frerettvs 92
Froelichivs (Eraſmus) 161. 237

G

Gaivs (Juriſconſult.) 165
Galenvs 213. 135
Galeottvs (Nicol.) 252
Gassendvs 123
Gavtier 132
Gellivs (Aulus) 123
Geminvs 118
Georgivs 237
Gesnervs 52
Giacomellvs (Mich. Ang.) 248
Giornale (d'Italia) 168
Goezivs 160
Gollingivs 241
Goltzivs 30
Gordianvs 196
Gorivs xxv. xxxii. 14. 75. 140. 220. 221. 224. 239. 247
Gothofredvs 153
Govgetvs 38
Greenivs 222
Gronovivs 221
Grotivs 172
Grvtervs 26. 37. 49. 73. 75. 93. 112. 116 231
Gvaltherivs 92
Gvascvs (Octavian.) 99. 160
Gvberlethvs 203
Gvichenonivs 60
Gvdivs 13. 37. 73. 168. 224 239
Gvndlingivs 241
Gvthervs (Jacob.) 112. 196
Gyraldvs 12

H

Hagembvchivs 247
Hansenivs 199
Hardvinvs 12. 40. 160. 237
Harpocration 111. 151. 176
Havercampvs 34. 252
Havptmannvs 159
Havsoter 93
Haymvs 34. 237
Heinecivs 191
Heinsivs 40
Helladivs 158
Hellanicvs 92. 225
Heliodorvs 114
Henelivs 199
Heringa (Hadrian.) 156
Hermanssonivs 199
Herodianvs xxii. 32
Herodotvs 41. 132. 177
Hesiodvs 20. 72. 201
Hesychivs 108. 151
Hevpelivs 212
Hieronymvs (S.) 161
Higynvs 92
Hipparchvs 118
Hippocrates 135. 213
Holstenivs 237
Homervs xxxii. 14. 70. 71. 96. 140. 141. 150
Honoratvs (Agnellus) 107
Horativs 25. 69. 155. 224
Horvs Apollo 38
Hottingervs (Conrad.) 172
Hvetivs 171

Hyde (Thomas) 13
Hymni (Orphici) 11. 224

I

Jablonski 40
Jacutius 202
Janus (Guil.) 199
Johannes (Antiochen.) 133
Joseph Hebr. 39
Joubertus 237
Isidorus 215
Isocrates 20. 103. 164
Junglerus 242
Julianus 196
Justinus 26. 180
Juvenalis 108

K

Keplerus 123
Keyslerus (Georg.) 63
Kircherius 40
Kirchmannus 196
Kunius 215
Kusterus 20. 24

L

Lacerda 226
Laertius 43. 171
Lakemacherus 76. 169
Lambecius 49. 66
Lamius 180
Lampridius 169
Lascaris (Conſtant.) 212
Leges (Vet.) 176. 177. 180. 182
Leichius 247
Le Roy 41 116
Leunclavius 148
Libanius xxxvii. 14. 26. 182
Licetus xxxix
Lictnerus 93
Liebeus 236
Liebnerus 160
Livius 31. 98. 116. 162. 180
Lucanus 159
Lucianus 20. 46. 48. 70. 173. 244
Ludovicius 199
Lycophron 15
Lycurgus 160
Lydiatus 233

M

Macrobius xxvi. 65. 69. 168
Maffeius 5. 16. 17. 92. 114
Magerus (I. Frid.) 167
Magnus 159
Maittaire 167. 212
Malala (Joh.) 133
Manilius 72
Manutius 190
Marcellus (Empiricus) 134
Marcianus (Juriſconſ.) 169
Marinonius 40
Marmora (Andreas) 190
Marmora Oxonien. 29. 105. 106. 167
Marmor Sandvicense 164
Martialis 33. 69. 108
Masius (Jacob.) 40
Massieu 199

MAVRITIVS (Martin.) 70
MAZOCHIVS (Alexius) 152. 167 221.
MAZZOLENVS (Abbas) 237
MAZVCHELLIVS (Joh. Mar.) 6. 47
MEIBOMIVS 43
MENAGIVS 43
MENANDER 45
MENETREIVS (Claudius) 13
MENKENIVS 93. 197. 203
MENTZIVS 171
MERCVRIALIS 215
MERSENNVS 58
MESSERSCHMIDIVS 74
METRODORVS (Scepſius) 213
MEVRSIVS 176. 196. 207. 216
MIRABELLA 15
MONTFAVCONIVS XXXIII. XXXVIII. 33. 116. 197. 222
MORELLVS XXV. 252
MOSHEMIVS 221
MVHLEVS 140. 234
MVLLERVS 93
MVRATORIVS 5. 37. 74. 92. 105. 112. 241
MVSEVM CAPITOLINVM XXII
EMBERMAYERI 227
FLORENT. 224
HERCVLANENSE 236
NANIVM 221
PASSERIVM 189
PEMBROCHII 26
PISANVM XXII. 26
MVSEVM VERONEN. 92
VINDOBON. 28

N

NANIVS (Bernardus) 6. 25. 93. 100. 197. 205
NAVMANNVS 157
NEGELEINIVS 247
NEVFELDTVS 159
NICANDER 228
NICASIVS 102. 140
NICOLAI (Joh.) 196. 199
NIPSEN 196
NONNVS 25. 133. 225. 228
NORISIVS 160

O

OCCO 12
ODELEMIVS (Joh. Phil.) 107
OHEIMIVS 199
OISANDER 160
ONASVS 225
ONOMACRITVS 156
OPPIANVS 14. 251
OTTO (Everard.) 16. 121

P

PACATVS (Latinus) 31
PALLADIVS (Rutilius) 51
PALMERIVS 20
PASCHALIVS XXVIII
PASSERIVS (Joh. Bapt.) XXXIX 5. 16. 22. 29. 189. 221. 247
PATERMANNVS 55
PATINVS 92. 237

PAVL-

Pavllvs (Juriſcon.) 178
Pavsanias xxxiv. xxxv. 14. 15. 16. 22. 27. 28 63. 69 70. 96. 106. 133. 174. 189. 208. 218. 233. 251
Perravltivs 43. 56
Perizonivs 191
Petavivs (Dionyſ.) 44
Petitvs (Samuel) 148
Petritzivs 159
Petronivs (Arbiter) 48
Phalaris 204
Phavorinvs 212
Pherecydes 225
Philippvs (Theſſalonic.) 57
Philo (Judaeus) 147
Philostratvs 208. 244
Phlegon 233
Photivs 159
Pignorivs 108. 240
Pindarvs 33. 68. 156. 219. 233
Placentinvs 33
Plato xxx. 16. 28. 165. 203. 213
Plato (Comicus) 229
Plavtvs 48. 180
Plinivs 36. 41. 44. 48. 75. 123 124. 133. 190. 192. 246
Plvtarchvs 14. 147. 154. 157. 168. 192. 194. 180. 233. 249. 250. 251
Polkeivs (Joh. Chriſt.) 13
Polenvs 40. 42
Pollvx 25. 41. 71. 109. 169
Polyaenvs 65
Polybivs 147. 152. 232
Porphyrion 71
Porphyrivs 148
Pottervs 116
Pratillvs 23. 74. 105
Prideavxivs 105. 172. 202
Proclvs 119
Propertivs 225
Ptolemaevs 72

Q

Qvenstedivs 196
Qvintvs (Calaber.) 247. 252
Qvirinvs (Card.) 190

R

Reimannvs 41
Reinesivs 13. 92. 231
Ricciolivs 119
Revschivs (Erard.) 166. 199
Roeservs 199
Roth 199
Rvbevs (Hieronym.) 48 66
Rvnkenivs 156
Rvbenivs 113

S

Salierivs 45
Salig 247
Salmasivs 44. 16. 46. & ſeq. 168. 194
Sanchoniaton 132
Scaliger (Joſ.) 20. 92. 172 179
Schedivs xxx
Schilchtingivs 70

Schlaegervs (Jul. Carol.) 29
Schmidivs (Gothofr.) 171
Scmidivs 247. 253
Schoepflinvs 93
Scholiastes Aristophan. 45. 249
Aeschyli 25. 212
Homeri 109. 160
Schottvs 56
Schvlinvs (Joh. Nic.) 13
Schvltingivs 165
Scvtillvs (Dominic.) 240
Sebervs 44
Segvinvs 12. 32
Seldenvs xxx. 22. 71. 172
Seneca (L. Annaeus) 118. 124. 133. 202
Sigonivs 167. 176
Simeonibvs (De) 49
Simonivs 160
Sirmondvs (Jac.) 133
Smetivs 233
Socrates 225
Solinvs 254
Sophocles 248. 211
Spanhemivs (Ezechiel.) 16. 30. 195. 167
Spartianvs xxii. 4. 32. 102. 178
Spencervs 171
Sponivs 30. 116. 203. 221. 222. 224. 253
Stativs 132
Storivs 140
Stoschii Diactyliotheca 141. 143
Strabo 29. 64. 123. 155. 161. 162. 176. 241.
Stravchivs 238
Strvvivs 239
Svetonivs 4. 36. 69. 70. 108. 244. 246
Svidas 20. 43. 44. 103. 341. 185. 215
Sylingivs 113
Symmachvs 196

T

Tacitvs 4. 14. 162. 163. 166
Tavbmannvs 48
Taylorvs 164
Tertvllianvs 96
Themistivs xxx. 186
Theocritvs xxxii. 24. 212. 225. 228. 254
Theodosii Leges 176
Theophilvs (Antiochen.) 31
Thvcydides 92. 98. 147. 152. 157. 183. 211
Tillemontivs 99
Timaevs 212
Toernervs 141
Tollivs xxxii
Tomasinvs 220
Trelierivs 199
Trismegistvs (Hermes) 38
Tristanvs (Sanctamantius) 12. 237
Tvrre (A) Philipp. 69
Tyrivs (Maximus) 204. 218

Vail-

V

Vaillantivs (la Foy) xxv 6. 96. 113. 160. 236
Valerianvs (Pierius) 38
Valesivs 113
Vandalevs 93. 99. 243
Varenivs 54. 123
Varro 60. 123
Vegetivs 123
Venvtvs (Rodulphinus) 240
Venvtvs (Philipp.) 17
Velleivs 23. 152
Vervlamivs 123
Vignolivs 40
Virgilivs xxxii. 249
Vita (de) 172
Vitalis 121
Vitrvvivs 41. 116. 121. 123 185
Vlpianvs 166
Vossivs 44. 171. 231
Vpmarkivs 238
Vptonvs 245
Vrsatvs 239
Vrsinvs (Fulvius) 152. 234
Vvlpivs (Rocchus) 89

W

Walchivs (Joh.) 49
Weidlervs 41
Wellervs 116
Wielingivs 241
Wiltemivs 247
Winkelmannvs xxxiv. 141
Wolfivs 40

X

Xenophon 13 47. 76. 123. 145. 175. 178. 179. 212.
Xiphilinvs 102

Z

Zacharias (Franc. Ant.) 5. 37
Zanettvs (Hieronym.) 4. 5
Zeibichivs (Henr. Aug.) 109 215
Zeiglervs (Caſpar) 107
Zeiglervs (Jacob.) 40. 42
Zenvs (Apoſtolus) xxi. 197
Zvzzeri 42. 45. 108

INDEX II.

VERBORVM, ET RERVM MEMORABILIVM, QVAE IN PRIMO VOLVMINE CONTINENTVR.

A

ADjuratio horrenda. 202
Aedes Dianae Ithacenſis. 183
Agamemnon certamini Equeſtri praeeſt. 247
Ager Dianae a Xenophonte dedicatus. 145
Ager Ithacenſis Dianae ſacer. 150
Ageſilaus devićto Tiſſapherne decimas Apollini dat. 179
Agoniſtarum vitae genus duriſſimum. 215
Agoniſtarchae quibus in ludis coronati. 245
Agonothetarum numerus non ſemper unus. 244
Agoniſtici ludi in gratiam Herculis inſtituti. 219
Agri Dionyſio ſacri. 152
  conſecrati ἀσυλίᾳ donabantur. 160
  Deorum excepti. 150
  Diis devoti. *ibid.*
Anathemata in ſepulcris Chriſtianorum. 203
Anaximander primus ſciothericum horologium in Graec. invenit. 44
Anaximenes ſciathera ab Anaximandro inventa perfecit. *ibid.*
Ἀνεμολατρεία. 132. 133
Anemoſcopium Romae nuper repertum. 115. *& ſeq.*
Anemoſcopii deſcriptio, & uſus. 119. 120. 121.
Ancillae ad horam nunciandam. 108
Anni ab Argivis quomodo notati. 92
Ἀλάστωρ δαίμων. 195
Alexander ſtatuas a Xerxe ſublatas Legatis Graecorum reportandas concedit. 19
Antiochus Θεὸς Ἐπιφανὴς templum Apollini, & Dianae dedicat. 161
Antinoi Protome, & nummus Muſei Nanii. XXIII. 181
Antinoo honores habiti. 102
Antonius (Marcus) in locum certaminum cum chlamyde gymnica venit. 250
Antiquitatis ſtudium ab obtrećtatorum calumniis vindicatum. VII. *& ſequ.*
  ipſius utilitas. X. XI.
Apparitores ῥάβδον Agonothetis praeferebant. 249. *& ſeq.*
Apollini decimae datae ex ſpoliis bellicis. 173
Apollinis, & Herculis pugna pro Tripode. XXXIV.
Ἀποτέμνεσθαι. 158
Aquarum ſcaturigines num Dianae ſacrae. 218
Architećturae novus ordo adjećtus. 75
Arkarius Pontificum. 196
Artaxerxes, quid Aſiae Civitatibus permiſerit. 147

Ἀρτε-

Ἄρτεμις Θερμαία. 232
Aſiacis urbibus quid a P. Aemilio conceſſum. 147
Aſylum prope Antiochiam. 161
Aſyli privilegium. 160. 161.
Athenarum laus. 206. 208
Athenienſes ab acceptandis Laconum legibus quam alieni. 147
Boeotis, & Chalcidenſibus debellatis Palladi decimas dant. 175
Dianam *Celcaeam* coluere. 20
Agoniſtarchae duplicem rudem obtinuere. 250
lotores alii *Cives*, alii *Inquilini*. 240
Athenienſium Ducum bona publicata. 178
Attici Balneatores. 232
Athletarum balneatio in vaſe Etruſco. 216
Athletae Herculis pueri, & alumni dicti. 233
antequam in palaeſtram deſcenderent, quare inungerentur. 213
cur arena adſpergerentur. 214.
Auge in anaglypho Burgheſiano. 236
Telephi mater. 236
Auguſtarum Sacerdotes. 93
Auguſtae Dearum effigie repraeſentantae. XXV. 36
Aureliae Iſodotes votum. 17
Aureliae Elpinices votum. *ibid.*
Αὐτονομία Graecis praeclara. 147

B

Babylonii horologia primi invenerunt. 41
Βακτηρία δικαστηρίου ἐπίσημον. 249
Balneum cur Stadio conjunctum. 213. 215
Βαλανίτης. 211
Batonis carmina horologium Herculanenſe mire declarant. 52
Baſes, & hypobaſes columnarum, & ſtatuarum. 73. 74
Bona quorumnam publicarentur. 177
Bovis caput in Dianae donario. 29
Βραβευτής. 216
Braſidas everſa Lecyto Dianae templum inſtaurat. 184
agrum Dianae dicat. 184

C

Calcei venatorii. 25
Callithoe pulchra ſacrificula. 91
Canis cur Dianae datus. 15
Vlyſſi adblandiens. 139
Capitula quando columnis addita. 75
Cephalleniae Inſulae fata. 97
Cercas, rectius *Celcas* urbs prope Aulidem. 20
Cerva Thelepho addita in vetuſtis monumentis. 236
Cervi cur Dianae dati. 14
in nummis Epheſi. *ibid.*
Cerulae, & Ceriolares Diis oblati. 36
Ceryces in ſacris. 109
Claudia Nicephoris. *Vid.* Colirius.
Clepſydrae multiformes. 56
Clepſydrarii. 56
Ciani ſacra in honorem Hylae celebrant. 226
Circuli in ſphaera a Graecis Aſtronomis ut explicati. 118. 119
Cives a Peregrinis diſcernendi ratio apud Athenienſes. 240
Cius Fluvius cur memorabilis. 227
Colirius columnam cum horologio Dianae dicat. 30
Columna ab Han. Oliverio Anconae empta. 78
literis vetuſtiſſimis ſcripta. *ibid.*
de ea Cl. Corſini Diatribe. 70. *& ſeq.*
Columna a Megalco Muſis dicata. 66

Columna Scilunte a Xenophonte poſita. 145
Columnae pro Deorum imaginibus. 63
Columnis leges inſcriptae. 65
Comminatio legis ſacr. Ithacenſis. 204
Commodi Imp. inſignis ſtatua. xx. xxi.
Commodus ΟΛΥΜΠΙΟΣ, ΗΡΑΚΛΗΣ, & Ὑπεραίρων dictus. xx.
Conſules ludos moderantes in diptychis expreſſi. 247
Convivales leges columnae inſcriptae. 65
Cornua a Thracibus caſſidi impoſita. xxxvii.
Corona Gymnaſiarcharum ad modum pileoli, ſive tiarae. 245
  Agoniſtarchis data. 244
Coronae aureae in ludis publicis datae ſub Ptolemaeo Philadelpho. 246
  Gymnicae magni ponderis. 246
Corcyrae caput turritum. xxix.
Crater argenteus litteris Homericis ſcriptus. 24
Curator Myſteriorum *Rex* ab Athenienſibus dictus. 111
Curſus ineundi ſignum per Tibicinem datum. 248
Cynocephalus num hydrometram praemonſtraverit. 38
Cytheriacum anaglyphum. xxxiii.

D

Damocleae tabula votiva. 25
Daphnitici campi ad perfugium patebant. 161
Δῦμος pro χώρῳ. 156
Δεκάται τῶν προσγεννησομένων. 193
Δέμνια, ῥήγεα, χλαῖναι lectis inſtratae. xxxii.
Deorum agnomenta ſaepe obſcura, & incerta. 11
  unde enata. *ibid.*
Decumae Diis omnibus datae. 179
  jure naturae perſolvendae. 172
  penſitatio indicta a lege ſacr. Ithacenſium. 171
  praediales. 172
  ex rebus bello partis. 173
  ex Fodinis, & Portoriis. 175. 176
  ex pretio Captivorum. 175
  ex bonis publicatis. 177. 178
Decumas Diis ſolvendas Piſiſtratus Athenienſibus perſcribit. 171
Deliaca marmora. 155
Deliacorum Campor. conditio. *ibid.*
Diaconiſſae. 107
Διαψηφίσεως lex lata ab Archia. 240
Diana acroſtirium gerens. 16
  Λιμνενῆτις. *ibid.*
  Κυνεγῆτις. 25
  ejuſdem ſignum. 63
  Ἐπίσκοπος. 15
  Κελεύθεια, & Ἐνοδία. 16
  Κερδλέατις. *ibid.*
  Δικτύνη, Λευκοφρύνη, Περσικὴ, Στεφανῖτις, Περγαῖα. 12. 13
  alia hujus Deae nomina. 14
  Laphria a Patrenſibus culta. 106
  a Pellenſibus, Phegalenſibus, Syracuſiis Σώτειρα appellata. 15
  Πολυωνύμη. 17
  Πτερυγωτὴ, ſive Alata. 15
  Ταυροπόλος a Smyrnaeis, & Magnetibus culta. 29
Dianae Celcaeae novum agnomentum. 19
  cultus apud diverſas nationes. 12
  religio apud Magneſios. 14
  ſimulacrum in columnae formam. 63
  Τριμόρφε imagines variae. 16
Dirae in Monumentis Chriſtianis. 202

Dirae

Dirae qua efficacitate praeditae putarentur. 192
Divinatio per ſortes. 69. 70
pendebat ex temporis notitia. 72
Domitianus Agoniſticis ludis praefuit coronatus. 246

E

Εἶς, & ἦς permutantur. 211
Εἰλειθυια nomen Dianae unde. 24
Ἐλαφοβόλια. 14
Elei decimas Jovi Olympio ex manubiis deferunt. 174
Ἡλιοτρόπιον. 39
Ἐνδρομίδες. 25
Ἐπιμεληταὶ non *aeditui*. 184
Ἐπιμελητῶν quot genera. 113
Ephydatia Nympha. 228
Ephori coronam ad ludos geſtabant. 245
Epigrammata Graeca anathematis, & donariis inſcripta. 174. 175
Equi ſellarii, doſſuarii, deſultorii ad ludos acciti. 251
a ſervis Equariis ad Agonothetas deducti. *ibid.*
coronarum, palmarumqne participes. 251. 253
nullo inſidente, & agitante ſtadium tranſvolabant. 251
Equorum victorum effigies in nummis, atque in gemmis: 252
Eretrienſes columnam Dianae Amarinthiae dedicant. 64
Ἐργασία ſacrorum praediorum. 157
Eunica, Malis, Nychea, Hylam rapiunt. 228
Eutropius num auctor, an merus deſcriptor noſtri Anemometri. 134
qui anemoſcopium fecit, an idem ac hiſtoricus. 134 135

F

Fabularis narratio de Moſaico Gnomone. 39
Feminae, quae ſacris Dianae operabantur in tres claſſes diviſae. 105
Feminarum Sacerdotia. 91. 92
Fodinae apud Siphnios. 177
in Inſula Tarteſſe. *ibid.*
in Provincia Baetica. 176
in Thracia. *ibid.*
Foedus Cn. Manlii, & Antiochi. 152
Fons Πηγὰς, ubi Hylas periit. 226
Fontium epiſtomia ornatiſſima. 222
Fortuna Romanorum. 68
Furiae. 16

G

Gemmae Graecae. XXXVIII.
Genii ἀπτέρυγοι. XXVII.
Geniis ſepulcralibus fax cur data. *ibid.*
Genius Dianae. XXXVII.
Γῆ ἀνεκβίαστος. 160
Γυμνάσια, & Λουτρὰ finitima. 213
Gymnici Concilii apparitores. 249

H

Haſtae pro ſceptris Diis additae. 26
Hellanodicae quomodo delecti. 243
Heliotropium a Pherecyde Syro inventum idem ac horologium. 43
Hemicyclium Beroſi. 41
Helurus an horologia aquaria conſtruenda docuerit. 38
Heracleenſes Tabulae. 152
Hercules tripodem ſubripiens. 114
certaminum praeſes. 234
Τριποκλέπτης. XXXIII.
ejuſdem monumenta varia. XXXIV.
πρῶτος Ἀγωνιστὴς. 238
& Minerva ſaepe conſociantur. 190
a Corcyrenſibus cultus. 190

Hercu-

Herculi Gymnaſia dicata. 233
Herculis ſignum Athenis repertum. 235
Erat veroſimiliter metae apex in ἀγωνιστηρίῳ poſitae. 234
& Apollinis certamen cur toties a Graecis ſculptoribus expreſſum. xxxv.
Telephum geſtantis ſtatua. 237
Hermionenſes ut Dianam colerent. 28
Hermionenſium monumenta. 101
Heros Ithacenſis κερατώδης. xxxvi.
Herodes Atticus agrum num Minervae, an vero Dianae dedicaverit. 195
Stadium Panathenaicum amplificat, exornatque. 208
Hippias Eleus quale horometrum conſtruxerit. 59
Hora vox priſcis Scriptoribus uſurpata. 47
Horae ὁμαλαὶ, & καιρίαι. 38
Horarum differentia. 47. 54
Homericae Gemmae. 139
Horologia nocturna. 59. 60
in duo genera tribuebantur, σκιόθηρα, & ὑδροσκόπια. 38
mixta. 59
varia ſequioris aevi. *ibid.*
in templis, Foris, baſilicis, tricliniis, balneis, ſepulcris poſita. 48
ὑδατικὰ. 55
in Latio Dianae primo dedicata. 36
φορηματικά. 49
Horologii Herculan. uſus explicatus. 53. 54
Herculanenſis ſchema nunc primo editum. 50
βουστροφηδὸν deſcriptum. 51
Horologiis (de) quid cautum ab antiquis juriſconſultis. 53
Horologiorum genera varia antiquis uſitata. 42
Horologium a L. Papirio dedicatum. *ibid.*
a M. Valer. Meſſala ex Sicilia Romam deportatum. 48
Athenienſe. 41
aedificio concluſum, & clatris ſeptum. 60. 61
ſonorum ab Athenaeo conſtructum. 58
Dianae Celcaeae dicatum ſciatherion fuerat. 62
in Fano Herculis a Tiberio Ravennae conlocatum. 48
Syracuſanum. 47
Horometra in hemicyclii formam aberrationib. minus obnoxia. 42
Hydraulica machina a Cteſibio Alexandrino inventa quaenam. 57
Hylae Apotheoſis. 226
decor, fata, raptus. 225. *ſeq.*
ejuſdem effigies in Marmore Athenienſi. 207
Hylas cur adultus effictus in anaglypho Athenienſi. 227
Theodamantis fil. 225
uti repraeſentatus in vetuſtis monumentis. 217
cui Nympharum nupſerit. 229

I

Ἱερὰ γῆ. 152
Ἱερὰ ὀργάς. 158
Icariae templum Dianae celebre. 29
Inquilini Athenis ἄχυρον τῆς ἀστῆς. 241
aliqua immunitate donabantur. *ibid.*
Inquilinorum nomina a Concilio Areopagitico deſcripta. *ibid.*
Inſcriptio Attica. 209
Corcyrenſis reſtituta. 189
alia emendata. 198
notis compendiariis lucernae inſculpta. xl.

Inſcri-

Inſcriptiones Athleticae. 215
Aliae, quae illuſtrantur, aut refinguntur. 8. 17. 56. 73. 74. 82. 86. 87. 89. 95. 98. 101. 102. 104. 113. 143. 174. 175. 189. 199. 204. 209. 211. 216. 220. 224.
Inſcriptionum reſtituendarum methodus. 95. 188
ΙΟΥΛΙΑ ΝΕΑ ΧΑΩΡΙΣ. XXVI.
Ithacenſium Soſpita, ac patrona Diana. 185. 186
Ithacae ſitus, & conditio. 139. 140. 155. 156
Juliae Auguſti filiae ſignum elegantiſſimum. XXVI.
Junonis Argivae ſacerdotes. 92
Jupiter Caſius. 190
Juramentorum varietates. 199
Juramentum per Stygiam paludem. 201
per Genium Principis. 199
Jusjurandum Ethnicor. 199
Juvencae Dianae mactatae. 29

K

Καλύπτρη Agonothetarum. 246
Κίλικας, & Κιλικαίας. 19
Κληρομαντεία. 69

L

Λ & A facilis permutatio in Graecis marmoribus. 18
Λαβαργύρος ὡρολογητης. 108
Lacedaemonii coloniam Sciluntem deducunt. 145
Lapidum cultus. 63
Latina agnomina a Graecis Latina pronunciatione ſcripta. 32
Latifundia ſacra elocabantur a Quaeſtore ſacrorum. 164
Lavacrum Athenienſe, cui aedificando Zeno Cittieus ſymbolam contulit. 239
Lavatio ad valetudinem tuendam. 214
Lavationum προστάτης. 215
Lecti veterum Graecorum ab Homeri temporibus culcitis apparati. XXXII.
Leges de fundis ſacris, eorumque fructibus. 153
Veteres. 196
Sacratae. 191
Lesbia terra Diis aſſignata. 152
Lesbii ab Athenienſibus devicti. *ibi.*
Lex ſacrata Ithacenſium. 142. 144
Lex de locatione, & conductione fundorum. 166
Litterarum Graecarum priſca conformatio. 212
Locationum praediorum ſacrorum exempla. 164
Lotores inter numerandi *Aquarii*, *Fornacatores*, *Aliptae*, *Mediaſtini*, *Capſarii*. 240
Lotorum Athenienſium nomina. 238
miniſteria diverſa. 239. 240
Collegium Dianae Aricinae. 211
Corpus, *Collegium*, *Familia*. 239
Lucos ſacros excidere quam nefaſtum. 159
Lucus ſacer Maſſilienſium. *ibid.*
prodigia, quae inibi accidiſſe narrantur. *ibid.*
Ludorum Coſmetae rude condecorati. 249
indicendorum ratio varia. 246. *& ſeq.*
Gymnicorum praeſes flagrum quatiens Athletas in curſum agebat. 249

M

Mappa, ſive Linteolum Agonothetarum inſigne. 246
Mappâ ſignum curſus ineundi datum. 247
Mars qua ratione decumas ſibi vindicaret. 180

Marti

Marti decimae ſolutae de rebus bello partis. 173
Megarenſes quare in Athenienſium inimicitiam venerint. 157
Μελλιεραὶ, & παριεραὶ. 105
Menſium diverſae denominationes. 180
Meton Athenienſis inſtrumentum mathematicum invenit, & quodnam illud fuerit. 43
Mileſiis praedia pro ſacrificiis conceſſa. 152
Minae Atticae. 184
Minervae paciferae ſignum. 35
Moderator ξυστῦ, & βαλανείυ. 216
Monumenta Θεοῖς πᾶσιν ſacra. 231. 232
Moſes num ἡλιοτρόπιον exſtruxerit. 39
Muſei Nanii copia, varietas, & praeſtantia. 5

N

Nemeſtrinus (Deus). 36
Νεωκορίας varietates. 113
Nicias latifundia Apollini in Delo devovet. 154
Noctua lamellae inſculpta. XV.
Nummi Catarenſes. 6
  Epheſi. 14
  Heracleotarum. 234
  Mamiliae Famil. 141
  Midaeorum. 236
  Myſiae Regum. 6
  Orthoſienſium. 33
  Otaciliae, & Plautillae cum nota ἀσυλίας. 162
  Patrenſis Coloniae A.A. 106.
  Raſciae Regum. 6
  Rhodiorum. *ibid.*
  Saxiorum. 34
  Sycionum. 160
  Tarſenſium. 236
  Thermitanorum. 219
Numina, quae balneis, thermiſque praeerant. 232
Nymphae quibus Diis conſociatae. 224
Nymphae πλυντίδες. 220
  balneum Herculi praeparant. 219
  Dianae Comites. 218
  Hylam rapiunt. 226
  modo nudae, modo veſte indutae. 221
  a Tritonibus vectae. 217. 221
  cur tres. 221
Nympharum religio. 220
  templa, & ſigna prope fontes. 218
  epitheta varia. 218. 220
  ſchema Muſei Nanii. 230
Nymphis quae loca conſecrata. 218
Νυμφαῖα (herba). 222

O

Obſcena emblemata in ſepulcris. 204
Obeliſcus Seſoſtridis Horometrum fuerat. 40
Olympia certamina in gratiam Herculis invecta. 232
Olympiis Smyrnae celebratis unus praeerat Agoniſtarcha. 244
Orgades nemora fuiſſe. 158
Ὥρα. 47
Ὅρκιον στάσιον quodnam fuerit. 200 *& ſeq.*
Ὅρκος μέγας. 201

P

Παλαιστροφύλαξ. 215
Pallenſes Cephalleniae πρῶτοι. 98
  monumentum ab his Hadriano poſitum. *ibid.*
Panemo (Menſi) quis vere reſpondeat. 180
Pancratium volutatorium. 214
Παραγγείλλουσαι. 108
Paraſitorum nomen olim venerandum. 169
Parerga varia his commentariis inſerta cur late non explicentur. XVII. XVIII. XIX.

Παυσάμενον . 133
Pericles quid contra Athenienſes decernendum duxerit . 157
Pelaſgorum lacrimabilis caſus . 193
Pellium ad cubandum uſus apud Graecos . xxxii.
Peplus Dianae oblatus . 26
Phiala olearia horologio ſimilis . 52
Phocenſium donaria . xxxiv.
Plato inventor Clepſydrae ὑδροπνευματικῆς . 57
Πλυνῆς pro Πλυνεῖς . 211
Πλυντήρια . *ibid.*
Πόλον . 41
Polyarces Athenas a Megarenſibus miſſus quare . 157
Pons prope Epheſum tutelae Dianae commendatus . 30
Priſma marmoris Parii machinae hydrotechnitae aptandum . 222. 223.
Principes antiquitatum cultores. 4
Protomae incognitae . xv.
Ψυχὴ τῶ ἀγρῶν . 182
Puer pelli leonis indormiens. xxxi.
Pyramides Aegyptiorum primaevae *Meridianae* . 40

Q

Quaeſtor τ' Ἀθηνῆς . 167
Quaeſtorum varia genera . 167

R

Ῥάβδος γυμνασιαρχῶν . 250
Ῥαβδοῦχος . 249
Ῥαμνουσία Οὖπις . 195
Romulus agrum pro Deorum cultu excipit . 150

S

Sabinae Aug. ſacerdotes. 99
Sacerdos Dianae curru a cervis vecta . 106
Sacerdotes Dianae Munychiae . 96
Sacrorum procuratio quomodo diſtributa . 111
Sacrificulae virgines univirae, & pudicae . 96
Salmaſii argumenta adverſus Solariorum antiquitatem refutata. 46
Satyri Nympharum contubernales . 229
Σκία δ' ἀνδρὸς . 39
Scipionis Barbati monumentum . 133
Schyphus argenteus ad Portum Antii repertus . 67. 68
Sedes marmorea in Stadio Panathenaico ludorum Praeſidi aſſignata . 251
Seleuci ſtatuae cornua adpoſita . xxxvii.
Senatus Areopagitici decretum. 158
Sententiae Poetarum de Nymphis a quibus Hylas raptus conciliantur. 228
Septemviri Epulones. 169
Servi cujus praeſertim nationis . 241. 242
  ὡρολογηταὶ. 108
  in collegio Lotorum . 241
Servorum nomina unde derivata . *ibid.*
  nomina δισύλλαβα . 242
  veſtitus . *ibid.*
Servus Equarius, 252
  ad horologium adminiſtrandum . 61
Siglae in nummo Tarſenſium varie explicatae . 237
Sigmatis veteres formae. 33
Sirenum forma . 139
Solaria an Clepſydris vetuſtiora. 39
  lapidea antiqua in hemicyclii formam . 41. 42
Solariorum vera apud Graecos epocha . 44
Somni effigies qualis. xxxiii.
Sortes *Antiates* . 69
Sortes in hereditate dividunda, in Magiſtratibus eligendis quaeſitae . 70

Stadium Panathenaicum. 207. 208
Στοιχεῖον. 46
Subvates. 109
Subminiſtrae quaenam. 107
Sulla campos Dianae Tifatinae dedicat. 153
Superbi agnomentum aliquando in meliorem partem acceptum. 31. 32

T

Tabula Ithacenſis. 142
Tabulae Heracleenſes. 165
Ταμίας ἱερῶν χρημάτων Officium Graecorum proprium. 165. 167
Θεοὶ ἄγνωστοι Athenis culti. 20
Telephus in ſarda ſculptus. 236
Telephi ſignum in Helicone. *ibid.*
Templa Ethnicorum quantopere ornata. 183
in ſacris Latifundiis poſita. 182
Templorum architectura varia. 185
reſtaurationem quis curaret. 184
Τεμένεος vera ſignificatio. 151
Ternarii numeri efficientia. 221
Themiſtocidis votum. 25
Thermae Herculeae ad Himeram. 219
Thermarum cura Agonothetae demandata. 215
Theſaurus Gemmarum Aſtriferarum. xxx.
Θυσίαι κοιναί. 76
Toga ὁλοπόρφυρος Hellanodicis data. 244
Tiberii decretum Aſylis ſtatuendis. 163
Tifata Mons Campaniae. 23
Tiſſaphernes quid Aſianis indulſerit. 147
Triptolemi lex de Diis colendis. 149
Tritones Nymphas vehentes. 144
Θρόνοι λίθινοι. 250
Τυμβωρύχοι. 196

V

Varronis ὀρνιθοτροφεῖον. 60
Vas Anaglyphum funebre. xxxvi.
Vectigalia Athenis varia. 176
Vectigal pro mercibus. *ibid.*
Veneris Οὐρανίας ſignum pulcherrimum. xxix. *& ſeq.*
cujas illud ſit. xxxi.
Ventis aedes dedicata. 133
a quibus ſacrificatum. *ibid.*
Ventorum diviſio multiplex. 123. 124
nomina marmori Cajetano inſcripta. 116
tabula ut in Anemometro ſculpta. 122
Ara. 133
turris Athenis. 116
Virga omnibus Magiſtratibus attributa. 249
ad Palaeſtritas caſtigandos. 250
Virgines templi cuſtodes. 107
Vlyſſes Sirenes praetervehens. 139
victoriae obluctans. *ibid.*
ventos in utrem coarctans. 143
Ὑπεραίρων. xx
Ὑπερήφανος. 31
Ὑποδιακονοῦσι. 91
Ὑποδέκτης χρυσοῦ. 196
Ὑποφῆται. 109
Vrbes, quae inviolabiles eſſe gloriabantur. 160

X

Xerxes ſtatuas ex Graecia Babylonem transfert. 19
Χῶρος. 150
Xyſticus Senatus. 243
Xyſtarchus. 216

Z

Zeno Cittieus balneo aedificando pecuniam erogat. 239

F I N I S.

Errata Aliqvot,

Quae exciderunt, ſic emendato.

Pag.	lin.		
38	29	*ſempor*	*ſemper*
39	35	heae	hae
108	3	*παραγέλλυσα*	*παραγγέλλυσα*
110	6	confungere	confugere
189	15	ΦΩΚΙΟΝ	ΦΩΚΙΩΝ
193	29	*προσογεννησομένων ἁπάντων* leg.	*προσγεννησομένων ἁπάντων*
196	31	*κρυσῦ*	*χρυσῦ*
252	7	complexos, Deorum turbam.	*Dele interjectam comam.*
ibid.	8	qui	quin

SPECIAL
N
5704
P11
1761
V.1

86-B
22721
V.1

THE GETTY CENTER
LIBRARY